



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>













P V B L I  
VERGILI MARONIS

C A R M I N A  
AD PRISTINAM ORTHOGRAPHIAM

QVOAD EIVS FIERI POTVIT

REVOCATA

E D I D I T  
PHILIPPVS WAGNER

---

A C C E D I T  
ORTHOGRAPHIA VERGILIANA  
INDEX IN HEYNI NOTAS ATQVE COMMENTARIOS  
ET  
CONSPECTVS EORVM, QVAE HAC EDITIONE  
CONTINENTVR

---

L I P S I A E  
SVMTIBVS LIBRARIAE HAHNIANAE  
MDCCCLXXXI.  
L O N D I N I  
APVD BLACK & ARMSTRONG.

Lat. 125 AA.

PVBLIVS  
VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS

ET

PERPETVA ADNOTATIONE

ILLVSTRATVS

A

CHRIST. GOTTL. HEYNE

---

EDITIO QVARTA

CVRAVIT

GE. PHIL. EBERARD. WAGNER

---

VOLV MEN QVINTVM



---

LIPSIÆ

SVMTIBVS LIBRARIÆ HAHNIANÆ

MDCCCXXXI.

---

LONDINI

APVD BLACK & ARMSTRONG.





**VIRIS**

**OMNI LAVDE FLORENTISSIMIS**

**FRIDERICO SALOMONI LVCIO**

**REGI SAXONIAE A CONSILIIS**

**QVAESTIONIBVS DRESDAE EXERCENDIS PRAEFECTO**

**CHR. ERN. AVGVSTO GROEBELIO**

**EQVITI ORDINIS REGII SAXONICI BENE MERITORVM**

**SCHOLAE CRVCIANAE RECTORI AC RESTITVTORI**

**ET**

**IVLIO SILLIGIO**

**PHILOSOPHIAE DOCTORI**

**IN EADEM SCHOLA LITTERAS ANTIQVAS DOCENTI**

**AMICITIAE SVAE OBSERVANTIAEQVE**

**TESTEM PERPETVVM**

**HVNC LIBRVM ESSE**

**VOLVIT**

**EDITOR.**



## PRAEFATIO.

**C**um haec sit propria laus nostrae aetatis, quod omnes vetustatis partes nunc accuratius, quam umquam antea factum est, pervestigantur, cumque nihil ex eo genere tam sit minutum, quod labore suo atque opera indignum homines docti iudicent, sperare iam licet fore, ut etiam Orthographia Latina, cuius studium diu neglectum nuper ab Angelo Maio resuscitatum, tum a Germanicis Grammaticis maiore cum fructu susceptum est, ad antiquam revocetur integritatem. Et quis non iure miretur, cum reliquae grammatices Latinae partes certatim a viris doctis illustrentur, in ipsis elementis, i. e. litteris, usurpandis scribendisque vocabulis plurimum adhuc inveniri vel erroris vel inconstantiae? aut quis nescit, quantam vim habeat accuratior veteris orthographiae notitia ad rem criticam feliciter tractandam aut ad multorum verborum origines scite explicandas? Quae cum ita sint, non est dubitandum, quin dudum a viris doctis omni ex parte enucleatam haberemus orthographiae Latinae rationem,

nisi tanta inesset in ea re difficultas, quae facile possit etiam strenui hominis ac laboriosi conatum reprimere. Primum enim nec eadem fuit apud ipsos Romanos omni tempore vocabulorum scribendorum ratio, multaque aliter Ciceronis aetate vel pronuntiabantur vel scribebantur, quam aut superiore aut posteriore; et inter ipsos aequales alius aliud sequebatur. Tum ipsorum, unde praecepta recte scribendi petuntur, fontium mira est quaedam varietas et discrepantia. Atque antiquiores quidem scriptores, quorum quidem exstant opera, raro attingunt hanc quaestionem, ii autem ex veteribus, quibus est propositum operam suam in illustranda orthographia collocare, et longe sunt illis aetate inferiores et multis locis ita inter se pugnant, ut nos saepe incertiores, quam fuimus antea, dimittant. At plus spei fortasse in ceteris praesidiis. Ecce offerunt se primum Nummi et Inscriptiones. Quid illis certius esse potest fideque dignius? Nimirum in his certe ipsam, ut ita dicam, manum vetustatis deprehendimus. Neque vero ego is sum, qui nummis, quibus iure multum dant in eo genere viri intelligentiores, detraham honorem suum; at nimis isti paucas habent litteras nec satis late patet eorum usus. Plus, immo multo plurimum, promittunt Inscriptiones. Quam illae multae, quam variae, quanta vocabulorum omnis generis copia refertae! Atque ipse fateor, nisi Inscriptionum ope fieri non posse, ut veteris orthographiae condatur certa nullisque dubitationibus obnoxia doctrina. Sed huic tamquam fundamento ut firmiter inniti possis, in classes quasdam describes omnem multitudinem Inscriptionum. Primum autem aetates singularum accurate distingues, qua in re observandae erunt etiam formae litterarum diversis

temporibus diversae; tum quae sint ex iis publicae, ut loquuntur, videndum, quae privatae; in his rursus quem quaeque habeat auctorem, litteratum an illitteratum hominem; porro quae fuerit patria cuiusque Inscriptionis; qui quamque descripserunt et in chartas retulerunt, eorum quae fuerit diligentia atque fides; deinde veras et germanas discernes a falsis et suppositiciis; denique in singulis vocabulis quid probum sit ac rectum scrutabere, quid contra operarum oscitantiae aut stupori tribuendum. His rebus exploratis fieri poterit, ut et omnino quid retinendum videatur, quid reiiciendum, appareat, et quae fuerit cuiusque aetatis orthographia, intelligatur. Sed, ut taceam esse hanc rem immensi laboris, tam lubrica sunt in hoc genere pleraque, ut, qui de ea re expositurus non suis potiore Inscriptionum partem lustrarit oculis, pronam ad labendum viam ingrediatur. Itaque ipse de Vergiliana orthographia scripturus summa cum cautione usus sum Inscriptionibus iisque paucissimis publicis, quae et supparis essent aetatis, et fide ceteris digniores viderentur.

At nec Grammatici, nec Nummi, nec Lapides probare possunt, quae fuerit singulorum scriptorum orthographia. Ut enim nostra aetate non omnia vocabula ab omnibus eodem modo scribuntur, ita ne Romani quidem eiusdem aetatis scriptores in ea re plane consentiunt inter se. Quid autem horum quisque sit secutus, aut non poterit ulla via cognosci, aut poterit ex libris calamo exaratis, ut verba eorum et sententias, ita fortasse manum quoque quodammodo repraesentantibus. At haec quoque res multis est maximisque impedita difficultatibus. Quotus enim quisque est liber, cuius quae exstant exemplaria non mille mini-



num annis distent ab ipso auctore? aut quis ignorat nihil fere magis depravatum esse a librariis, quam germanam veterum scriptorum orthographiam? Praeclare se res haberet, si unus saltem exstaret liber vel ab ipso auctore scriptus, vel certe ab aliquo, qui non ita longo intervallo ab illo seiunctus esset, exaratus. Frustravit spem in Herculanensibus voluminibus positam fortuna, quamquam ne illam quidem quasi offam desiderio nostro obiectam aspernabimur, reliquias dico carminis de pugna Actiaca, quibus quidem ita utemur, ut, quamvis sint exiguae, tamen fructum inde capiamus minime contemnendum.

Mihi vero non illud est propositum, ut omnem orthographiam Latinam complectar; satis multum me effecisse existimabo, si, quae Vergilii fuisse videatur, probavero. Meliore fortuna usus est Vergilius, quam plerique scriptores Romani. Servati sunt, etsi non integri, quidam antiquissimi carminum eius codices, ex quibus unus saltem, Mediceus, ante eversum imperium Romanum scriptus esse creditur. Hunc aureum codicem typis describendum curavit Fogginius Florent. 1741. 4., qui quanta diligentia eam rem administraverit, cum multis ex signis intellexi, tum compertum est opera Viri Egregii, Fr. Th. Freytagii, de qua exposui in Praefatione primi Voluminis p. IX. Huic codici aetate proximum videtur Fragmentum Sangallense, paucis constans paginis, ex quo variantes lectiones Casp. Orellius in Epistolam crit. ad Madvigium datam pagg. LXIII—LXVI. transcripsit. Sequuntur longe ampliora fragmenta codicis Vaticani, antiquis, sed satis rudibus, picturis ornati. Hic quoque codex, qui iure quantivis pretii habetur, typis expressus est auctore Bottario Romae 1741. fol. Et

grata est haec quoque opera; sed non fuit Bottarii eadem accuratio, quae Fogginii \*); accedit, quod ipse queritur parum morigero se usum esse typotheta. Quae res ut propter ipsam codicis praestantiam non potuit non molestissima mihi esse, ita multo etiam molestior facta est, postquam ea legi, quae nuper Vir Doctissimus Fr. Ritschl in Diariis Darmstadiensibus scripsit: esse hunc librum, quem ipse Romae inspexerat, Mediceo antiquiorem, nec posse carmina Vergiliana videri satis emendata, nisi ad illius fidem exacta essent. Itaque occasionem nactus ex ipso Viro Humanissimo scitatus sum, quas causas haberet eius iudicii. Ille vero negabat diligentius a se exploratum esse eum codicem, sed comparata inter se codicis Medicei et Vaticani litterarum forma videri apparere recentiorem esse eam, quae in Mediceo offerretur, vetustiore, quae in Vaticano. Equidem etsi multum abest ut refellere audeam Virum Praestantissimum, feci tamen id, quod mihi unum licuit, ut specimina scripturae, quae vocantur, a Bottario pag. 3. et a Fogginio pag. XV. ex his codicibus prolata comparerem cum nobili illo fragmento Herculanensi. His inter se collatis apparere mihi videbatur formam litterae U in codice Vaticano propius accedere ad eam, quae in fragmento Herculanensi visitur; contra formam litterae N, qualis conspicitur in Mediceo, similiorem esse ei, quae in eodem Fragmento cernitur; nec illud praeterierim, quod magnitudine litterarum propius accedit cod. Mediceus ad reliquias illas Herculanenses, quam Vaticanus, qui litteris utitur grandioribus. Prae-

---

\*) Insigne negligentiae exemplum propositum videbis in ipsa Orthographia Vergiliana sub litt. P. §. 2.

terea vero etiam eam figuram litterae U in Vaticano in uno vocabulo deprehendi, quae convenit cum nostro V, qualis in Mediceo quidem non videtur exstare \*). Ceterum mihi litterae utriusque codicis non ita inter se discrepare visae sunt, ut ex ea re de varia utriusque aetate certi aliquid conici posse videatur. Itaque hanc causam aliis dirimendam relinquo \*\*). In ipsis his codicibus pauca quaedam signa inveni, unde fortasse aliquid de tempore concludi possit, quo scripti sint. Christianos fuisse homines, qui eos exaraverint, indicat, nisi fallor, quod in Mediceo Ge. II, 486. scriptum est *Amen* pro *Amem*, item *Amen* pro *Agmen*, Aen. V, 602., quamquam haec quidem indicia

---

\*) Vide, quae scripsi in Orthographia Vergiliana sub litt. U. §. 1.

\*\*) Placet huc transcribere, quae leguntur apud Niebuhr. ad Ciceronis Orationum Fragmenta p. 19.: „Scilicet id quidem nullo negotio demonstrari potest, scripturae genus, quod hic (in Fragm. Liviano) conspicitur, si a levi discrimine discesseris, quod mox indicabo, primo post Christum natum saeculo iam usitatum fuisse. Ita enim pictae sunt quae Pompeiis in parietibus leguntur tot inscriptiones: Romae quoque ludicra illa comminatio quae in Thermis Titi Imperatoris visitur: una denique inter inscriptiones sepulchri Arruntiorum, quas qui ad primorum Caesarum aevum referendas esse censent iis facile accedo, licet marmori incisa, eandem prorsus litterarum formam exhibet. Iam vero Laurentianus Virgilii codex, quem tamen sub Odoacre rege scriptum esse constat, idem scripturae genus exhibet; neque aliter scripta sunt fragmenta Virgilii Vaticanensia: quae omnia non nisi eo ab inscriptionibus Pompeianis differunt, quod A littera in his transversam lineolam habet, qua in ceteris caret. Porro autem alia est huius scripturae familia quae ab illa priore eo discrepat, quod litterae B et F dimidia parte super ceteras eminent, H autem configuratione ad K proxime accedit: hoc igitur genere scripta sunt fragmenta Livii Sallustique Romana, Ciceronis Mediolanensia: quum tamen praeter hanc unam diversitatem Virgiliani codicis Romani et fragmenti Sallustiani mira prorsus sit et quasi fraterna quaedam similitudo.“ Adde, quae sunt apud eundem pag. 12.: „Loquor autem de iis, quae ipse vidi, neque quicquam pertinaciter affirmo; quippe qui probe sciam quam lubrica sit fallaxque haec tota de antiquitate antiquissimorum codicum ratio.“

cuipiam videbuntur nimis tenuia, tum Aen. II, 787. *Iovae* pro *Divae*, et *Simonis* pro *Simois* XI, 257.; similiterque in Vaticano Aen. V, 803. *Simon* a m. pr. pro *Simoenta*. In eodem Vaticano bis terve legitur *fretu* pro *fremitu*; nec saepius in eo codice exstare hoc vocabulum videtur; unde probaverit fortasse aliquis hunc codicem scriptum esse fere Sidonii aetate, aut ex aliquo exemplari transcriptum, quod ea aetate exaratum sit; praeterea, quod est in eodem a m. pr. *Canosia* Aen. III, 115., argumento esse potest scriptum esse hunc librum eo tempore, quo nomen Canusii iam in recentiorem formam conversum fuerit.

Sed mittamus haec, idque, quod potius est, agamus. Cum Bottarium non eum esse intellexissem, cui satis fidere liceret, dudum optabam, ut invenirem, qui diligentius codicem Vaticanum excuteret. Incensum est etiam magis hoc desiderium, cum ea legi, quae supra scripsi Ritschelium iudicasse. Aperui igitur, quid vellem, Fr. Guil. Schulzio, homini et propter veteris consuetudinis memoriam mihi carissimo, (parvulum enim in disciplinam meam adduxerat pater, vir omnibus, qui eum norant, iucundissimus) et propter morum, ingenii, doctrinae elegantiam commendatissimo, et ad omnia officia cum aliis, iis maxime, quibus iter per Italiam facientibus opera eius uti contigit, tum mihi, quem adhuc eo, quo probi discipuli bonos magistros, amore diligit, praestanda paratissimo. Is cum vix accepisset, quas ad eum dederam, litteras, statim ipse codicem confert cum exemplo Bottariano tanta diligentia, ut facile credam ipsi asseveranti ne unam quidem litterulam aut virgulam a se esse praetermissam. Susceptam a Schulzio et ad Aen. IV, 309. perductam operam, cum ipse Romam ad

aliquod tempus relinqueret, excepit Schweersius, doctus homo Hannoveranae gentis, atque ita absolvit, ut Bottarium in extrema parte negotium suum melius gessisse intelligerem, quam in priore; quamquam hoc non ita accipi velim, ut meritis optimi viri, Schweersii, quidquam detractum velle videar. Iam autem conscripseram, quidquid de Orthographia Vergiliana dicendum mihi videretur, unius prope Medicei codicis auctoritate confisus. Quo maiorem laetandi mihi quae et fortasse ipsi Vergilio gratulandi causam habere me existimavi, cum vidi Vaticano ita cum Mediceo convenire, ut, etsi fieri non potuit, quin interdum in diversas partes discederent, ille, quae inveneram, prope omnia suo testimonio confirmaret. Quid mirum igitur, si etiam eius codicis, qui ab iis, qui in emendando Vergilio elaborarunt, Romanus appellatus est, similem collationem nancisci concupiscebam? Nam is iure quartum, si Fragmento Sangallensi secundum tertiumve assignare volueris, inter antiquissimos Vergilii codices tuetur locum. Oculis eum usurpaverunt Pierius et Bottarius; hic quidem farraginem variantium lectionum ex eo collectam adiecit supra laudato codicis Vaticani apographo, in quibus etsi sunt multae a Pierio praetermissae, haud tamen coniectura te fefellerit, si etiam plures proferri potuisse existimaveris; id quod iam a Schulzio meo comprobatum videbis. Qui cum accepisset gratissimum mihi futurum, si, quidquid esset in eo codice diversitatis, in meum usum exciperetur, non multo post indicem mihi misit omnis discrepantiae, quae in Bucolicis deprehenditur, diligentissime ab ipso confectum, promisitque, si reliquam eius codicis partem similiter pervestigari vellem, se id negotium, cum ipse administrare non posset,



idoneo homini commissurum. Sed qui Romae veteres libros in usum extraneorum conferunt cum exemplaribus typis expressis, tanti aestimant operam suam, ut philologi Germanici, qua fere sunt in rei familiaris tenuitate constituti, Tantalica sorte\*) contenti esse cogantur. Omnis autem Varietas Lectionis a Schulzio Schweersioque enotata extremae Praefationi a me subiicietur, ita quidem, ut etiam, quae a Bottario quippe iam prolata ab his silentio praetermissa sunt, uncis inclusa interserantur, contra ea fere omittantur, quae vel in ipsam Orthographiam Vergilianam illata sunt, vel dudum a me aut ab Heynio in Varr. Lectt. commemorata.

Ad Romani codicis aetatem qui proximus accedere videtur Palatinus, cuius quasdam lectiones adspersit suae carminum Vergilianorum et editioni et interpretationi Ambrogius, levissime ille quidem in ea re versatus, is et propterea, quod aperte ad recentiorem orthographiam inclinât, et quod a nullo diligenter collatus est, non habet in hac causa testimonii dictionem.

Ex his igitur potissimum fontibus, qui mihi ceteris in hac quidem causa limpidiore videbantur, petii doctrinam orthographiae Vergilianae. Sed ne forte plus promississe, quam effecisse, videar, non is sum, qui me illud praestitisse vel existimem vel profitear, ut res omnis a me expedita sit, nec quidquam restet, quod videatur incertum. Quid, quod vanissimum appellare haud dubito, qui eam se condidisse iacet doctrinam orthographiae Romanae, quae omni ex parte perfecta sit omnesque, ut Stoici loquuntur, habeat numeros. Fieri hoc posse concederem fortasse, si

---

\*) Liceat hoc uti homini Attalicis condicionibus non invidenti.

omnium scriptorum Romanorum eadem fuisset in eo genere ratio et consuetudo. Nunc ne is quidem, cuius librorum emendatissime scripta longeque antiquissima exemplaria habemus, ipsum dico Vergilium, qua usus fuerit, ita exploratum est, nihil ut relinquatur, quod in dubitationem et controversiam vocari possit. Multa sunt pro certis habenda, alia ita probabilia, ut, nisi ea secutus fueris, periculum sit, ne mendosa amplectare, quaedam ita dubia, ut consultius videatur morem sequi semel receptum. Quamquam quo signo quamque rem cognoscas, difficile est interdum dicere. Quo in genere, ut hoc unum hoc loco afferam, insigniter nuper lapsus est Vir Doctissimus, Guilielmus Freundius, qui cum in Prolegomenis Milonianae praemissis doctorum hominum decreta refutare studet, omnia exigit ad numerum exemplorum. Qui si rem diligentius quaesisset, quo est acumine ingenii, facile vidisset in restituenda veterum scriptorum orthographia saepe non ea sequenda esse, quae crebrius legantur, sed ea, quae obiiçantur rarius. Multis enim in rebus factum est, ut librarii, dum pleraque ad suam accommodant consuetudinem, pauca reliquerint veteris manus vestigia \*). Cui plus fidei habendum censes, Quintiliano, testi oculato, an librariis? Tamen in nullo codice, quantum quidem constat, vocabulum *caussa* geminata altera consona exaratum invenitur,

---

\*) Meminerint velim lectores collectae nuper in Diariis Darmstadiensibus (*Zeitschrift f. d. Alterthumswissensch.*) ex codice Sallustii longe recentissimo variae, quae dicitur, lectionis; quo in codice uno loco, in ipso quidem primo vocabulo belli Catilinaris, retenta est antiqua accusativi pl. III. Decl. forma, praeterea ubique a librario oblitterata; ut ex ea ipsa re de cuiusque libri ms. aetate recte conici posse videatur. Vid. etiam Kritz. ad Sallust. Cat. I, 1.

quamquam ita Vergilium scripsisse, ut auctor est Quintilianus, ipsa eius manus docebat.

Sed si quis iam quaeret ex me, num antiquam orthographiam in usum communem revocandam existimem, plurima a nobis mendose scribi fateor, addo etiam, qui accuratam linguae Latinae notitiam parare sibi velit, eum debere veteris orthographiae rationem perdiscere, idem tamen nolim cuiquam auctor existere, ut illam ipse in scribendo sequatur. Mutanda erunt fortasse quaedam consuetudinis vitio pervulgata, si vera ac genuina verborum facies neminem possit offendere. Alia autem sic abhorrent a nostro usu, ut plerique vetera vitia retinere malint, quam uti inventis melioribus; quique ex recentioribus philologis ad veriore orthographiam se applicaverunt, ne inter suos quidem, ipsos dico philologos, multos invenerunt, qui hoc consilium probarent, pauciores etiam, qui sequerentur. In eiusmodi autem re ne illorum quidem iudicium negligendum iudico, qui, cum non sint philologi, multum tamen Latinis litteris utuntur; quorum numerum si compares cum numero illorum, inter centenos vix singulos reperies philologos. Dandum est igitur aliquid illi multitudini, eoque libentius, quod nec, si philologi omnes pro reducenda vetere illa orthographia coniurent, aequum ineant cum adversariis suis certamen, non rationes in ea causa et argumenta, sed usum et consuetudinem audientibus, nec commovendus est eorum risus, qui eam putant philologorum nationem, quae pugnans de lana caprina salutem generis humani ex eventu eius pugnae pendere opinetur. Sed erit fortasse, qui miretur me, quod dissuadeam, id ipsum tamen fecisse in nova hac Vergilii editione. Ferimus scilicet atque etiam, veluti nobilem illam in vetustis

nummis ferruginem, probamus antiquas verborum formas apud Ennium, Plautum, alios. Vergilius autem, qui multa a barbatis illis ad suum usum transtulit, amator erat vetustatis in eaque re haud exiguam partem gravitatis, qua excellunt eius carmina, positam arbitrabatur; quamquam prudenter ista sic temperabat, ut fastidiosis aequalium suorum auribus non essent molesta. Multa praeterea, nobis quae videntur antiquiora et paene obsoleta, eo, quo Vergilius fuit, tempore trita erant et communia. Haec quoque si abstergeris, ne umbram quidem relinques illius vetustatis, quae, ut in bonis vinis magni aestimatur, sic commendare Vergilium iure creditur; extinctoque illo, qui est huius poetae proprius, colore ab antiquitate ducto rem eo adduces, ut, qui harum rerum sensum quendam habeat acrem et quasi subactum, Vergilium sibi videatur in Vergilio quaerere. Iam cum is sit scriptor Vergilius, cuius veram manum multo facilius restituere liceat, quam ceterorum, operae pretium facturum mihi videbar, si, quantum in ea re proficere possem, experiendum mihi statuerem. Quod quomodo mihi cesserit, alii viderint; mihi satis erit, si nec labori perperissem, qui fuit in eo negotio paene infinitus, et plura rectius, quam secus disputasse iudicabor. Ceterum si non omnia, de quibus aliquid dici possit, vocabula me persecutum videris, cognosces antiquam eorum formam ex ipsorum, qualis in hac editione exhibetur, conformatione.

Constitueram autem omni hac de orthographia Vergiliana quaestione iam tum, cum Vergilii carmina primum a me recensita ederem, ita uti, ut verba poetae ad ipsius consuetudinem revocarem. Mutati deinde consilii causas exposui in Praefatione Volumini primo

praemissa pag. XIX. Sed cum plurima ad rem orthographicam spectantia Notis, quibus eam editionem aucturus eram, iam intulissem, factum est, ut multa oculos meos effugerent et in sua sede remanerent; accedebat, quod multis locis in re critica recte versari non licebat, si hanc quaestionem omnem intactam relinquere voluissem. Itaque cum hanc novam adornarem Vergilii editionem, admiratus sum saepe numero, quantum Notarum ad eam rem pertinentium complecteretur illa superior. Primo stomachabar, quod, ne quid deesset novae editioni, tantum crambes his coctae esset apponendum. Sed per mihi opportune accidit, ut Redemptor operis, Vir Honestissimus, hanc editionem cum superiore coniunctam eiusque quintum Volumen esse vellet. Haec res etiam id habuit commodi, ut amplissimus Index rerum ab Heynio tractatarum, quem ante Lexico Vergiliano adicere statueram, quoque aegre emptores quartae editionis carere intelligebam, huic Volumini adiungi posset, itemque Recensus Parergorum, quae Heynius appellat, quem iam nimis diu desiderant, qui editionem illam splendidior, ingenti elegantissimarum figurarum numero condecoratam, sibi compararunt. Hoc autem ut ita fieri vellet Redemptor, duas potissimum habebat causas, ut et omnia, quae ego ad Vergilium exponendum contulissem, una editione comprehenderentur, et, cum quarta editio Vergilii Heyniani, quamvis impudenter ab homine, cuius nomen tacere praestat, nimis illo quidem suarum rerum inopi, expilata, plurima tamen retineret bona propria, etiam hic tamquam cumulus illis accederet.

Sed ad Lexicon Vergilianum, de quo supra mentionem feci, ut redeam, ita iam mutata est rerum con-



dicio, ut, abiecto vetere consilio, id *Lexicon* non huic Vergilii editioni subiungere, sed separatim edere placeat; quamquam susceptum in hac causa nomen num ullo tempore mihi liceat ipsi exsolvere, adeo incertum est, ut hoc negotium si quis inventus fuerit qui sibi imponi patiatur, in eum libenter transferam. Quare qui erunt ad eam rem idonei, eos non solum, ut id mihi significant, rogatos volo, sed etiam promitto re consilioque me, quantum potero, operam eorum adiuturum.

Sequitur iam index Variantium Lectionum ex Fragmento Vaticano, ex codice Romano et ex particula codicis Medicei adhuc desiderata collectarum.

### CODEX VATICANUS.

Ge. III, 9. HUMO serius supra scriptum. — 20.

A  
CESTU. — (147. QUOL. —) 153. .... UNO. —

C  
154. ARIOR; supra scripta C videtur ab ipso, qui hunc codicem exaravit, librario profecta. — (163. STUDIA. —

L  
167. CIRCOS. —) 175. ULVASQUE, sed S puncto notata et M a manu antiquissima supra scripta. — (176.

R C  
CAPES. — 177. MULTRARIA. —) 183. BELLA TAN-

A SS C  
TUM. — (190. OCCEPERIT. — 193. TUM. —) 211.  
BOVOM, sed altera O a manu antiquissima transfossa. —  
292. IU VAT EIRE. — 297. In Vat. sic scriptum est:

m  
IN  
DURA .. STIPULA, atque IN quidem ipsi librario debetur, quattuor puncta autem cum litera m multo posteriori

## V

aetati. — 300. **IBEO**. — (309. **QUAM** etiam Vatic. —

## A

312. **CINYPHI** — **HIRQUI**. — 316. **IPSE MEM.** —)

324. **LUCIFERO**, sed antiqua manus litteram O cum I commutavit. — (329. **AT PUT.** — **AD STAGNA.** —

## S

337. **ROCIDA.** —) 339. **LIBYAE**; falsus est ibi Bottar. —

## N

344. **ARMENTARIUS**, sed et N et duo puncta posterius sunt adiecta. — 345. **AMYCLEUM** ap. Bottar. in Emen-  
dandis p. 169., sed ap. Schulz. **AMYCLAEUM**, qui di-  
serte scribit errasse Bottarium.

IV, 110. **CUSTUS**, altera U posterius in O mutata. —

## M

## M

(117. **PRORA** . — 119. **PESTI**. — 122. **COMANTI** . —)

## E

155. **AT**, A transfixa. — Versus 169., evanida exstincta-  
que vetere scriptura, supra scriptus est. Ex veteribus  
litteris solae primae primorum verborum apparent. Quare  
incertum est, num **FRAGLANTIA** ab eo ipso, qui hunc

## :BI

codicem exaravit, scriptum fuerit. — 479. **INAMALIS**

## E

**UNDA**, et litterae et puncta adiecta posterioris sunt ma-  
nus. — 480. **NOVIENS**, sed paenultima littera ab anti-

## O

qua manu transfossa. — (481. **LAETI**, o est recentis  
manus. —) 483. Hunc versum in ipso exemplari omis-  
sum alia manus recentior inseruit. Ceterum **TENUITQUE**,  
quod etiam Bottarius habet, scriptum est. — (484. **IXIO-**  
**NEI.** —) 486. **EURYDICE**, non, ut est apud Bottar.,

## H

**EURYDICES.** — 491. **EU**, adspiratio non ab ipso, qui

hunc codicem exaravit, sed tamen ab antiqua manu est

## D

adiecta. — 495. CRUELIA, D non a prima, sed tamen antiqua manu adscripta. — 525. sq. „VOLVERET EURYDICEN ANIMA FUGI .....“. Deest altera pars vs. 525.: *vox ipsa et frigida lingua*, et prior vs. 526.: *A miseram Eurydicen*. Quae enim apud Bottar. supra scripta visuntur, „VOX IPSA ET FRIGIDA LIN ...“, recens manus saeculo, ut Schulzio videtur, XV. appinxit. — 546. LEVISES, prima littera in R mutata, fortasse saeculo demum XV.

Aen. I, (192. ABSTITIT. —) 193. NAVES, non, ut est apud Bottar., NAVIBUS. — (200. SCYLLEAM. —)

## A

201. CYCLOPE, A supra scripta ab antiquissima manu. — (203. ET deest. —) 212. FRUSTRA, R et transfossa et puncto notata ab antiquissima, ut videtur, manu. — (VETERIBUS, sed altera syllaba punctis notata. —) 224. IACENTIS. — (225. LYBIAE. —) 235. Praepositio A supra scripta ab eadem, quae hunc codicem exaravit, manu. — (236. DICIONE. —) 246. PRERUPTUM,

## OR

litterae OR saeculo fortasse XV., ut videtur Schulzio,

## S

supra scriptae sunt. — 252. DIUNGIMUR, S supra scripta prope eiusdem aetatis, cuius est ipse codex, Schulzio vi-

## IN

detur; item IN proximo versu, ubi est NOS SCEPTRA. — 267. QUO NUNC NOMEN, in primo voc. litteris Q et O transfossis supra scriptae sunt C et I, ut fiat CUI; initio tertii voc. haec supra adiecta sunt: COG. Correxerit haec omnia satis antiqua manus. — 268. ILIUS,

## S

altera I posterius transfixa. — RESTITIT, S est manus

posterioris, quae etiam **STITIT** in **STETIT** mutavit. —

#### AD

420. **SPECTAT**, praepositio ab antiqua manu adiecta. —

422. **ÄSTRA**, in margine **STRATA**, et puncta et voc. **STRATA** multo post ipsum codicem exaratum apposita sunt. — 428. **LOCANT**, quod in margine, saeculi est **XV.**; in ipso versu **IMMANISQUE**, non **IMMANESQUE**. —

432. **FETUS**. — (436. **FLAGRANTIA**. — 441. **UMBRA**. —) 448. Non **NIXAE** est in codice, ut Bottario videtur, sed **NEXAE**; vidit Schulzius vestigia lineolae transversae, qua **E** ab **I** distinguitur. — 450. **IN** supra scriptum antiquum est quidem, sed, ut videtur, non ab eo, qui ipsum codicem exaravit, adiectum. — (458. **ACHIL-**

#### N

**LEM**. — 459. **LACRIMAS**. — 463. **METUS** etiam **Va-**

#### S

**tic**. — 468. **FRYGES**. —) 469. **RHESI**, **S** supra scripta ipsi codici aetate par videtur. — 476. **ANANI**, saec. **XV**.

#### U

mutatum in **INANI**. — 477. **HIC**, **U** ab ipso librario

#### A

supra scripta. — (479. **AEQUE**. — 501. **DEAS S**. —)

503. **FERAT**; lineola, quae apud Bottar. visitur, non est in cod. — 508. **HAUT**, **T** posterior manus in **D** mutavit. — 513. **OPSTIPUIT**, sic, non **OPSTICUIT**. —

#### S

518. **CUNCTI**, **S** ab ipso librario adiecta; et punctum est post **VENIANT** apud Bottar.; in Mediceo punctum est et post **VENIANT** et post **CUNCTI**. — 590. Punctum, quod est post **CAESARIEM**, ab alia manu adiectum. —

#### L

598. **RELIQUIAS**, **L** supra scripta a manu posteriore. —

#### H O

599. **EXAUSTIS**, litterae **H** et **O**, ut etiam lineola, qua

**I** transfigitur, posterioris sunt manus. — 601. **EST EST** **NOSTRAE**, alterum **EST** posterior manus tribus punctis ut. delendum notavit, eademque **EST** extremo versui adiecit. — (664. Punctum est ante **SOLUS**. — 665. **PATRES** et **TEMNES**, utrumque a m. pr. —) 668. **IACTE-**

## Q

**TUR**, **Q** serius est additum. — **IUN. ACERBAE**, posterior manus delevit **ACERBAE** et in margine scripsit **INIQUAE**. — 670. **NUNC**, posterior manus delevit prius **N** et **H** in margine posuit.

**II**, 171. **DEDIET**, **E** multis saeculis post, ut Schulzio videtur, transfossa et puncto notata. — (182. **OMINA**

## L

etiam Vatic.; item **POSSIT** 187. —) 188. **RELIGIONE**, supra posita **L** antiqua est quidem, sed alio atramento scripta. — (195. **IINSIDIIS**, quod vidit etiam Schulzsius, et **PERIURIQ.** —) 197. **CLARISSAEUS**, **C** transfixa a

## R

manu posteriore. — (**ACHILLIS** ibid. —) 261. **DIVUS**, **R** littera et lineola, qua **V** transfigitur, posterioris sunt manus. — **ULIXES** codex, non **ULYXES**, ut est apud Bottar. — 262. Vocabuli **FUNEM** extat altera syllaba **NEM**. — 275. **ACHILLEI**, posterior manus transfodit

## A

litteram **E**. — 290. **ALTO CULMINE**, praepositio **A** non est a manu ipsius librarii. — 291. **PRIATRIAE**, transfossa ab ipso, ut videtur, librario altera tertiaque littera. — 296. **VESTRAMQUE**, **R** ab antiqua manu transfixa. — 441. **ATRA** quattuor punctis notatum; sed et haec et supra scriptum **ACTA** manus sunt multo posterioris. — 443. Verba **AC TELA** posterior manus su-

## HIS

pra scripsit. — 446. **SE**, **HIS** posterius supra scriptum, item vs. 448. **ALTA**. — 459. **IRRITA**, quod falso supra

**INERTIA** a Bottario positum, multo post codicem exaratum in margine scriptum est. — 460. **TURREM**. — 679. **REPLERAT**, altera **R** posterius in **B** conversa.

**III, 6. FONTIBUS** videtur primo scripsisse librarius. — (19. **DIONEAE**. —) 26. **DICTUM**, **M** singulis punctis infra supraque positis antiquissimo iam, ut videtur Schulzio, tempore notata. — (28. **LINQUUNTUR**, sed

**R**

**N** duobus punctis notata. — 31. **RUSUS**, **R** manus est posterioris; omissem hoc, nisi viderem infra vs. 143. eodem modo scriptum. — (79. **ACCEPIT**. — 80. **ASINIUS**, syllaba **SI** punctis notata. — 82. **ADGNOVIT**,

**L**

ut semper, non **AGN**. —) 87. **RELIQUIAS**, altera **L** posterius addita. — 90. **ERAT**, posterior manus puncto notavit litteram **T**, adiecitque lineolam transversam, qua significaretur **M**. — 93. **ET** ab alia manu supra scripta. — **AURIS**, non **AURES**, ut est ap. Bottar. — 99. **MIXTO**, non **MISTO**, ut ap. eund. Bottar. — 101. **ERRANTIS**. — 115. Antiqua scriptura fuit **CANOSIA**, hamus, quo **G** ex **C** factum, et puncta, quibus notatur proxima littera, **A**,

**S**

manum aperte produnt posteriorem. — 117. **CRAETEI**, sic, **S** videtur ab ipso librario adiecta. — 118. **MACTA-**

**V**

**BIT**, **B** puncto notata, **V** supra scripta ab admodum vetusto correctore; ex illa lectione ortum videtur, quod est apud Nonium et Macrobius **MACTABAT**. — 122. **IDOMEA**, syllaba **NE** supra scripta manus est posterioris. —

**A**

123. **VACERE**, **A** est a posteriore manu profecta; atque haud scio, an **VACERE** antiquum fuerit verbum, quod Lucretianum illud **VACEFIERI** probare videatur. —

(126. OLLARUM. —) 133. TAETAM ipse librarius videtur in LAETAM mutasse. — 137. DABAMT S., sic. — 142. AREBANT, falsus ibi Bottar. — NEGABAT posterior manus. — 146. TEMPTARET, altera T puncto notata et transfossa ab ipso, ut videtur, librario. — (151. MANIFESTI. — 154. ORTHYGIAM. —) 157.

## D

TUMETUM, littera T transfixa; et vetus est emendatio. —

## S

## CUM

(CLASIBUS. — 165. OENOTRI. —) 177. VOCE, CUM

## N

non videtur ab ipso librario adiectum. — 180. PARETIS. —

## AD

186. QUIS HESPERIAE, AD a librario additum. — 198. UMIDA. — 206. Verba MONTIS AC ab antiqua manu sunt supra scripta. — 210. Hic versus non multo post exaratum codicem adiectus videtur. — 212. HARPYIAE; falsus est Bottar. — 215. Non post PESTIS, sed post DEUM est punctum. — 303. ANDROMACHEN,

## N

extrema littera est punctis notata. — 319. PYRRI et 320.

## ET

VULTUM DEUMISSA, quae supra scripta sunt N atque ET, forma litterarum nihil discrepant a reliquis; sed haec ipsa prope evanuerunt, illa contra atramenti vigorem servarunt. — 322. HOSTILE. — 325. VECTI, litterae AE manus sunt posterioris. — 329. HABENDA. —

## E

341. PUEROST, E supra scripta antiqua quidem, sed non ipsius librarii manu. — 661. Verba *de collo fistula pendet* eius sunt formae, qua saec. XI. et XII. Itali utebantur; quibus typis ea exprimenda curavit Bottar., ii

## V

plane abhorrent a veritate. — 663. FLUIDUM, V supra

scripta antiqua quidem est, sed ipso codice recentior. — 665. **FLUCTURLATERA**, **R** transfixa et puncto notata fortasse ab ipso librario. — 667. **SUPPLICI**. — 669. **VO-**

**S**

**CI**, **S** posterius addita. — 670. **ADEXTRAM**, prima littera transfossa a manu posteriore; videri igitur librarius potest hoc ipsum in eo codice invenisse, quem describebat. Ex antiquissimo hoc vitio, quod ex eo natum probabile est, quod vetus librarius praepositione **AD** ex proximo verbo **ADFECTIONARE** repetita scripserat **AD DEXTRAM**, ortam credas multorum codicum lectionem **DEXTRAM**. —

**I**

671. **POTES**, **I** a posteriore manu supra scripta. — 672. **TOLLIT** multo post supra scriptum. — 681. **CON-**

**A**

**O**

**STITERUNT**, **A** ab alia manu supra scripta. — 685. **LETI**, **O** multo post supra scripta. — (687. **AB** etiam **Vatic.** — 689. **TAPSUM**.)

**IV**, 2. **IGNE** manifesto legitur in codice; sed non ulitur ea forma **Ablativi** huius nominis **Vergilius**, nisi ubi

**R**

metrum cogit. — 6. **POSTEA**, **R** posterior manus addi-

**M**

dit. — 7. **DEMOVERAT**. — 9. **INSONIA**, **M** posterius adiectum. — 10. **DE SEDIBUS**, **DE** litterae ab antiquissima manu transfossae sunt et punctis notatae. —

**A**

11. **QUEM**, **E** transfixa, **A** eiusdem fere aetatis est, cuius ipse codex. — 17. **DECEPTRA**, **R** ab antiqua

**N**

manu transfossa et puncto notata. — 18. **FUISSET**, sic cod. — 19. **FORSITAN**, litterae **IT** punctis a manu, ut videtur, antiquissima notatae. — **SUBCUMBERE**. —



20. SYCHAL. — (24. OPTEM DIMITTERE, puto ex Aen. V, 29.; ipsum autem DIMITTERE linea transversa deletum. —) 25. ABIGAT. — 29. SEPULCHRO, H paulo post exaratum codicem transfixa. — 32. S. PEPER-

A V  
TUM MERENS C. IUENTA, R et M litterae in PERTUM transfossae, M etiam punctis notata; omnia au-

A  
tem satis antiquo tempore correctae. — 34. AMNIS, A supra scripta et linea, qua prima littera transfoditur, et lineola, qua I in E mutatur, posterioris sunt manus. —

CON  
(39. IM MENTEM, vidit idem Schulzius. — SEDE-

A  
RIS. —) 40. GETULAE, A supra scripta posterius. —

M  
(43. BARCHAEL. —) 54. IMPENSO et O in U conver-

LE  
R  
titur; satis antiqua utraque emendatio. — 58. FUGIFERAE, R litteram antiqua manu supra scriptam, sed admodum evanidam, non vidit Bottarius; syllaba LE multo est recentior. — 59. OMNIS. — 61. CANDENTES. —

E  
(65. MENTIS. — 74. AENEAN. —) 82. AMARET, primam A antiqua manus expunxit. — Versus 93—120. alia adscripsit manus litteris minutis Longobardicis, qualibus saec. XI. et XII. utebantur Itali:

(94. *num*, i. e. *numen*. — 98. *certamine tanto*, ut ceteri codd. — 103. *Frigio*. — 112. *federe*. — 116. *Quo fieri*. — 120. *Is*.)

244. sq. Versus 244. in ordine legitur; falsus igitur Bottarius. Contra versum 245., qui, cum ceteri eiusdem pagellae versus manci sint in fine, integer est, posterior manus in calce adscripsit litteris quidem maiusculis, quas

vocant, sed non tam grandibus, quibus usus est is, qui ipsum codicem exaravit. — 286. Hic versus ab eadem

## SRE

manu scriptus est, qua vs. 245. — 294. **QUIBUS**, litterae **SRE** multo post supra scriptae sunt. — (297. **EXCIPIT**. —) 298. **FAMA**, quod omisit librarius, eadem manus, cuius ad vs. 245. mentionem fecimus, in marginem coniecit. — 302. **THYAS**, difficile est dictu, quae littera exciderit; ipsa quidem forma **S** prodere videtur. —

## NT

**STIMULA**, litterae **NT** antiquae sunt, sed novum atramentum iis inductum. — (**TRIETHERICA**. —) 309. **MOLIRISIDERE**. — (443. **IRUERE**. —) 447. Verba **ATQUE HINC** omissa a librario posterior manus supra scripsit. — 458. **MISERO**, litteris **SE** a posteriore manu deletis. — 469. Vocem **DEMENS** a librario omissam supra scripsit manus posterior. — **OSTENDERE**; errat Bottarp. 177. — 471. **AGAMEMNONEIUS**, altera **E** puncto

## O

notata. — 479. **EME**, i. e. **EO ME**, **O** posterius addita. —

## MIHI

483. **HINC MASSYLEAE**, prior **E** in tertio voc. transfossa et puncto notata a manu posteriore. — 490. **MOVIT SAMNIS**; quae emendatrix manus supra scripsit **CIET MANES**, fortasse **XV**. demum saeculo adiecta sunt. — 496. **EXSUVIAS**. — 497. **INPONANT**. —

## V

(498. **MONUMENTA**. —) **IUAT**, **V** paulo post exaratum codicem videtur supra scripta; cf. vs. 660. — (502. **CONCEPIT**. —) 506. **CORONANT**, littera paenultima

## A

et transfixa et puncto notata. — 513. **MESSE**, **A** ab

## U

ipso librario adiecta. — **QUAERANTUR AENEIS**, **U**

fortasse XV. demum saeculo supra scripta. — 562. SPE-

## H C

RARE. — 565. IN PRAECEPT, emendatio a manu  
facta longe antiquissima. — 566. TURBARE. — 573.  
CONSEDATE, vidit etiam Bottar. — 576. INSTIMU-  
LATI, sic. — 577. PAREAMUS, altera A transfossa. —  
578. ADSIS O., non ADSIS. O PL. — 652. EXSOL-  
VITE; dubitare tamen licet, an ENSOLVITE scripserit

## V

librarius. — 653. F. PERECTI, sic. — 660. IUAT, V  
ab ipso librario adiecta videtur. — 663. ILLA, linea,  
quae est super A, admodum recentis est aetatis. — 665.  
ET CLAMOR, nihil est in his mutatum, ut videtur Bot-

## IS

tario. — 669. IMMISSA, A transfixa; omnis haec emen-

## ARAE

datio recentioris est temporis. — 676. IGNESQUE P.,  
omissum ARAE multo post additum. — 678. SPRAE-  
VISTI, sic. — 681. Post POSITA non cernitur punctum,  
quod est apud Bottar.

V, (112. TALENTA. —) 116. QUATTUOR, al-  
tera T puncto notata. — (126. CHORI. —) 127. IAM-  
MOTA, A in IAM transfixa et puncto notata. — 132.  
LONGA SORTE, posterior manus G in C mutavit. —  
134. IUENTUS, supra scripta V, quod et propter litte-  
rarum diversam formam, et propter IUENTA, quod bis  
supra similiter correctum deprehenditur, non putavi silentio

## CTA

transeundum. — 137. EXSPENT, litteras CTA posterior

## MI

manus addidit. — (141. ABDUCTIS. —) 148. FRETU,  
syllaba MI multo est recentior. — 152. FRETUMQUE. —  
154. ALEQUO, L transfossa. — 156. NUNC PRAE-

**TENENT**, hinc posterior manus additis, quae addenda erant, et correctis, quae corrigenda, fecit **NUNC VICTAM**

**ISS**

**PRAETERIT INGENS.** — 786. **TRAXERE**, puncta, quibus syllaba **RE** notatur, antiqua sunt, at litterae supra scriptae **ISS** saeculi sunt XV., aut etiam posterioris. —

**L**

787. **RELIQUIAS**, **L** Schweersio videtur ab ipso librario **TA**

supra scripta. — 803. **SIMON**, syllabam **TA** adiecit inpingeret

manus antiquissima. — 805. **INMITTERET**, verbum supra scriptum est saeculi XV., aut etiam posterioris. —

**E**

806. **MILIA.** — 809. **AENEAN.** — 810. **RIPUI**, **E** a manu antiquissima addita. — 812. **TIMORI.** — (814. **QUAERES.**)

**VI**, (37. **POSCIT** etiam Vatic. — 44. **VOCIS** in **N**

cod. repperit Bottar. —) 48. **ADHELUM**, **D** transfossa punctoque notata, et **N** supra scripta ab ipso librario. —

**A**

(219. **UNGUNT.** — 228. **CORYNEUS.** —) 235. **SE-**  
**CULA**, **A** manus posterior supra scripsit. — 239. **VO-**

**A**

**LINTES**, recenti aetate emendatum. — 240. **PINNIS.** —

**I**

253. **SOLIDAMPONIT**, i admodum recenti tempore supra scripta. — (254. **SUPERQUE.** —) 255. **LIMINA**, falsus est Bottar. — 259. **CONCLAMANT**, altera **N** transfixa et puncto notata. — **ADSISTITE**, sed litterae **D** altera **D** ita est imposita, ut geminata efficiat formam litterae **B**. — (263. **AEQUATIS**, vidit etiam Schweers. —

item 266. **NEFAS**, deleta priore syllaba. —) 270. **IN-**

## A

**CERTUM**, A ipse librarius videtur supra scripsisse. —

## A

393. **LOCU**, A posterior manus supra scripsit. — (398. Deest **QUAE**. — **FATASEST**, priore S transfossa et puncto notata; videtur librarius scribere voluisse **FATAST**, ut solebant antiqui. — 399. **HINC** a m. pr. —) **MOVE-REI**, altera E transfixa et puncto notata. — (410. **PUPPIM**. —) 418. **INMANIS**. — 495. **VIDET LACE-**

## A

**RUM**. — 500. **ALTO SANGUINE TEUCRU**. —

## A

501. **OPTAVIT**, A posterius supra scripta. — 513. **SUP-  
PREMAM**, sic crebro antiquissimi codices. — (514. **NE-  
CESSEST**; vidit hoc etiam Schweers. — 519. **SUMMAM**  
a m. pr. —) 524. **EMOVET**, sed mutatum in **AMOVET**. —  
(538. **EST** habet Vatic. —) 542. **HAIC** scripsisse libra-

## T

rius videtur. — **AD**, T a recentissima manu addita. —  
(547. **TORSIT**. —) 557. **EXAUDIRE**, sed ultima littera

## U

in I videtur mutata. — 559. **HAESIT**, E transfixa et  
puncto notata; videtur omnis haec emendatio ab ipso librario  
profecta. — 591. Quae altera manus in hoc vs. appinxit,  
recentia sunt et saeculo XV. deberi videntur. — 595.

## AR

**OMNIPOTENTIS**, litterae **AR** sunt aliquanto recentio-  
res. —

## S

(602. **QUOD**. — **CADENTIQUE**. —) 614. **IN-  
CLUSI**, mendosum est, quod apud Bottar. legitur. —

## O

(618. **FLEGYASQ**. —) 620. **DIBUS**, B transfossa et  
puncto notata; correctio a manu posteriore profecta. —  
626. **COMPRAEHENDERE**, A transfossa et puncto no-

tata ; sed Bottarius CONPR., non COMPR., in codice  
exstare testatur. — (627. POSSIM etiam Vatic. —)

O

638. LUCOS, O paulo recentioris manus. — VIRECTA,

O

C lineola perfoditur. — 640. CAMPUS, O posterioris est  
manus. — AET LUM., A transfossa et puncto notata. —

U

(645. THRAEICIUS. —) 653. CURRUM, U supra picta  
Bottario recentis esse manus, Schweersio ab ipso librario

NA

ACA

addita videtur. — 657. PAENENTIS, litterae supra scri-  
ptae ACA sunt antiquae, contra NA recentissimae. —

ON

667. MAEDIUM, A deleta. — 679. CUM. VALLE., sic;  
litterae ON sunt admodum recentes. — Ceterum quod  
plurima huius paginae verba punctis inter se distincta scri-  
bit Bottarius p. 183., non vidit vir optimus eas esse ma-  
culas ex opposita imagine conceptas. — (699. RIGAE-  
BANT, E et N punctis notatae. — PARS, littera S  
puncto notata. —) 721. CUPIDO EST, litterae O EST

E

ST

punctis notatae. — (725. LUNA . —) 730. EOLLIS,  
emendatio ipsius librarii. — (733. NEQUE. — 735. SUP-

O

PREMO. —) 741. VENTUS, emendatio, ut videtur, ipsius  
librarii. — (742. SCELUS ADQUE. —) 746. CON-

M

A

CRETA , M est posterioris manus. — 747. AURE, A  
ipse librarius videtur adiecisse. — 862. FORMAM, ultima

ON

littera puncto notata. — 863. FRAUS, litteris AU trans-  
fixis; emendatio, ut videtur, ipsius librarii. — 866. QUIS

VERGIL. TOM. V.

c

**TREPIDUS**, multo recentior manus inde fecit **QUIS STRE-**  
**PITUS**. — (869. **NATE**. — 870. **NEQ**. —) 883. **HU**,  
**QUAM**  
 emendatum ab ipso librario. — 889. **POST** , **QUAM**  
**N**  
 a manu posteriore additum. — 891. **EXIM**, **N** admodum  
**T**  
 recens. — 893. **E** , **T** ab ipso librario adiecta.

## P

**VII**, 8. **ADSIRANT**, **P** videtur saec. **XV**. super-  
 addita. — 9. **SPLENDENT**, littera paenultima transfixa  
 et puncto notata. — (16. **CRUDENTUM**, **C** transfossa. —  
 39. **ADPULIT**. — 41. **MONE O DICAM**, **O** littera, quae

## N

est ante **DICAM**, transfossa. —) 46. **IM PACE**, **N** re-  
 centior manus supra scripsit. — (182. **QUI**. —) 188. Hic  
 versus, in ipso ordine omissus, in margine inferiore est ad-  
 iectus, additis signis, quae suum ei attribuant locum. —  
 191. **ISPARSIT**, **I** transfixa et puncto notata. — (208.  
**SAMUM**. — 240. Interpunctio est in Mediceo, nulla in

## IT

**Vatic**. —) 242. **THYBRIM**. — 254. **VOLVENS**, litterae  
**IT** admodum recentis sunt manus. — 255. **HUNC**, non

## A

**HINC**. — 258. **QUI** . — 259. **INCEPTA**, non **IN-**  
**EGI**

**COEPTA**. — (262. **DERIT**. —) 267. **RIVI**, litterae  
 supra scriptae sunt manus recentissimae. — 298. **EX-**  
**SATURATA**, quod propter Bottar. monendum. — (302.

## NA

**SYRTIS**. — 307. **LAPITHIS**. —) **CALYDO MEREN-**  
**TE** , et linea et litterae **NA** ipsius librarii calamo deben-  
 tur. — (308. **NIHIL**. —) 311. **Q·OD USQU** **EST**, haec

omnia posterioris sunt manus. — (320. **PRAEGNĀS**, vi-

I

dit etiam Schweers. —) 450. **ANGUS**, correctio ipsius librarii. — (451. **RAPIDO**. —) 452. **EFFECTA**, C transfossa et puncto notata. — (458. **SOMNŪS INGENS**, vidit etiam Schweers. — 492. **NOCTE R...**, R puncto notata. — 493. **HANC**. —) 495. **VIRIDANTE L...**, illita huic paginae alba chartula obductae sunt extremae syllabae singulorum versuum. — 497. **DEREXIT**, posterior manus primam vocalem in I mutavit. — 507. Non interpungitur in ipso codice post **REPERTUM**. — (508. **TYRRHUS**. — 595—97.: „Hi tres versus antiqua quidem manu, sed minore caractere appositi erant in margine superiore huius paginae.“ Bottar. —) 599. **FELICIS**, S transfixa et puncto notata. — 605. **HYRCANISQUE**, sic, priore I transfossa et puncto notata. — 614. **CETERA**, non **CAETERA**, ut est apud Bottar.; item 615. **ADSENSU**, non **ASS**. — 633. **CRATEIS**, E perfossa et puncto notata. — 634. **UT LEVIS**, UT in **AUT** mutavit multo recentior manus. — 636. **ENSIS**, non **ENSES**. — (638. **TREMENTIS**. —) 639. **AEQUOS**, A

N

transfixa et puncto notata. — 641. **MOVETE**, N est admodum recens.

E

VIII, 71. **UNDE SIT**, I puncto notata; videtur ipsius esse librarii emendatio. — 74. **MISERANTE**, adiecta linea videtur manus esse recentissimae. — (84. post **AENEAS** punctum. —) 87. **IN UNDA**, IN transfossum punctisque notatum. — (90. **RUMORE** Vatic. —) 96. **VIRIDIS**, non **VIRIDES**. — (98. **AC** etiam Vatic.).

S

IX, 37. **ET CANDITE**, ipsius librarii emendatio. —

c \*



## MI

38. OMNIS, non OMNES. — 54. FRETUQUE, recensior emendatio. — 56. SĒ DARE<sup>SE</sup>, haec ita correxit<sup>U</sup>

manus posterior. — 65. MOROS, recentissima emendatio. —

## L

67. TEMPTET, non TEMTET. — 67. QUA VIA CAU-  
OR

SOS, L adiecta ab ipso librario. — 68. AEQUM, OI est posterioris manus. — 120. IMA, non IAM. — 122. SED, D transfixa et puncto notata. — 123. OBSTI-

## E

PUERE; bis lapsus h. l. Bottar. — 128. IPSO, O transfixa; emendatio posterioris manus. — (133. NIHIL. —)

## I

140. PERISSEI, extrema I transfossa et puncto notata. —

## U

141. PEROSOS, U est manus recentissimae. — 143.

## A

## A

DISCRIMINE PARVO, ipse librarius videtur ita emendasse. — 144. VIDERUNT; erravit Bottar. — (146.

## I

QUI. —) 151. PALLADI, emendatio librarii. —  
summe

## I

(LATE. —) 155. DECUMUM, I ab ipso librario profecta Schweersio videtur. — 158. ES ET P., ES transfossum

## B

et punctis notatum. — (161. VIS. —) 209. IUPPITER. —

## U

216. NE, U a posteriore manu addita. — (222. Interpungitur apud Bottar. post RELICTA, non post VICES. —)

224. TcETERA, prior T puncto notata, littera minuta c

## I

posterius addita. — 225. OBLATA, prior A est trans-

fossa. — (517. LATE MURORUMQ. — 518. CURRANT. —) 521. VISUM, M transfixa et puncto notata. — ETRUSCA<sup>—</sup>.

## A

XI, 863. SONANTIS, et vs. 864. RRUNS; falsus utroque loco Bottar. — (873. VALET. TELIS AUT. —)

## EM

875. QUADRIPEDOQUE, litteras EM ipse librarius

## E

Schweersio videtur adiecisse. — 877. SPECULIS, praepositio ab ipso librario videtur adiecta. — PECTORE

## M

primo scriptum fuerat. — 881. MISERA, M addidit manus posterior. — (886. DEFENTUM. —) 890. Litterae ARIE verbi ARIETAT ita evanuerunt, legi ut non possint. — 892. UT addidit manus posterior.

Ceterum errorem Bottarii, qui est pag. 185., sic emenda :

Pag. 166. v. 8. DEFENTUM. Error antiqui librarii.

Pag. 167. Haec, et pagina 168. pertinet *etc.*

Pag. 168. v. 5.

Iam haec ipsa pagina, quae numeris 167. et 168. signatur, ex Mediceo codice in hunc Vaticanum translata est. Itaque, quae Aen. VIII, 585—642. in Variis Lectionibus a me Vaticano codici tribuuntur, ea omnia sunt Medicei. Mutandum igitur illius nomen in huius vs. 597. 603. 610. 633. 640. 642. Praeterea haec addenda: vs. 594. OLLI, sic, ut editur. — 596. QUADRIPEDANTE. —

## T

599. CINGUNT etiam Medic. — 608. AD, et atramenti color et forma ipsius litterae T prodit manum ipsius li-

## T

brarii. — 610. EGELIDO. — (611. OPTULIT. —)

## I

612. MET, emendatio librarii. — (628. OMNIPOTENS pro IGNIPOTENS. — 629. non interpungitur post BEL-

## IO

LA. —) 638. TAT. Q., sic, litterae IO posterioris sunt

## T

manus. — (640. ARAM etiam Medic. —) 642. MED-

## T

TUM, D transfixa; sic, non MEDIUM, ut est apud Bottar., scriptum in Mediceo; et METTUM cum etiam in optimo Gudiano legatur, hoc sequendum mihi nunc visum; et vocalem E natura brevem fuisse in hoc nomine facile persuadeat Graeca eius nominis forma *Μέτιος*.

Sequuntur iam supplementa indicis discrepantium lectionum codicis Romani \*).

Ecl. I, 36. NUNQUAM, prima littera a manu, ut videtur, antiquissima et puncto notata et transfixa. —

## PO

38. MMA, prima littera transfossa; facta est omnis haec emendatio ab antiqua quidem, sed non ipsius librarii manu. — 41. NEQ. ME SERVITIO EXIRE. — 58. INTER·EA. — 63. ARARIM. — 69. TUGURII. — 76. POST·HAC. — 79. CYTI·SUM.

Ecl. II. Huic carmini inscriptum est: POETA·CORYDON. — 7. NIHIL, litteras HI transfixit manus posterior. — 11. ALIAS SERPULLUMQ. — 17. NE·CCREDE, sic. — 27. FALLAT. — 41. PELL. AMBO. — 59. PERDITOS..... INMISI; falsus ibi Bottar.

Ecl. III, 10. MYCONIS. — 47. NEC·DUM. — 51. POST·HAC. — 56. ARBOS. — 59. CAMENAE. —

---

\*) Contalit Schulzius hunc codicem cum editione Iahnii. Omisimus, quae iam a Bottario inventa et in medium prolata sunt.

74. Deest ME. — 76. 79. IOLLA. — 87. Deest ET. —  
QUIS·PARGAT HAR. — 97. FRONTE.

Ecl. IV, 4. CUMEL. — 11. TE·QUE·A·DEO. —  
17. PATRIS, interiecta minoris formae I ab ipso, ut  
videtur, librario. — 34. TITHYS, alteram T posterior  
manus in P mutavit. — 48. MAGNUS. Ibidem omissum  
IAM posterior manus supra scripsit. — 63. NEC DEUS  
Schulzius, NON DEUS Bottar.

Ecl. V, 30. BACCHI, falsus ibi Bottar. — 42. FA-  
CIT·ET. — 48. AEQUIPARASSET·VOCE·MAGI-  
STRI. — 55. STIMICHON. — 59. DRYADESQ. —

D

61. MOLUM, D est posterioris manus. — 63. IPSA·  
ETIAM.

Ecl. VI. Huic carmini inscriptum est: FAUNORUM·  
SATYRORUM·ET·SILENORUM·DELECTATIO. —  
2. NEC. — 10. AMOR·RELEGET. — 28. REGI·  
DAS. — 51. LEVI. — 54. PALLENTIS RUM. HER-  
BIS. — 60. CORTYNIA. — 62. CIRCUMDATA·MA-

H

RO. — 76. DULICIAS, littera H posterioris est manus. —  
78. TERE·IN·ARRA·VERA·TACTUS. — 83. AUDIT.

Ecl. X, 14. PINNIFER. — 28. ET QUIS. —  
50. CALCIDICO. — 52. SPELEA. — 59. CYDONEA. —  
60. SIT, quod dudum revocavimus. — 62. NEC AMA-  
DRYADES RURSUS; et RURSUS etiam proximo vs.  
apud Bottar.

Ac ne quis ignoret, quae partes Vergilianorum operum  
contineantur in his tribus codicibus, cum eius rei ignoratio  
quosdam induxerit in errorem, placuit indicem subiungere,  
ex quo hoc quoque disci possit.

## CODEX VATICANUS.

Georg. III, 1— 21.

146—214. Sed versibus 146—162. desunt priores syllabae, versui 147. et 154. etiam ultima littera.

285—348.

IV, 97—124.

153—174.

471—497.

522—548. Versibus 522 — 527. partes desunt extremae, reliquis priores.

Aen. I, 185—268. (Incipimus numerare ab hoc versu : *Arma virumque cano.*)

419—521.

586—611.

654—680.

II, 170—198.

254—258.

260—309. Versus 260. tantum ultima superest syllaba, versus 261. et 262. extremi pedes.

437—468.

673—699.

III, 1— 54.

79—216.

300—341.

660—689.

IV, 1— 92.

234—257. Verss. 234—251. extremae et vss. 252—257. priores syllabae deficiunt.

286—310.

443—521.

Aen. IV, 555—583.

651—688.

V, 109—158.

784—814.

VI, 26— 50.

219—272.

393—423.

491—559. Versuum 496—498. litterae extremae, 514—519. priores, inferiore parte eius paginae abscissa, perierunt, ita quidem, ut deinceps crescat numerus deficientium litterarum ac pedum.

589—755.

859—872.

880—902.

VII, 5— 58.

179—329.

428—469.

486—509. Desunt extremae syllabae vss. 486—502., priores vss. 503—509.

595—646. Versuum 595—597. prope dimidia pars extrema deest, versuum 598—606. plus dimidia parte; versuum 607—613. extremi pedes, fere quintus sextusque, servati sunt.

VIII, 71— 98.

IX, 32— 68.

118—164.

207—233.

509—535.

XI, 858—895.

## CODEX ROMANUS.

Eclogae I—VI. integrae.

X, vs. 10. usque ad finem.

Georg. l. I. integer.

l. II, vs. 216. usque ad finem.

l. III. integer.

l. IV, vs. 1—36. vs. 181. sqq. usque ad finem.

Aen. l. I. integer.

l. II, vs. 1—72.

l. III, vs. 685. usque ad finem.

l. IV, vs. 1—216.

l. V, vs. 37. usque ad finem.

l. VI. integer.

l. VII. integer, nisi quod a vs. 37. tres sequentes paginae, ut ait Bottarius, foede sunt discerptae, ut parum possit ex iis utilitatis capi.

l. VIII, integer, nisi quod, ut idem refert, post vs. 480. et post vs. 495. quini versus paene amissi sunt discissa pagella.

l. IX. } integri.

l. X. }

l. XI, vs. 1—756. vs. 793. (794.?) sqq. usque ad finem.

l. XII, vs. 1—650. vs. 687. (688.?) usque ad vs. 758. vs. 831—938.

## CODEX MEDICEUS

in prima parte mancus cetera Vergilii carmina habet integra ab Ecl. VI, vs. 48.

Sed iam finis est praefationi statuendus; nec vacat nunc expectationi eorum satisfacere, qui quaedam in superioribus Voluminibus a me scripta vel tollenda vel retractanda iudicaverunt. Ego vero iustae reprehensioni aures praebeo libenter, recteque monitis quibusdam iam nunc obtemperavi; retineo autem, quae falsa esse, etsi speciosis impugnata fuerint argumentis, nondum mihi persuaderi potuit. Sed his de rebus, ut etiam de mutata in hoc Volumine interpunctione, alio fortasse tempore locoque dicetur; in praesenti satis habeo errores quosdam typhotetae emendare et nonnulla male omissa addere. Igitur Praefat. Vol. I. p. XIII. lin. 26. post *scripsi* insere haec: adde Ge. III, 439. — Non opus est, ad Vitam Vergilii a Pseudo-Donato compositam ea commemorare, quae multis locis subtiliter disputavit A. Weichertus, cum scripta Viri Praestantissimi iam omnium manibus terantur. — p. 49. l. 19. post *loco* adde: Scripta est verno tempore anni 717., vid. V. L. ad vs. 19. Not. ad vs. 23.; adde vs. 25. et quae Vossius disputat ad vs. 44. — ibid. l. 27. post *poetis*: (vid. Heyn. Not. ad Ecl. II, 24.) etiam ab iis, qui soluta oratione usi, ut Cic. de Fin. I, 2., ubi vid. Otto. Id qui tenuerit, facile intelliget male intellectum Ovidium Trist. II, 261.: „Sumserit, AENEADUM GENETRIX ubi prima“, *cet. i. e.* carmen Lucretii. — pag. 50. lin. 3. post *legeretur*: Ita Horatius eam et Odam et Satiram, quibus Maecenati gratum animum testificari cuperet, etsi non essent tempore primae, primo loco posuit; vid. Weichert. de Vario Commentat. II. §. 2. et pag. 10. sq. — p. 72. ita disputatum est, ac si scripsisset Vergilius *Nec minus interea*, non *Nec tamen interea*. — p. 87. Not. col. 2. l. 1. pro IV. lege III. — p. 89. Not. col. 2. l. 27. pro 100. lege 110. — p. 95. V. L. l. 5. pro *Varo* lege *Vario*; vid. Weichert. de



## CODEX ROMANUS.

Eclogae I—VI. integrae.

X, vs. 10. usque ad finem.

Georg. l. I. integer.

l. II, vs. 216. usque ad finem.

l. III. integer.

l. IV, vs. 1—36. vs. 181. sqq. usque ad finem.

Aen. l. I. integer.

l. II, vs. 1—72.

l. III, vs. 685. usque ad finem.

l. IV, vs. 1—216.

l. V, vs. 37. usque ad finem.

l. VI. integer.

l. VII. integer, nisi quod a vs. 37. tres sequentes paginae, ut ait Bottarius, foede sunt discerptae, ut parum possit ex iis utilitatis capi.

l. VIII, integer, nisi quod, ut idem refert, post vs. 480. et post vs. 495. quini versus paene amissi sunt discissa pagella.

l. IX. } integri.

l. X. }

l. XI, vs. 1—756. vs. 793. (794.?) sqq. usque ad finem.

l. XII, vs. 1—650. vs. 687. (688.?) usque ad vs. 758. vs. 831—938.

## CODEX MEDICEUS

in prima parte mancus cetera Vergilii carmina habet integra ab Ecl. VI, vs. 48.

Sed iam finis est praefationi statuendus; nec vacat nunc exspectationi eorum satisfacere, qui quaedam in superioribus Voluminibus a me scripta vel tollenda vel retractanda iudicaverunt. Ego vero iustae reprehensioni aures praebeo libenter, recteque monitis quibusdam iam nunc obtemperavi; retineo autem, quae falsa esse, etsi speciosis impugnata fuerint argumentis, nondum mihi persuaderi potuit. Sed his de rebus, ut etiam de mutata in hoc Volumine interpunctione, alio fortasse tempore locoque dicetur; in praesenti satis habeo errores quosdam typothetae emendare et nonnulla male omissa addere. Igitur Praefat. Vol. I. p. XIII. lin. 26. post *scripsi* inserte haec: adde Ge. III, 439. — Non opus est, ad Vitam Vergilii a Pseudo-Donato compositam ea commemorare, quae multis locis subtiliter disputavit A. Weichertus, cum scripta Viri Praestantissimi iam omnium manibus tarentur. — p. 49. l. 19. post *loco* adde: Scripta est verno tempore anni 717., vid. V. L. ad vs. 19. Not. ad vs. 23.; adde vs. 25. et quae Vossius disputat ad vs. 44. — ibid. l. 27. post *poetis*: (vid. Heyn. Not. ad Ecl. II, 24.) etiam ab iis, qui soluta oratione usi, ut Cic. de Fin. I, 2., ubi vid. Otto. Id qui tenuerit, facile intelliget male intellectum Ovidium Trist. II, 261.: „Sumserit, AENEADUM GENETRIX ubi prima“, *cet.* i. e. carmen Lucretii. — pag. 50. lin. 3. post *legeretur*: Ita Horatius eam et Odam et Satiram, quibus Maecenati gratum animum testificari cuperet, etsi non essent tempore primae, primo loco posuit; vid. Weichert. de Vario Commentat. II. §. 2. et pag. 10. sq. — p. 72. ita disputatum est, ac si scripsisset Vergilius *Nec minus interea*, non *Nec tamen interea*. — p. 87. Not. col. 2. l. 1. pro IV. lege III. — p. 89. Not. col. 2. l. 27. pro 100. lege 110. — p. 95. V. L. l. 5. pro *Varo* lege *Vario*; vid. Weichert. de

Vario Commentat. III. pag. 20. — Ecl. III, vs. 3. lege *ovis* pro *oves*. — p. 114. Not. col. 2. lin. paenult. pro *s*. lege *a* sine puncto, et linea extrema pro *va*— lege *vs*. — p. 130. Not. col. 1. lin. 12. pro VII lege XV. — p. 132. Not. col. 1. l. 15. pro 414. lege 474. — p. 134. Not. col. 1. l. 27. lege: ὡς δὲ θεοὶ ζώουσιν. — ibid. l. 33. pro 251. lege 247. sq. — p. 151. V. L. l. 3. pro *alias* lege *alibi*. — p. 154. V. L. l. 6. post 875.; adde: *quadripedante* idem Aen. VIII, 596. — p. 155. Not. col. 1. l. 25. post *fuerunt* adde *quidem*. — p. 159. Not. col. 1. l. 12. pro *Cenotaph*. lege *Cepotaph*. — p. 160. V. L. l. 12. post *Not*. adde: *alacres* Roman. — p. 162. Not. col. 1. l. 11. pro *thus* lege *tus*. — ibid. col. 2. l. 4. post 8. adde: Abram. ad Cic. Philipp. II. c. 13. — Ecl. VI. vs. 45. lege *fortunatam* et *numquam*. — p. 191. Not. col. 1. l. 2. pro *his* lege *bis*. — Ecl. VII. vs. 69. lege *Thyrsim*. — p. 212. V. L. l. 3. pro *alias* lege *alibi*. — p. 214. Not. col. 2. l. 13. pro 2, 32. lege 8, 21. — p. 231. Not. col. 1. extr. et 2. summa dele haec: „Soph. Aiace — maria“. — Ecl. X. V. L. ad vs. 62. post *restitui* adde haec: *rursus* utroque loco etiam Romanus. *nec Amadr*. idem, *neque* editio Heinsii 1676., et sic Medic. apud Foggin.; nulla in ea re discrepantia librorum ab Heinsio notatur. — p. 253. lin. 3. post *misceant* adde: Consule nunc Weichertum has res diligentissime pertractantem in Commentationibus de Vario, s. De L. Varii et Cassii Parmensis vita et carmm. — Georg. I. V. L. ad vs. 19. *alibi* lege pro *alias*; item V. L. ad Ge. III, 444. ad Aen. I, 195. 235. — p. 285. Not. col. 2. l. extr. pro *Brundel*. lege *Brandeb*. — p. 286. Not. col. 1. l. 1. pro 158. lege 258. — p. 313. V. L. lin. extr. post *extr*. adde: et ad Aen. IX, 89. — Ge. II. V. L. ad vs. 226. dele verba: atque aurium —

*avenis.* — Ge. II. V. L. ad vs. 240. pro *Feriae* lege *Feris.* — p. 333. V. L. lin. extr. pro VII. lege VI. — p. 342. Not. col. 2. l. 6. pro *refectis* lege *resectis.* — p. 364. V. L. l. 10. pro *etiam* lege *enim.* — p. 366. Not. col. 2. l. 11. post *placet* adde: cf. V. L. ad Aen. V, 24. — p. 395. V. L. l. 4. post *loco* adde: Aen. XI, 625. — p. 463. V. L. l. 8. post 47. adde: *salire* cod. Rom. — p. 474. Not. col. 2. l. 11. dele notulam a me adpersam. — p. 488. V. L. l. 5. pro *partes* lege *testimonium.* — p. 525. V. L. l. 26. pro *admittunt* lege *amittunt.* — p. 541. Not. col. 1. l. 7. pro *dilectu* lege *delectu.* — Ge. III. vs. 244. pro *Amor* lege *amor.* — p. 545. V. L. l. 27. pro 1. lege 2. — Ge. III, 385. comma post *tribulique* ponendum. — p. 632. V. L. l. 2. post *Pleias*, adde: sic cod. Rom. — Ge. IV, 278. pro *Mellea* lege *Mellae.*

Vol. II. p. 65. V. L. lin. paenultima post *enim* inserte *tam.* — Aen. I. vs. 127. post *unda* adice punctum. — Quae in V. L. ad Aen. I, 156. leguntur, ex parte delenda sunt, utpote iam ad vs. 104. adnotata. — p. 97. V. L. lin. 7. post *autem* excidit *cum.* — ibid. Not. col. 2. l. 13. pro *Hosten.* lege *Holsten.* — Aen. I. vs. 182. pro *ven o* lege *vento.* — p. 104. V. L. l. 5. pro *iactum* lege *factum.* — p. 105. V. L. l. 7. post *Medic.* adde *Rom. Vatic.* — p. 108. Not. col. 2. l. 7. pro *Ertrema* lege *Extrema.* — Aen. I. vs. 232. post *passis* adice comma. — p. 112. V. L. l. 12. post *expressum* adde: a recentiore manu in *omnes* mutatum. — p. 119. V. L. l. 6. pro *superscripto* lege *superscripta est.* — p. 133. Not. col. 2. l. 12. pro 75. lege 65. — p. 135. Not. col. 1. l. 3. pro *quando* lege *quanto.* — p. 136. V. L. l. 12. tolle comma post *adtollens.* — p. 155.

V. L. l. 3. post *legi* adde: quod non ita esse vidit Schulzius; *newae* etiam Medic. — p. 177. Not. col. 2. l. 13. pro *urbemq.* lege *urbem q.* — p. 179. V. L. l. 9. pro semicolo post *circumfusa* pone comma. — p. 195. Not. col. 2. l. 1. pro *ne* lege *nec.* — p. 297. V. L. l. 6. pro *aram* lege *ara*. — V. L. ad Aen. II. vs. 262.: *Acamas* Fragm. Vatic.; vidit suum errorem ipse Bottarius et correxit pag. 171. — p. 348. lin. 6. pro NOTOS lege NATOS. — ibid. V. L. l. 17. pro *sit* lege *fit.* — p. 381. l. 35. pro *cum* lege *cuius.* — p. 466. V. L. l. 3. lege ὁφθησαν. — p. 533. Not. col. 2. l. 3. pro *assolent* lege *solent.* — V. L. ad Aen. III, 647. *ab* etiam Metrorius pag. 505. — Quod V. L. ad Aen. IV, 18. de Fragm. Vatic. relatum legis, falsum est. — p. 636. V. L. l. 14. post *sed* adde *ad.* — p. 732. V. L. l. 3. post 198. adde: (hic tamen *nisi* habent Medic. et Rottendorp. III.) — p. 740. V. L. l. 8. post *Burmamn.* adde: quod sequitur Iahn. — p. 750. V. L. l. 7. pro *n* exhibenda fuerat lineola. — p. 818. V. L. l. 14. post 11.; adde: *accessere* Rom. Ge. IV, 224. et Aen. VI, 119. — Aen. VI. vs. 160. pro *ferebant* lege *serebant*; et in V. L. ad hunc vs. post *Heins.* adde: idem est in Medic. et apud Serv. — p. 918. V. L. l. 4. post *indocte* adde: alii, ut Iahnus, sic haec interpungunt: *extremum, fato quod.* — Aen. VI. vs. 517. pro *evantis* lege *evantis.*

Vol. III. p. 40. V. L. l. 3. post *fragm.* adde: a m. pr. — p. 47. V. L. l. 3. post *Erf.* adde: vide nunc Orthograph. Vergil. s. h. v. — p. 77. V. L. l. 25. post *Bothius* adde: et ante hunc Luenemann. — p. 206. l. 15. pro 133. lege 233. — p. 273. Not. col. 2. l. 7. lege *propellebant.* — p. 319. V. L. l. 19. post *imminent*  
t  
adde: *Exspectans*, sic Mediceus, ultima s transfossa;

praeclarum *Exspectans*, nisi altera lectio, quae omnium praeterea librorum esse videtur, commode explicari posset.—  
p. 323. V. L. l. 9. post *recentiore* adde: immo longe recentissima. — p. 393. post lineam extremam adde: Sed vide, quae nunc scripsi in Orthographia Vergiliana sub voc. **GENITIVUS** §. 3. — p. 534. V. L. l. 16. pro *perdere* et *perdentis* lege *pendere* et *pendentis*. — p. 592. V. L. l. 26. post 112. adde: ubi *pinos* etiam Vatic. — p. 753. V. L. l. 20. post 339. adde: ubi *dissice* Rom. — Aen. XII. vs. 320. pro *turbide* lege *turbine*. — Aen. XII. vs. 904. post *moventem* adde semicolon. — p. 882. col. 2. lin. 13. post 464. adde: *morte*, i. q. *in morte* A. IV, 502. — p. 891. col. 2. lin. 15. adde: *qui cum* emphasi A. III, 10. — ibid. inter *Quiesco* et *Quintus* insere: *Quine* A. X, 673. — p. 894. col. 2. lin. 8. pro *év* lege *el*.

Vol. IV. p. 348. Not. col. 1. lin. 3. post *homine* adde: „Tum demum ingemuit corvi deceptus *stupor*“, Phaedr. I, 13, 12. — Catalect. VII. vs. 3. tolle comma post *Sile*; est C. Albutius Silus, de quo Sueton. de claris Rhetoribus c. 6. — Excurs. ad Catal. II.: „*van Eldik* Suspicionum Spec. cap. VII. pro *Corinthiorum* legit *Homericorum*; tum vs. 3. *Thucydidis tyrannus, Atticae vepris*.“ — p. 455. l. 17. pro *Is* lege *Id*. — p. 551. l. 22. pro *tantasse* lege *tentasse*. — p. 555. l. 7. pro *Hippomenes* lege *Hippomanes*. — p. 587. l. 14. post *omnibus* adde: et cod. Rom. — p. 603. l. 15. dele punctum post *vetustate*.

Quae praeterea vel addere vel emendare meliusque tractare possim, cum habeam tam multa, ut, si velim hic adiungere, verendum sit, ne ipsa Praefatio iustum Volumen expleat, ea sunt alii tempori locoque reservanda.

Atque in ipso hoc quinto Volumine iam invenio, quae vel addam, vel corrigam. Neque vero umquam deerit eiusmodi materiam tractanti, quod vel possit, vel debeat adiacere; itaque inter ipsas plagulas typis exscribendas multa se obtulerunt inserenda, quae omissa aegre desideres. Erunt etiam fortasse, qui quaedam querantur neglecta, quae aut consulto praeterii, aut quae praeterisse me non paenitet. — Quod nunc in hac editione carminum Vergilii exaratum vides *cumba*, id nuper Horatio restituit Orellius. — *Sescenti* est etiam in antiquissimis libris mss. Terentii, ut testatur Faernus ad Phorm. IV, 3, 63. — Paene irascor mihi, quod nescio quid aliud agens vocabula *Caestus* et *Cestus* permutavi s. v. SCAENA pag. 470. — Ubi de LITTERIS SIBI INSIDENTIBUS agitur, non erat illud §. 8. omittendum, quod, cum τὸ πρόσδιον significamus, servata vera ratione *anticum*, cum τὸ ἀρχαῖον, male *antiquum* scribimus, cum uno vocabulo utramque rem appellaverint Latini. — Ibidem §. 10. illud etiam addi poterat, non esse consentaneum, qui scripserit *cum*, quod est neutrum declinationis secundae pronominis relativi, eundem scripsisse *quoi*, non *cui*, quod natum est ex *quui*, unde etiam illud intelligitur, quomodo factum sit, ut, cum ceteri casus eius pronominis a *q* littera incipiant, alter ac tertius hanc litteram cum littera *c* commutaverint. — Praeterea verius fuerat **VOCALIS** (non **LITTERAE**) **SIBI INSIDENTES**. — Ubi diximus de nomine **VERGILII**, quaeri etiam poterat, ita, *Vergilius*, an *Virgilius* appellatus esset ipse poeta ab antiquis scriptoribus. Nihil autem miraberis, si in editis libris fere deteriorem rationem regnare videris; parum enim curabant olim eiusmodi scilicet nugae critici. Video tamen, ut hoc saltem commemorem, Orellium, qua est diligentia, apud Horat. Epist. II, 1, 247. ex cod. *b*, qui est saeculo decimo

exaratus, protulisse *Vergilius*; apud Quintilianum autem in longe praestantissimo Ambros. I. libr. VIII, 6, 26. haec leguntur: „*carmina Vergilii Vergilium*“, eamque formam in optimis codd. Quintiliani frequenter inveniri ait Zumptius Vol. V. p. 477. — De ADSIMILATIONE PRAEPOSITIONUM ubi disputavimus, addi poterat, quod refert Terent. Scaurus p. 2260. Vergilium Aen. VI, 34. scripsisse *Pellegerent*. Sed nec hoc loco, nec ullo praeterea in iis codicibus, quos vel ipse adhibui vel Heinsius consuluit, huius adsimilationis exemplum reperitur; quare etiam quod Pierius Aen. I, 147. in codicibus aliquot antiquis se invenisse testatur *pellabitur*, fortasse ex Vel. Longo in aliquos libros veteres impressos illatum, non multum me movet; quamquam antiquis etiam scriptoribus hanc rationem non displicuisse manifesto indicat Lucilius apud Vel. Longum p. 2227. cfr. Lud. Ferd. Schmidtii disputat. Berol. 1840. ed., cui inscribitur: *C. Lucilii Satirarum quae de libro nono supersunt, disposita et illustrata*. p. 19. sqq. Adde, quae ab eodem congesta sunt de geminata *c* in verbis *accipere* et *accurrere* p. 14., de geminatione productarum vocalium p. 6., de *mile* et *milia* p. 26. — Quod invenisse sibi visus est M. A. Dietterich (*Neue Jahrbücher f. Philologie u. Pädagogik* Vol. XXXI. fasc. I. p. 87. sqq.) discrimen inter *nequiquam* et *nequicquam*, id non comprobatur a Vergilio. Fallitur idem Vir Doctus (p. 93.), si me omnia, quae ab Heynio scripta a me non sunt refutata, vera esse iudicare existimat. Quod vero idem Aen. IX, 545. *Licus* a Vergilio scriptum esse eumque LICUM Licymniae filium fuisse putat, diversum ab eo LYCO, qui commemoretur vs. 556., atque ita etiam Heynium, a me scilicet neglectum, stautuisse significat, re accuratius inspecta videbit, quibus erroribus se implicaverit.



Superest, at lectorem moneam, quae uncis [ ] in ipsis poetae carminibus seclusa sint, insiticia esse, singulis binisve stellulis vel leviores vel graviores significari fraudis alicuius suspicionem.

Denique Tibi, Vir doctissime mihiq̃ue carissime, Christiane Bomniti, gratias ago maximas pro singulari, quam in erroribus typothetae corrigendis posuisti, cura atque diligentia. Quam laudem, quae in summis etiam viris magna et praeclara semper habita est, ut cumules edendo, quem a Te emendatum cupide exspectamus, Polybio, etiam Te atque etiam exhortor.

Scrib. Dresdae d. XXI. m. Februar.

MDCCCXXXI.

**P.VERGILI MARONIS**  
**B U C O L I C A.**

**VERGIL. TOM. V.**

**1**



P. VERGILI MARONIS  
B U C O L I C O N  
LIBER.

ECLOGA I.

TITYRUS.

MELIBOEUS. TITYRUS.

**M.** Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi  
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:  
Nos patriae finis et dulcia linquimus arva;  
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra  
Formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5  
**T.** O Meliboe, deus nobis haec otia fecit.  
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram  
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.  
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum  
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti. 10  
**M.** Non equidem invidio; miror magis: undique totis  
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas

1 \*

Protinus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.  
 Hic inter densas corylos modo namque gemellos,  
 Spem gregis, a! silice in nuda conixa reliquit. 15  
 Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,  
 De caelo tactas memini praedicere quercus,  
 [Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.]  
 Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.  
 T. Urbem, quam dicunt Romam, Meliboeë, putavi 20  
 Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus  
 Pastores ovium teneros depellere fetus.  
 Sic canibus catulos similis, sic matribus haedos-  
 Noram; sic parvis componere magna solebam.  
 Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes, 25  
 Quantum lenta solent inter viburna cupressi.  
 M. Et quae tanta fuit Romam tibi caussa videndi?  
 T. Libertas; quae sera, tamen respexit inertem,  
 Candidior postquam tondenti barba cadebat;  
 Respexit tamen, et longo post tempore venit, 30  
 Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.  
 Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,  
 Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.  
 Quamvis multa meis exiret victima saeptis,  
 Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi, 35  
 Non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.  
 M. Mirabar, quid maesta deos, Amarylli, vocares;  
 Cui pendere sua patereris in arbore poma:  
 Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,  
 Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant. 40  
 T. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,  
 Nec tam praesentis alibi cognoscere divos.  
 Hic illum vidi iuvenem, Meliboeë, quot annis  
 Bis senos cui nostra dies altaria fumant.  
 Hic mihi responsum primus dedit ille petenti: 45  
 Pascite, ut ante, boves, pueri; submitte tauros.  
 M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt!  
 Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus  
 Limosoque palus obducatur pascua iunco.  
 Non insueta gravis temptabunt pabula fetas, 50

Nec mala vicini pecoris contagia laedent.  
 Fortunate senex, hic, inter flumina nota  
 Et fontis sacros, frigus captabis opacum!  
 Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite, saepes  
 Hyblaeis apibus florem depasta salicti, 55  
 Saepe levi somnum suadebit inire susurro;  
 Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;  
 Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,  
 Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.  
 τ. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi, 60  
 Et freta destituent nudos in litore pisces,  
 Ante, pererratis amborum finibus, exsul  
 Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,  
 Quam nostro illius labatur pectore voltus.  
 μ. At nos hinc alii sitientis ibimus Afros; 65  
 Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen,  
 Et penitus toto divisos orbe Britannos.  
 En umquam patrios longo post tempore finis,  
 Pauperis et tuguri congestum caespite culmen,  
 Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas? 70  
 Impius haec tam culta novalia miles habebit?  
 Barbarus has segetes? en, quo discordia civis  
 Produxit miseros! en, quis consevimus agros!  
 Inserere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.  
 Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae. 75  
 Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,  
 Dumosa pendere procul de rupe videbo;  
 Carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,  
 Florentem cytisum et salices carpetis amaras.  
 τ. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem 80  
 Fronde super viridi: sunt vobis mitia poma,  
 Castaneae molles et pressi copia lactis;  
 Et iam summa procul villarum culmina fumant,  
 Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

## ECLOGA II.

## ALEXIS.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,  
 Delicias domini; nec, quid speraret, habebat.  
 Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos  
 Adsidue veniebat. Ibi haec incondita solus  
 Montibus et silvis studio iactabat inani: 5  
 O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?  
 Nil nostri miserere? mori me denique coges.  
 Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;  
 Nunc viridis etiam occultant spineta lacertos,  
 Thestylis et rapido fessis messoribus aestu 10  
 Alia serpullumque herbas contundit olentis.  
 At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,  
 Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.  
 Nonne fuit satius, tristis Amaryllidis iras  
 Adque superba pati fastidia? nonne Menalcan? 15  
 Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.  
 O formose puer, nimium ne crede colori!  
 Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.  
 Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi,  
 Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans: 20  
 Mille meae Siculis errant in montibus agnae;  
 Lac mihi non aestate novom, non frigore defit.  
 Canto, quae solitus, siquando armenta vocabat,  
 Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.  
 Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi, 25  
 Cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim  
 Iudice te metuam; si numquam fallit imago.  
 O tantum libeat mecum tibi sordida rura,  
 Adque humilis habitare casas, et figere cervos,  
 Haedorumque gregem viridi compellere hibisco! 30  
 Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.  
 Pan primus calamos cera coniungere pluris  
 Instituit; Pan curat ovis oviumque magistros.  
 Nec te paeniteat calamo trivisse labellum:

Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas? 35  
 Est mihi disparibus septem compacta cicutis  
 Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,  
 Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.  
 Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.  
 Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti, 40  
 Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;  
 Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.  
 Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;  
 Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.  
 Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis 45  
 Ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais,  
 Pallentis violas et summa papavera carpens,  
 Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;  
 Tum, casia adque aliis intexens suavis herbis,  
 Mollia luteola pingit vaccinia caltha. 50  
 Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,  
 Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;  
 Addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;  
 Et vos, o lauri, carpam, et te, proxuma myrte:  
 Sic positae quoniam suavis miscetis odores. 55  
 Rusticus es, Corydon: nec munera curat Alexis,  
 Nec, si muneribus certes, concedat Iollas.  
 Heu, heu, quid volui misero mihi! floribus austrum  
 Perditus, et liquidis inmisit fontibus apros.  
 Quem fugis, a, demens? habitarunt di quoque  
 silvas, 60  
 Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,  
 Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.  
 Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam;  
 Florentem cytisum sequitur lasciva capella;  
 Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas. 65  
 Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci,  
 Et sol crescentis decedens duplicat umbras:  
 Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?  
 A, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!  
 Semiputata tibi frondosa vitis in ulmost. 70  
 Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,



Viminibus mollique paras detexere iunco ?  
Invenies allum, si te hic fastidit, Alexim.

## E C L O G A III.

## PALAEMON.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

- M. Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?  
D. Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.  
M. Infelix o semper, ovis, pecus! ipse Neaeram  
Dum foveat, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,  
Hic alienus ovis custos bis mulget in hora; 5  
Et sucus pecori et lac subducitur agnis.  
D. Parcius ista viris tamen obicienda memento.  
Novimus, et qui te, transversa tuentibus hircis,  
Et quo — sed faciles Nymphae risere — sacello.  
M. Tum, credo, cum me arbustum videre Miconis 10  
Adque mala vitis incidere falce novellas.  
D. Aut hic ad veteris fagos cum Daphnidis arcum  
Fregisti et calamos: quae tu, perversae Menalca,  
Et, cum vidisti puero donata, dolebas,  
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses. 15  
M. Quid domini faciant, audent cum talia fures!  
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum  
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?  
Et cum clamarem: Quo nunc se proripit ille?  
Tityre, coge pecus; tu post carecta latebas. 20  
D. An mihi cantando victus non redderet ille,  
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?  
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon  
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.  
M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera 25  
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas  
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?  
D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim

**Experiamur? ego hanc vitulam — ne forte recusses,  
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus —** 30

Depono: tu dic, mecum quo pignore certas.

**M.** De grege non ausim quicquam deponere tecum:

Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca;

Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.

Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius, — 35

Insanire libet quoniam tibi — pocula ponam

Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:

Lenta quibus torno facili superaddita vitis

Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

In medio duo signa, Conon, et — quis fuit alter, 40

Descripsit radio totum qui gentibus orbem,

Tempora quae messor, quae curvos arator haberet?

Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

**D.** Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,

Et molli circumst ansas amplexus acantho, 45

Orpheaue in medio posuit silvasque sequentis.

Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

**M.** Numquam hodie effugies; veniam, quocumque vo-  
caris.

Audiat haec tantum — vel qui venit, ecce, Palaemon. 50

Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

**D.** Quin age, siquid habes, in me mora non erit ulla,

Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,

Sensibus haec imis, res est non parva, reponas.

**P.** Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba. 55

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos;

Nunc frondent silvae; nunc formosissimus annus.

Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.

Alternis dicetis; amant alterna Camenae.

**D.** Ab Iove principium Musae; Iovis omnia plena; 60  
Ille colit terras; illi mea carmina curae.

**M.** Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me  
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

**D.** Malo me Galatea petit, lasciva puella,

Et fugit ad salices, et se cupit ante videri. 65

M. At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,  
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

D. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi  
Ipse locum, aeriae quo congessere palumbes.

M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta 70  
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

D. O quotiens et quae nobis Galatea locutast!  
Partem aliquam, venti, divom referatis ad auris!

M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis,  
Amynta,

Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? 75

D. Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;  
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito:

M. Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit,  
Et longum Formose, vale, vale, inquit, Iolla.

D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, 80  
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

M. Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,  
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:  
Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85

M. Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,  
Iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.

D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;  
Mella fluant illi ferat et rubus asper amomum.

M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi, 90  
Adque idem iungat volpes et mulgeat hirquos.

D. Qui legitis flores et humi nascentia fraga,  
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

M. Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae  
Creditor; ipse aries etiam nunc vellera siccatur. 95

D. Tityre, pascentis a flumine reice capellas:  
Ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.

M. Cogite ovis, pueri; si lac praeceperit aestus,  
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

D. Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in  
ervo! 100

Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

M. His certe neque amor caussast; vix ossibus haerent.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

D. Dic, quibus in terris — et eris mihi magnus Apollo —

Tris pateat caeli spatium non amplius ulnas. 105

M. Dic, quibus in terris inscripti nomina regum

Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.

P. Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Et vitula tu dignus, et hic. — Et quisquis amores

Haud metuet, dulcis aut experietur amarus. 110

Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

## E C L O G A IV.

## P O L L I O.

Sicelides Musae, paulo maiora canamus!

Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;

Si canimus silvas, silvae sint Consule dignae.

Ultima Cymaei venit iam carminis aetas;

Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo. 5

Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;

Iam nova progenies caelo demittitur alto.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum

Desinet ac toto surget gens aurea mundo,

Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo. 10

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,

Pollio, et incipient magni procedere menses;

Te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,

Inrita perpetua solvent formidine terras.

Ille deum vitam accipiet, divisque videbit 15

Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu

Errantis hederas passim cum bacchare tellus

Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. 20  
 Ipsae lacte domum referent distenta capellae  
 Ubera, nec magnos metuent armenta leones.  
 Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.  
 Occidet et serpens, et fallax herba veneni  
 Occidet; Assyrium volgo nascetur amomum. 25  
 At simul heroum laudes et facta parentis  
 Iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus:  
 Molli paulatim flavescent campus arista,  
 Incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
 Et duræ quercus sudabunt roscida mella. 30  
 Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,  
 Quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris  
 Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.  
 Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo  
 Delectos heroas; erunt etiam altera bella, 35  
 Adque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.  
 Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,  
 Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus  
 Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.  
 Non rastros patietur humus, non vinea falcem; 40  
 Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;  
 Nec varios discet mentiri lana colores,  
 Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti  
 Murice, iam croceo mutabit vellera luto;  
 Sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. 45  
 Talia saecla, suis dixerunt, currite, fuis  
 Concordes stabili fatorum numine Parcae.  
 Adgredere o magnos — aderit iam tempus — honores,  
 Cara deum suboles, magnum Iovis incrementum! 50  
 Aspice convexo nutantem pondere mundum,  
 Terrasque tractusque maris caelumque profundum,  
 Aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!  
 O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,  
 Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta:  
 Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, 55  
 Nec Linus, huic mater quamvis adque huic pater adsit,  
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,  
 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.  
 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem : 60  
 Matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
 Incipe, parve puer : cui non risere parentes,  
 Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubilist.

## ECLOGA V.

## DAPHNIS.

## MENALCAS. MOPSUS.

ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,  
 Tu calamos inflare levis, ego dicere versus,  
 Hic corylis mixtas inter considimus ulmos?  
 MO. Tu maior; tibi mest aecum parere, Menalca,  
 Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras, 5  
 Sive antro potius succedimus. Aspice, ut antrum  
 Silvestris raris sparsit labrusca racemis.  
 ME. Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.  
 MO. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?  
 ME. Incipe, Mopse, prior, siquos aut Phyllidis ignis, 10  
 Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.  
 Incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.  
 MO. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi  
 Carmina descripsi et modulans alterna notavi,  
 Experiar. Tu deinde iubeto ut certet Amyntas. 15  
 ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,  
 Puniceis humilis quantum saliuunca rosetis,  
 Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.  
 MO. Sed tu desine plura, puer; successimus antro.

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim 20  
 Flebant; vos coryli testes et flumina Nymphis;  
 Cum complexa sui corpus miserabile nati,  
 Adque deos adque astra vocat crudelia mater.  
 Non ulli pastos illis egere diebus

Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla nec amnem 25  
 Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.  
 Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones  
 Interitum montesque feri silvaeque locuntur.  
 Daphnis et Armenias curru subiungere tigris  
 Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi 30  
 Et foliis lentas intexere mollibus hastas.  
 Vitis ut arboribus decorist, ut vitibus uvae,  
 Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:  
 Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,  
 Ipsa Pales agros adque ipse reliquit Apollo. 35  
 Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,  
 Infelix lolium et steriles nascuntur avenae;  
 Pro molli viola, pro purpureo narcisso,  
 Carduus et spinis surgit paliurus acutis.  
 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras, 40  
 Pastores; mandat fieri sibi talia Daphnis;  
 Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:  
 Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,  
 Formosi pecoris custos, formosior ipse.

MB. Tale tuum carmen nobis, divine poeta, 45  
 Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum  
 Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.  
 Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum.  
 Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.  
 Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim 50  
 Dicemus, Daphnimque tuum tollemus ad astra;  
 Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.  
 MO. An quicquam nobis tali sit munere maius?  
 Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista  
 Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis. 55

MB. Candidus insuetum miratur limen Olympi  
 Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.  
 Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas  
 Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.  
 Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis 60  
 Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphni

Ipsi laetitia voces ad sidera iactant  
 Intonsi montes ; ipsae iam carmina rupes,  
 Ipsa sonant arbusta : deus, deus ille, Menalca !  
 Sis bonus o felixque tuis ! en quattuor aras : 65  
 Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.  
 Pocula bina novo spumantia lacte quot annis  
 Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi,  
 Et multo in primis hilarans convivia Baccho,  
 Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra, 70  
 Vina novom fundam calathis Ariusia nectar.  
 Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon ;  
 Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.  
 Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota  
 Reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros. 75  
 Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,  
 Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,  
 Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.  
 Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quot annis  
 Agricolae facient ; damnabis tu quoque votis. 80

mo. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona ?  
 Nam neque me tantum venientis sibilus austri,  
 Nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae  
 Saxosas inter decurrunt flumina valles.  
 ME. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta. 85  
 Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexim,  
 Haec eadem docuit, Cuium pecus ? an Meliboei ?  
 mo. At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,  
 Non tulit Antigenes — et erat tum dignus amari —  
 Formosum paribus nodis adque aere, Menalca. 90

## E C L O G A VI.

## V A R U S.

Prima Syracosio dignatast ludere versu  
 Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.  
 Cum canerem reges et proelia, Cynthus aurem



Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pinguis  
 Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen. 5  
 Nunc ego — namque super tibi erunt, qui dicere laudes,  
 Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella —  
 Agrestem tenui meditabor harundine Musam.  
 Non iniussa cano. Siquis tamen haec quoque, siquis  
 Captus amore leget: te nostrae, Vare, myricae, 10  
 Te nemus omne canet, nec Phoebo gratior ullast,  
 Quam sibi quae Vari praescipsit pagina nomen.  
 Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro  
 Silenum pueri somno videre iacentem,  
 Inflatum hesternis venas, ut semper, Iaccho; 15  
 Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,  
 Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.  
 Adgressi — nam saepe senex spe carminis ambo  
 Luserat — iniciunt ipsis ex vincula sertis.  
 Addit se sociam timidisque supervenit Aegle, 20  
 Aegle, Naiadum pulcherrima, iamque videnti  
 Sanguineis frontem moris et tempora pingit.  
 Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.  
 Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.  
 Carmina, quae voltis, cognoscite; carmina vobis, 25  
 Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.  
 Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres  
 Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;  
 Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,  
 Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea. 30  
 Namque canebat, uti magnum per inane coacta  
 Semina terrarumque animaeque marisve fuissent  
 Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis  
 Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;  
 Tum durare solum et discludere Nerea ponto 35  
 Coeperit, et rerum paulatim sumere formas;  
 Iamque novom terrae stupeant lucescere solem  
 Altius adque cadant submotis nubibus imbres;  
 Incipiant silvae cum primum surgere, cumque  
 Rara per ignaros errent animalia montis. 40  
 Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,

Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.  
 His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum  
 Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret;  
 Et fortunatam, si numquam armenta fuissent, 45  
 Pasiphaen nivei solatur amore iuveni.  
 A, virgo infelix, quae te dementia cepit!  
 Proetides implerunt falsis mugitibus agros:  
 At non tam turpis pecudum tamen ulla secutast  
 Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum 50  
 Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.  
 A, virgo infelix, tu nunc in montibus erras:  
 Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,  
 Illice sub nigra pallentis ruminat herbas,  
 Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nym-  
 phae, 55  
 Dictae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,  
 Siqua forte ferant oculis sese obvia nostris  
 Errabunda bovis vestigia; forsitan illum,  
 Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,  
 Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae. 60  
 Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;  
 Tum Phaethontidas musco circumdat amarae  
 Corticis, adque solo proceras erigit alnos.  
 Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum  
 Aonas in montis ut duxerit una sororum, 65  
 Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;  
 Ut Linus haec illi divino carmine pastor,  
 Floribus adque apio crinis ornatus amaro,  
 Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,  
 Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat 70  
 Cantando rigidas deducere montibus ornos.  
 His tibi Grynei nemoris dicatur origo,  
 Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.  
 Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secutast  
 Candida succinctam latrantibus inguina monstribus 75  
 Dulichias vexasse rates et gurgite in alto  
 A! timidos nautas canibus lacerasse marinis;  
 Aut ut mutatos Terei narraverit artus,

Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,  
 Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante 80  
 Infelix sua tecta supervolitaverit alis?  
 Omnia, quae, Phoebō quondam meditante, beatus  
 Audiit Eurotas iussitque ediscere laurus,  
 Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles;  
 Cogere donec ovis stabulis numerumque referri 85  
 Iussit et invito processit Vesper Olympo.

## ECLOGA VII.

### MELIBOEUS.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

M. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,  
 Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,  
 Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas,  
 Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,  
 Et cantare pares, et respondere parati. 5  
 Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,  
 Vir gregis ipse caper deerraverat; adque ego Daphnim  
 Aspicio. Ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,  
 Huc ades, o Meliboe; caper tibi salvos et haedi;  
 Et, siquid cessare potes, requiesce sub umbra. 10  
 Huc ipsi potum venient per prata iuveni;  
 Hic viridis tenera praetexit harundine ripas  
 Mincius, eque sacra resonant examina quercu.  
 Quid facerem? neque ego Alcippen, neque Phyllida  
 habebam,  
 Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos; 15  
 Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.  
 Posthabui tamen illorum mea seria ludo.  
 Alternis igitur contendere versibus ambo  
 Coepere; alternos Musae meminisse volebant.  
 Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis. 20

c. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi  
carmen,

Quale meo Codro, concedite; proxuma Phoebi  
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,  
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

t. Pastores, hedera nascentem ornate poetam, 25

Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;  
Aut, si ultra placitum laudarit, bacchare frontem  
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

c. Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvos  
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi. 30

Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota  
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

t. Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis  
Expectare sat est: custos es pauperis horti.  
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu, 35  
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

c. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,  
Candidior cynnis, hedera formosior alba,  
Cum primum pasti repetent praesepia tauri,  
Siqua tui Corydonis habet te cura, venito. 40

t. Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,  
Horridior rusco, proiecta vilior alga,  
Si mihi non haec lux toto iam longior annost.  
Ite domum pasti, siquis pudor, ite iuvenci.

c. Muscosi fontes et somno mollior herba, 45

Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,  
Solstitium pecori defendite; iam venit aestas  
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

t. Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis  
Semper, et adsidua postes fuligine nigri; 50

Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum  
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

c. Stant et iuniperi et castaneae hirsutae;  
Strata iacent passim sua quaque sub arbore poma;  
Omnia nunc rident; at si formosus Alexis 55

Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

t. Aret ager; vitio moriens sitit aeris herba;

**Liber pampineas invidit collibus umbras:**  
**Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit,**  
**Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri.** 60

**c. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,**  
**Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo;**  
**Phyllis amat corylos; illas dum Phyllis amabit,**  
**Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phoebi.**

**t. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,** 65  
**Populus in fluviis, abies in montibus altis;**  
**Saepius at si me, Lycida formose, revisas,**  
**Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.**

**m. Haec memini, et victum frustra contendere**  
**Thyrsim.**

**Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.** 70

## E C L O G A VIII.

### PHARMACEUTRIA.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

**Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,**  
**Inmemor herbarum quos est mirata iuvenca**  
**Certantis, quorum stupefactae carmine lynces,**  
**Et mutata suos requierunt flumina cursus,**  
**Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.** 5

**Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,**  
**Sive oram Illyrici legis aequoris, en erit umquam**  
**Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?**  
**En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem**  
**Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?** 10  
**A te principium, tibi desinet. Accipe iussis**  
**Carmina coepta tuis, adque hanc sine tempora circum**  
**Inter victricis hederam tibi serpere laurus.**

**Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,**  
**Cum ros in tenera pecori gratissimus herba,** 15  
**Incumbens tereti Damon sic coepit olivae.**

d. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer,  
almum,

Coniugis indigno Nisae deceptus amore  
Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis  
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora. 20

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis  
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,  
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus. 25

Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?

Iungentur iam grypes equis, aevoque sequenti

Cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor;

Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam. 30

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.

O digno coniuncta viro, dum despicias omnis,

Dumque tibist odio mea fistula dumque capellae

Hirsutumque supercilium promissaque barba,

Nec curare deum credis mortalia quemquam. 35

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Saepibus in nostris parvam te roscida mala —

Dux ego vester eram — vidi cum matre legentem.

Alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;

Iam fragilis poteram ab terra contingere ramos. 40

Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum

Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,

Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt. 45

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Saevos Amor docuit natorum sanguine matrem

Commaculare manus; crudelis tu quoque, mater;

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?

Inprobus ille puer; crudelis tu quoque, mater. 50

Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.

Nunc et ovis ultro fugiat lupo, aurea durae

Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,

**Pingua corticibus sudent electra myricae,**  
**Certent et cynis ululae, sit Tityrus Orpheus,** 55  
**Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.**  
**Incipe Maenaios mecum, mea tibia, versus.**  
**Omnia vel medium fiant mare. Vivite, silvae:**  
**Praeceptis aerii specula de montis in undas**  
**Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.** 60  
**Desine Maenaios, iam desine, tibia, versus.**

**Haec Damon; vos, quae responderit Alpheisiboeus,**  
**Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.**

**A. Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta,**  
**Verbenasque adole pinguis et mascula tura:** 65  
**Coniugis ut magicis sanos avertere sacris**  
**Experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.**  
**Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.**  
**Carmina vel caelo possunt deducere Lunam;**  
**Carminibus Circe socios mutavit Ulixi;** 70  
**Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.**  
**Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.**  
**Terna tibi haec primum triplici diversa colore**  
**Licia circumdo, terque hanc altaria circum**  
**Effigiem duco; numero deus inpare gaudet.** 75  
**Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.**  
**Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;**  
**Necte, Amarylli, modo, et, Veneris, dic, vincula**  
**necto.**  
**Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.**  
**Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit** 80  
**Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.**  
**Sparge molam, et fragilis incende bitumine laurus.**  
**Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.**  
**Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.**  
**Talis amor Daphnim, qualis, cum fessa iuvenum** 85  
**Per nemora adque altos quaerendo bucula lucos**  
**Propter aquae rivom viridi procumbit in ulva,**  
**Perdita, nec serae meminit decedere nocti,**

Talis amor teneat; nec sit mihi cura mederi.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite  
Daphnim. 90

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,  
Pignora cara sui; quae nunc ego limine in ipso,  
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
Has herbas adque haec Ponto mihi lecta venena 95

Ipse dedit Moeris; nascuntur pluruma Ponto.

His ego saepe lupum fieri et se condere silvis

Moerim, saepe animas imis excire sepulchris

Adque satas alio vidi traducere messis.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite  
Daphnim. 100

Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti

Transque caput iace; nec respexeris. His ego Daphnim  
Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis 105

Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!

Nescio quid certest, et Hylax in limine latrat.

Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

## ECLOGA IX.

MOERIS.

LYCIDAS. MOERIS.

L. Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in  
urbem?

m. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,  
Quo numquam veriti sumus, ut possessor agelli  
Diceret: Haec mea sunt; veteres migrate coloni.



Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat, 5  
Hos illi — quod nec vertat bene — mittimus haedos.

L. Certe equidem audieram, qua se subducere colles  
Incipiunt, mollique iugum demittere clivo,  
Usque ad aquam et veteris, iam fracta cacumina, fagos  
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan. 10

M. Audieras? et fama fuit; sed carmina tantum  
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum  
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.  
Quod nisi me quacumque novas incidere lites  
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix, 15  
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas.

L. Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua  
nobis

Paene simul tecum solacia rapta, Menalca?  
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis  
Spargeret, aut viridi fontis induceret umbra? 20

Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,  
Cum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?  
„Tityre, dum redeo — brevis est via — pasce capellas,  
„Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum  
„Occursare capro, cornu ferit ille, caveto. 25

M. Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:  
„Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,  
„Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae,  
„Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.

L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, 30  
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:

Incipe, siquid habes. Et me fecere poetam  
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt  
Vatem pastores; sed non ego credulus illis.  
Nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna 35  
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

M. Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse  
voluto,

Si valeam meminisse; nequest ignobile carmen.  
„Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?  
„Hic ver purpureum, varios hic flumina circum 40

„Fundit humus flores, hic candida populus antro  
„Imminet, et lentae texunt umbracula vites;  
„Huc ades; insani feriant sine litora fluctus.  
L. Quid, quae te pura solum sub nocte canentem  
Audieram? numeros memini, si verba tenerem. 45  
M. „Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?  
„Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,  
„Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo  
„Duceret apricis in collibus uva colorem.  
„Insere, Daphni, puros; carpent tua poma nepotes. 50  
Omnia fert aetas, animum quoque; saepe ego longos  
Cantando puerum memini me condere soles:  
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerim  
Iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores.  
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas. 55  
L. Caussando nostros in longum ducis amores.  
Et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,  
Aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae;  
Hinc adeo mediast nobis via; namque sepulchrum  
Incipit adparere Bianoris: hic, ubi densas 60  
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;  
Hic haedos depone, tamen veniemus in urbem.  
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,  
Cantantes licet usque — minus via laedit — eamus;  
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo. 65  
M. Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus;  
Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

---

## ECLOGA X.

## GALLUS.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem :  
 Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris.  
 Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo ?  
 Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,  
 Doris amara suam non intermisceat undam. 5  
 Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,  
 Dum tenera attendent simae virgulta capellae.  
 Non canimus surdis; respondent omnia silvae.

Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae  
 Naides, indigno cum Gallus amore peribat ? 10  
 Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi  
 Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.  
 Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;  
 Pini fer illum etiam sola sub rupe iacentem  
 Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei. 15  
 Stant et oves circum; — nostri nec paenitet illas,  
 Nec te paeniteat pecoris, divine poeta :  
 Et formosus ovis ad flumina pavit Adonis —  
 Venit et upilio; tardi venere subulci;  
 Uvidus hiberna venit de glande Menalcas. 20  
 Omnes „Unde amor iste, rogant, tibi?“ Venit  
 Apollo :

Galle, quid insanis ? inquit; tua cura Lycoris  
 Perque nives alium perque horrida castra secutast.  
 Venit et agresti capitis Silvanus honore,  
 Florentis ferulas et grandia lilia quassans. 25  
 Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi  
 Sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.  
 Equis erit modus ? inquit; Amor non talia curat;  
 Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,  
 Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae. 30  
 Tristis at ille : Tamen cantabitis, Arcades, inquit,  
 Montibus haec vestris, soli cantare periti

Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,  
 Vestra meos olim si fistula dicat amores!  
 Adque utinam ex vobis unus, vestrique fuisset 35  
 Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!  
 Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,  
 Seu quicumque furor, — quid tum, si fuscus Amyntas?  
 Et nigrae violae sunt et vaccinia nigra —  
 Mecum inter salices lenta sub vite iaceret; 40  
 Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.  
 Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,  
 Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.  
 Nunc insanus amor duri me Martis in armis  
 Tela inter media adque adversos detinet hostis : 45  
 Tu procul a patria — nec sit mihi credere tantum! —  
 Alpinas a, dura, nives et frigora Rheni  
 Me sine sola vides. A, te ne frigora laedant!  
 A, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!  
 Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu 50  
 Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.  
 Certumst in silvis, inter spelaea ferarum  
 Malle pati tenerisque meos incidere amores  
 Arboribus; crescent illae, crescetis, amores.  
 Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis, 55  
 Aut acris venabor apros. Non me ulla vetabunt  
 Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.  
 Iam mihi per rupes videor lucosque sonantis  
 Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu  
 Spicula. — Tamquam haec sit nostri medicina fu-  
 roris, 60  
 Aut deus ille malis hominum mitescere discat!  
 Iam neque Hamadryades rursus nec carmina nobis  
 Ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae.  
 Non illum nostri possunt mutare labores,  
 Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus, 65  
 Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,  
 Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,  
 Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.  
 Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori.

**28 P. VERGILI MARONIS BUCOL. ECL. X.**

**Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam, 70**  
**Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,**  
**Pierides; vos haec facietis maxuma Gallo,**  
**Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,**  
**Quantum vere novo viridis se subicit alnus.**  
**Surgamus : solet esse gravis cantantibus umbra; 75**  
**Iuniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.**  
**Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.**

**P. VERGILI MARONIS**  
**BUCOLICON LIBER EXPLICIT.**

---

**P. VERGILI MARONIS**  
**G E O R G I C A.**



P. VERGILI MARONIS  
G E O R G I C O N  
LIBER PRIMUS.

---

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram  
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis  
Conveniat, quae cura bovom, qui cultus habendo  
Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,  
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi 5  
Lumina, labentem caelo quae ducitis annum;  
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus  
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,  
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;  
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni, 10  
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:  
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem  
Fudit ecum magno tellus percussa tridenti,  
Neptune; et cultor nemorum, cui pingua Caeae  
Ter centum nivei tondent dumeta iuvenci; 15  
Ipse, nemus linquens patrium saltusque Lycaei,  
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,  
Adsis, o Tegeaeae, favens, oleaeque Minerva  
Inventrix, uncique puer monstrator aratri,  
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum, 20  
Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,  
Quique novas alitis non ullo semine fruges,



## ECLOGA X.

## GALLUS.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem :  
 Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris.  
 Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo ?  
 Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,  
 Doris amara suam non intermisceat undam. 5  
 Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,  
 Dum tenera attondent simae virgulta capellae.  
 Non canimus surdis; respondent omnia silvae.

Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae  
 Naides, indigno cum Gallus amore peribat ? 10  
 Nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi  
 Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.  
 Illum etiam lauri, etiam flevare myricae;  
 Pimifer illum etiam sola sub rupe iacentem  
 Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei. 15  
 Stant et oves circum; — nostri nec paenitet illas,  
 Nec te paeniteat pecoris, divine poeta :  
 Et formosus ovis ad flumina pavit Adonis —  
 Venit et upilio; tardi venere subulci;  
 Uvidus hiberna venit de glande Menalcas. 20  
 Omnes „Unde amor iste, rogant, tibi?“ Venit

Apollo :

Galle, quid insanis ? inquit; tua cura Lycoris  
 Perque nives alium perque horrida castra secutast.  
 Venit et agresti capitis Silvanus honore,  
 Florentis ferulas et grandia lilia quassans. 25  
 Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi  
 Sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.  
 Ecquis erit modus ? inquit; Amor non talia curat;  
 Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,  
 Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae. 30  
 Tristis at ille : Tamen cantabitis, Arcades, inquit,  
 Montibus haec vestris, soli cantare periti

Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,  
 Vestra meos olim si fistula dicat amores!  
 Adque utinam ex vobis unus, vestrique fuisset 35  
 Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!  
 Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,  
 Seu quicumque furor, — quid tum, si fuscus Amyntas?  
 Et nigrae violae sunt et vaccinia nigra —  
 Mecum inter salices lenta sub vite iaceret; 40  
 Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.  
 Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,  
 Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.  
 Nunc insanus amor duri me Martis in armis  
 Tela inter media adque adversos detinet hostis: 45  
 Tu procul a patria — nec sit mihi credere tantum! —  
 Alpinas a, dura, nives et frigora Rheni  
 Me sine sola vides. A, te ne frigora laedant!  
 A, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!  
 Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu 50  
 Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.  
 Certumst in silvis, inter spelaea ferarum  
 Malle pati tenerisque meos incidere amores  
 Arboribus; crescent illae, crescetis, amores.  
 Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis, 55  
 Aut acris venabor apros. Non me ulla vetabunt  
 Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.  
 Iam mihi per rupes videor lucosque sonantis  
 Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu  
 Spicula. — Tamquam haec sit nostri medicina fu-  
 roris, 60  
 Aut deus ille malis hominum mitescere discat!  
 Iam neque Hamadryades rursus nec carmina nobis  
 Ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae.  
 Non illum nostri possunt mutare labores,  
 Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus, 65  
 Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,  
 Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,  
 Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.  
 Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori.

**28 P. VERGILI MARONIS BUCOL. ECL. X.**

**Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam, 70**  
**Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,**  
**Pierides; vos haec facietis maxuma Gallo,**  
**Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,**  
**Quantum vere novo viridis se subicit alnus.**  
**Surgamus : solet esse gravis cantantibus umbra; 75**  
**Iuniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.**  
**Itę domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.**

**P. VERGILI MARONIS  
BUCOLICON LIBER EXPLICIT.**

---

**P. VERGILI MARONIS**  
**G E O R G I C A.**



P. VERGILI MARONIS  
G E O R G I C O N  
LIBER PRIMUS.

---

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram  
Vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vitis  
Conveniat, quae cura bovom, qui cultus habendo  
Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,  
Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi 5  
Lumina, labentem caelo quae ducitis annum;  
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus  
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,  
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;  
Et vos, agrestum praesentia numina, Fauni, 10  
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:  
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem  
Fudit ecum magno tellus percussa tridenti,  
Neptune; et cultor nemorum, cui pingua Ceae  
Ter centum nivei tondent dumeta iuvenci; 15  
Ipse, nemus linquens patrium saltusque Lycae,  
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,  
Adsis, o Tegeaeae, favens, oleaeque Minerva  
Inventrix, unciue puer monstrator aratri,  
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum, 20  
Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,  
Quique novas alitis non ullo semine fruges,

Quique satis largum caelo demittitis imbrem;  
 Tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum  
 Concilia, incertumst, urbisne invisere, Caesar, 25  
 Terrarumque velis curam, et te maxumus orbis  
 Auctorem frugum tempestatumque potentem  
 Accipiat, cingens materna tempora myrto,  
 An deus immensi venias maris ac tua nautae  
 Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule, 30  
 Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;  
 Anne novom tardis sidus te mensibus addas,  
 Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentis  
 Panditur; ipse tibi iam braccia contrahit ardens  
 Scorprios, et caeli iusta plus parte reliquit; 35  
 Quidquid eris, — nam te nec sperant Tartara regem,  
 Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido;  
 Quamvis Elysios miretur Graecia campos,  
 Nec repetita sequi curet Proserpina matrem —  
 Da facilem cursum, adque audacibus adnue coeptis, 40  
 Ignarosque viae mecum miseratus agrestis  
 Ingredere, et votis iam nunc adsuesce vocari.

Vere novo, gelidus canis cum montibus umor  
 Liquitur et Zephyro putris se glaeba resolvit,  
 Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro 45  
 Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.  
 Illa seges demum votis respondet avari  
 Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;  
 Illius immensae ruperunt horrea messes.  
 Ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor, 50  
 Ventos et varium caeli praediscere morem  
 Cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum,  
 Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recusset.  
 Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,  
 Arborei fetus alibi; adque iniussa virescunt 55  
 Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,  
 India mittit ebur, molles sua tura Sabaei,  
 At Chalybes nudi ferrum, viroaque Pontus  
 Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?

Continuo has leges aeternaque foedera certis 60  
 Inposuit natura locis, quo tempore primum  
 Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem,  
 Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terrae  
 Pingue solum primis extemplo a mensibus anni  
 Fortes invertant tauri, glaebasque iacentis 65  
 Pulverulenta coquat maturis solibus aestas;  
 At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum  
 Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:  
 Illic, officiant laetis ne frugibus herbae,  
 Hic, sterilem exiguus ne deserat umor harenam. 70

Alternis idem tonsas cessare novales,  
 Et segnem patiēre situ durescere campum.  
 Aut ibi flava seres mutato sidere farra,  
 Unde prius laetum siliqua quassante legumen,  
 Aut tenuis fetus viciae tristisque lupini 75  
 Sustuleris fragilis calamos silvamque sonantem.  
 Urit enim lini campum seges, urit avenae,  
 Urunt Lethaeo perfusa papavera somno:  
 Sed tamen alternis facilis labor; arida tantum  
 Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neve 80  
 Effetos cinerem immundum iactare per agros.  
 Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva;  
 Nec nulla intereast inaratae gratia terrae.  
 Saepe etiam sterilis incendere profuit agros,  
 Adque levem stipulam crepitantibus urere flammis: 85  
 Sive inde occultas viris et pabula terrae  
 Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem  
 Excoquitur vitium, adque exsudat inutilis umor;  
 Seu pluris calor ille vias et caeca relaxat  
 Spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas; 90  
 Seu durat magis, et venas adstringit hiantis,  
 Ne tenues pluviae, rapidive potentia solis  
 Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.

Multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis  
 Vimineasque trahit cratis, iuvat arva; neque illum 95



Flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo;  
 Et qui, proscisso quae suscitatur aequore terga,  
 Rursus in oblicum verso perrumpit aratro,  
 Exercetque frequens tellurem, adque inperat arvis.

Umida solstitia adque hiemes orate serenas, 100  
 Agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,  
 Laetus ager: nullo tantum se Mysia cultu  
 Lactat, et ipsa suas mirantur Gargara messis.  
 Quid dicam, iacto qui semine comminus arva  
 Insequitur, cumulosque ruit male pinguis harenae? 105  
 Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis,  
 Et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,  
 Ecce supercilio clivosi tramitis undam  
 Elicit? illa cadens raucum per levia murmur  
 Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva. 110  
 Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,  
 Luxuriem segetum tenera depascit in herba,  
 Cum primum sulcos aequant sata? quique paludis  
 Collectum umorem bibula deducit harena?  
 Praesertim incertis si mensibus amnis abundans 115  
 Exit, et obducto late tenet omnia limo,  
 Unde cavae tepido sudant umore lacunae.

Nec tamen, haec cum sint hominumque bovumque  
 labores  
 Versando terram experti, nihil improbus anser  
 Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris 120  
 Officiunt aut umbra nocet. Pater ipse colendi  
 Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem  
 Movit agros, curis acuens mortalia corda,  
 Nec torpere gravi passus sua regna veterno.  
 Ante Iovem nulli subigebant arva coloni; 125  
 Ne signare quidem aut partiri limite campum  
 Fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus  
 Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.  
 Ille malum virus serpentibus addidit atris,  
 Praedarique lupos iussit, pontumque moveri, 130

Mellaque decussit foliis, ignemque removit,  
 Et passim rivis currentia vina repressit,  
 Ut varias usus meditando extunderet artis  
 Paulatim, et sulcis frumenti quaereret herbam,  
 Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem. 135  
 Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;  
 Navita tum stellis numeros et nomina fecit,  
 Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton;  
 Tum laqueis captare feras, et fallere visco  
 Inventum, et magnos canibus circumdare saltus. 140  
 Adque alius latum funda iam verberat amnem;  
 Alta petens, pelagoque alius trahit umida lina;  
 Tum ferri rigor adque argutae lamina serrae, —  
 Nam primi cuneis scindebant fissile lignum —  
 Tum variae venere artes. Labor omnia vicit 145  
 Inprobus et duris urguens in rebus egestas.  
 Prima Ceres ferro mortalis vertere terram  
 Instituit, cum iam glandes adque arbuta sacrae  
 Deficerent silvae, et victum Dodona negaret.  
 Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos 150  
 Esset robigo, segnisque horreret in arvis  
 Carduus; intereunt segetes, subit aspera silva,  
 Lappaeque tribolique, interque nitentia culta  
 Infelix lolium et steriles dominantur avenae.  
 Quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris, 155  
 Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci  
 Falce premes umbram, votisque vocaveris imbrem,  
 Heu, magnum alterius frustra spectabis acervom,  
 Concussaue famem in silvis solabere quercu.

Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma, 160  
 Quis sine nec potuere seri nec surgere messes :  
 Vomis et inflexi primum grave robur aratri,  
 Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra,  
 Tribulaque, traheaeque, et iniquo pondere rastris;  
 Virgea praeterea Celei vilisque supellex, 165  
 Arbuteae crates et mystica vannus Iacchi.  
 Omnia quae multo ante memor provisa repones,

Si te digna manet divini gloria ruris.  
 Continuo in silvis magna vi flexa domatur  
 In burim et curvi formam accipit ulmus aratri. 170  
 Huic ab stirpe pedes temo protentus in octo,  
 Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.  
 Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque fagus  
 Stivaque, quae cursus a tergo torqueat imos;  
 Et suspensa focis explorat robora fumus. 175

Possum multa tibi veterum praecepta referre,  
 Ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.  
 Area cum primis ingenti aequanda cylindro  
 Et vertenda manu et creta solidanda tenaci,  
 Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat, 180  
 Tum variae inludant pestes: saepe exiguus mus  
 Sub terris posuitque domos adque horrea fecit;  
 Aut oculis capti fodere cubilia talpae;  
 Inventusque cavis bufo, et quae pluruma terrae  
 Monstra ferunt; populatque ingentem farris acer- vom 185

Curculio, adque inopi metuens formica senectae.  
 Contemplator item, cum se nux pluruma silvis  
 Induet in florem et ramos curvabit olentis.  
 Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,  
 Magnaque cum magno veniet tritura calore; 190  
 At si luxuria foliorum exuberat umbra,  
 Nequiquam pinguis palea teret area culmos.  
 Semina vidi equidem multos medicare serentis,  
 Et nitro prius et nigra perfundere amurga,  
 Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset, 195  
 Et, quamvis igni exiguo, properata maderent.  
 Vidi lecta diu et multo spectata labore  
 Degenerare tamen, ni vis humana quot annis  
 Maxuma quaeque manu legeret. Sic omnia fatis  
 In peius ruere, ac retro sublapsa referri; 200  
 Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum  
 Remigiis subigit, si bracchia forte remisit,  
 Adque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Praeterea tam sunt Arcturi sidera nobis  
 Haedorumque dies servandi et lucidus Anguis, 205  
 Quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis  
 Pontus et ostriferi fauces tentamptur Abydi.  
 Libra die somni que pares ubi fecerit horas,  
 Et medium luci adque umbris iam dividit orbem,  
 Exercete, viri, tauros, serite hordea campis, 210  
 Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem ;  
 Nec non et lini segetem et Cereale papaver  
 Tempus humo tegere, et iandudum incumbere aratris,  
 Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.  
 Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres 215  
 Accipiunt sulci, et milio venit annua cura :  
 Candidus auratis aperit cum cornibus annum  
 Taurus, et adverso cedens Canis occidit astro.  
 At si triticeam in messem robustaque farra  
 Exercebis humum, solisque instabis aristis, 220  
 Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur,  
 Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae,  
 Debita quam sulcis committas semina, quamque  
 Invitae properes anni spem credere terrae.  
 Multi ante occasum Maiæ coepere ; sed illos 225  
 Exspectata seges vanis elusit aristis.  
 Si vero viciamque seres vilemque phaselum,  
 Nec Pelusiæ curam aspernabere lentis,  
 Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes :  
 Incipe, et ad medias sementem extende pruinas. 230

Idcirco certis dimensum partibus orbem  
 Per duodena regit mundi Sol aureus astra.  
 Quinque tenent caelum zonæ; quarum una corusco  
 Semper sole rubens et torrida semper ab igni;  
 Quam circum extremae dextra laevæque trahuntur, 235  
 Caerulea glacie concretæ adque imbribus atris;  
 Has inter mediamque duæ mortalibus aegris  
 Munere concessæ divom; et via secta per ambas,  
 Oblicus qua se signorum verteret ordo.  
 Mundus, ut ad Scythiam Rhipaeasque arduus arces 240

Consurgit, premitur Libyae devexus in austros.  
 Hic vertex nobis semper sublimis; at illum  
 Sub pedibus Styx atra videt Manesque profundi.  
 Maxumus hic flexu sinuoso elabitur Anguis  
 Circum perque duas in morem fluminis Arctos, 245  
 Arctos Oceani metuentis aequore tingui.  
 Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,  
 Semper et obtenta densantur nocte tenebrae;  
 Aut redit a nobis Aurora diemque reducit;  
 Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis, 250  
 Illic sera rubens accendit lumina Vesper.  
 Hinc tempestates dubio praediscere caelo  
 Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,  
 Et quando infidum remis inpellere marmor  
 Conveniat, quando armatas deducere classis, 255  
 Aut tempestivam silvis evertere pinum.

Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,  
 Temporibusque parem diversis quattuor annum.  
 Frigidus agricolam siquando continet imber,  
 Multa, forent quae mox caelo properanda sereno, 260  
 Maturare datur: durum procudit arator  
 Vomeris obtunsi dentem; cavat arbore lintres;  
 Aut pecori signum aut numeros inpressit acervis.  
 Exacuunt alii vallos furcasque bicornis,  
 Adque Amerina parant lentae retinacula viti. 265  
 Nunc facilis rubea texatur fiscina virga;  
 Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.  
 Quippe etiam festis quaedam exercere diebus  
 Fas et iura sinunt: rivos deducere nulla  
 Religio vetuit, segeti praetendere saepem, 270  
 Insidias avibus moliri, incendere vepres,  
 Balantumque gregem fluvio mersare salubri.  
 Saepe oleo tardi costas agitator aselli  
 Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens  
 Incusum aut atrae massam picis urbe reportat. 275

Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna  
 Felicis operum. Quintam fuge: pallidus Orcus

Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando  
Coeumque Iapetumque creat, saevomque Typhoea,  
Et coniuratos caelum rescindere fratres. 280

Ter sunt conati inponere Pelio Ossam  
Scilicet, adque Ossae frondosum involvere Olympum;  
Ter Pater exstructos disiecit fulmine montis.  
Septuma post decumam felix et ponere vitem,  
Et prensos domitare boves, et licia telae 285  
Addere; nona fugae melior, contraria furtis.

Multa adeo gelida melius se nocte dedere,  
Aut cum sole novo terras inrorat Eous.  
Nocte leves melius stipulae, nocte arida prata  
Tondentur; noctes lentus non deficit umor. 290

Et quidam seros hiberni ad luminis ignis  
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto;  
Interea longum cantu solata laborem  
Arguto coniunx percurrit pectine telas,  
Aut dulcis musti Volcano decoquit umorem 295  
Et foliis undam trepidi despumat aeni.

At rubicunda Ceres medio succiditur aestu,  
Et medio tostas aestu terit area fruges.  
Nudus ara, sere nudus; hiemps ignava colono.  
Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur, 300  
Mutuaque inter se laeti convivia curant.

Invitat genialis hiemps curasque resolvit:  
Ceum pressae cum iam portum tetigere carinae,  
Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.  
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus, 305

Et lauri bacas oleamque cruentaue myrta;  
Tum gruibus pedicas et retia ponere cervis,  
Auritosque sequi lepores; tum figere dammas,  
Stuppea torquentem Balearis verbera fundae,  
Cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudent. 310

Quid tempestates autumnii et sidera dicam,  
Adque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,  
Quae vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver,

Spicea iam campis cum messis inhorruit, et cum  
 Frumenta in viridi stipula lactentia turgent? 315  
 Saepe ego, cum flavis messorem induceret arvis  
 Agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,  
 Omnia ventorum concurrere proelia vidi,  
 Quae gravidam late segetem ab radicibus imis  
 Sublimem expulsam eruerent; ita turbine nigro 320  
 Ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantis.  
 Saepe etiam immensum caelo venit agmen aquarum,  
 Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris  
 Collectae ex alto nubes; ruit arduus aether,  
 Et pluvia ingenti sata laeta bovomque laboris 325  
 Diluit; inplentur fossae, et cava flumina crescunt  
 Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.  
 Ipse Pater media nimborum in nocte corusca  
 Fulmina molitur dextra; quo maxuma motu  
 Terra tremit; fugere ferae, et mortalia corda 330  
 Per gentis humilis stravit pavor; ille flagranti  
 Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo  
 Deicit; ingeminant austri et densissimus imber;  
 Nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.  
 Hoc metuens, caeli menses et sidera serva; 335  
 Frigida Saturni sese quo stella receptet;  
 Quos ignis caeli Cyllenius erret in orbis.  
 In primis venerare deos, adque annua magnae  
 Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis,  
 Extremae sub cassum hiemis, iam vere sereno. 340  
 Tum pingues agni, et tum mollissima vina;  
 Tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.  
 Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;  
 Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho;  
 Terque novas circum felix eat hostia fruges, 345  
 Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,  
 Et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante  
 Falcem maturis quisquam supponat aristis,  
 Quam Cereri torta redimitus tempora quercu  
 Det motus inconpositos et carmina dicat. 350

Adque haec ut certis possemus discere signis,  
 Aestusque, pluviasque, et agentis frigora ventos,  
 Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret;  
 Quo signo caderent austri; quid saepe videntes  
 Agricolae propius stabulis armenta tenerent. 355  
 Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti  
 Incipiunt agitata tumescere et aridus altis  
 Montibus audiri fragor, aut resonantia longe  
 Litora misceri et nemorum increbrescere murmur.  
 Iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis, 360  
 Cum medio celeres revolant ex aequore mergi  
 Clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae  
 In sicco ludunt fulicae, notasque paludis  
 Deserit adque altam supra volat ardea nubem.  
 Saepe etiam stellas, vento inpendente, videbis 365  
 Praecipitis caelo labi, noctisque per umbram  
 Flammarum longos a tergo albescere tractus;  
 Saepe levem paleam et frondes volitare caducas,  
 Aut summa nantis in aqua colludere plumas.  
 At Boreae de parte trucidis cum fulminat, et cum 370  
 Eurique Zephyrique tonat domus: omnia plenis  
 Rura natant fossis, adque omnis navita ponto  
 Umida vela legit. Numquam imprudentibus imber  
 Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis  
 Aeriae fugere grues, aut bucula caelum 375  
 Suspiciens patulis captavit naribus auras,  
 Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,  
 Et veterem in limo ranae cecinere querellam.  
 Saepius et tectis penetralibus extulit ova  
 Angustum formica terens iter; et bibit ingens 380  
 Arcus; et e pastu decedens agmine magno  
 Corvorum increpuit densis exercitus alis.  
 Iam variae pelagi volucres, et quae Asia circum  
 Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,  
 Certatim largos umeris infundere rores, 385  
 Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,  
 Et studio incassum videas gestire lavandi.  
 Tum cornix plena pluviam vocat improba voce



Et sola in sicca secum spatiat harena.  
 Ne nocturna quidem carpentes pensa puellae 390  
 Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent  
 Scintillare oleum et putris concrebrescere fungos.

Nec minus ex imbri soles et aperta serena  
 Prospicere et certis poteris cognoscere signis :  
 Nam neque tum stellis acies obtusa videtur, 395  
 Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,  
 Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri ;  
 Non tepidum ad solem pinnae in litore pandunt  
 Dilectae Thetidi alcyones, non ore solutos  
 Imundi meminere sues iactare maniplos. 400  
 At nebulae magis ima petunt campoque recumbunt,  
 Solis et occasum servans de culmine summo  
 Nequiquam seros exercet noctua cantus.  
 Adparet liquido sublimis in aere Nisus,  
 Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo ; 405  
 Quaecumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,  
 Ecce inimicus, atrox, magno stridore per auras  
 Insequitur Nisus ; qua se fert Nisus ad auras,  
 Illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.  
 Tum liquidas corvi presso ter gutture voces 410  
 Aut quater ingeminant, et saepe cubilibus altis,  
 Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti,  
 Inter se in foliis strepitant ; iuvat imbribus actis  
 Progeniem parvam dulcisque revisere nidos ;  
 Haud equidem credo, quia sit divinitus illis 415  
 Ingenium aut rerum fato prudentia maior ;  
 Verum, ubi tempestas et caeli mobilis umor  
 Mutavere vias et Iuppiter uvidus austris  
 Densat, erant quae rara modo, et, quae densa, relaxat,  
 Vertuntur species animorum, et pectora motus 420  
 Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,  
 Concipiunt : hinc ille avium concentus in agris,  
 Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi.

Si vero solem ad rapidum lunasque, sequentis  
 Ordine, respicies, numquam te crastina fallat 425

Hora, neque insidiis noctis capiere serenae.  
 Luna, revertentis cum primum colligit ignis,  
 Si nigrum obscuro conprenderit aera cornu,  
 Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber;  
 At si virgineum suffuderit ore ruborem, 430  
 Ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.  
 Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,  
 Pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,  
 Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo  
 Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt, 435  
 Votaque servati solvent in litore nautae  
 Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.  
 Sol quoque et exoriens, et cum se condet in undas,  
 Signa dabit; solem certissima signa secuntur,  
 Et quae mane refert, et quae surgentibus astris. 440  
 Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum  
 Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,  
 Suspecti tibi sint imbres; namque urguet ab alto  
 Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.  
 Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese 445  
 Diversi rumpunt radii, aut ubi pallida surget  
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile,  
 Heu, male tum mitis defendet pampinus uvas:  
 Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.  
 Hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo, 450  
 Profuerit meminisse magis; nam saepe videmus  
 Ipsius in voltu varios errare colores:  
 Caeruleus pluviam denuntiat, igneus Euros;  
 Sin maculae incipient rutilo immiscerier igni,  
 Omnia tum pariter vento nimisque videbis 455  
 Fervere. Non illa quisquam me nocte per altum  
 Ire, neque ab terra moneat convellere funem.  
 At si, cum referetque diem condetque relatum,  
 Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,  
 Et claro silvas cernes Aquilone moveri. 460  
 Denique, quid vesper serus vehat, unde serenae  
 Ventus agat nubes, quid cogitet umidus Auster,  
 Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum

**Audeat? Ille etiam caecos instare tumultus  
Saepe monet, fraudemque et operta tumescere  
bella.** 465

Ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,  
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,  
Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.  
Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti,  
Obscenaque canes, inportunaeque volucres 470  
Signa dabant. Quotiens Cyclopum effervere in agros  
Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,  
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!  
Armorum sonitum toto Germania caelo  
Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes. 475  
Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis,  
Ingens, et simulacra modis pallentia miris  
Visa sub obscurum noctis; pecudesque locutae,  
Infandum! sistunt amnes, terraeque dehiscunt,  
Et maestum inlacrimat templis ebur, aeraque su-  
dant. 480

Proluit insano contorquens vertice silvas  
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnis  
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem  
Tristibus aut extis fibrae adparere minaces,  
Aut puteis manare cruor cessavit, et altae  
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.  
Non alias caelo ceciderunt plura sereno  
Fulgura, nec diri totiens arsere cometae.  
Ergo inter sese paribus concurrere telis  
Romanas acies iterum videre Philippi;  
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro  
Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.  
Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis  
Agricola, incurvo terram molitus aratro,  
Exessa inveniet scabra robigine pila,  
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis,  
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.  
Di patrii, Indigetes, et Romule Vestaque mater,  
Quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,

Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo 500

Ne prohibete! Satis iam pridem sanguine nostro

Laomedontaeae luimus periuria Troiae.

Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,

Invidet, adque hominum queritur curare triumphos;

Quippe ubi fas versum adque nefas: tot bella per orbem, 505

Tam multae scelerum facies; non ullus aratro

Dignus honos; squalent abductis arva colonis,

Et curvae rigidum falces conflantur in ensem.

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;

Vicinae ruptis inter se legibus urbes 510

Arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe.

Ut cum carceribus sese effudere quadrigae,

Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

P. VERGILI MARONIS  
G E O R G I C O N  
LIBER SECUNDUS.

---

**H**actenus arborum cultus et sidera caeli,  
Nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum  
Virgulta et prolem tarde crescentis olivae.  
Huc, pater o Lenaeae; tuis hic omnia plena  
Muneribus, tibi pampineo gravidus autumnno 5  
Floret ager, spumat plenis vindemia labris;  
Huc, pater o Lenaeae, veni, nudataque musto  
Tingue novo mecum dereptis crura cothurnis.

Principio arboribus variast natura creandis.

Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipsae 10  
Sponte sua veniunt camposque et flumina late  
Curva tenent: ut molle siler, lentaeque genestae,  
Populus et glauca canentia fronde salicta.  
Pars autem posito surgunt de semine: ut altae  
Castaneae, nemorumque Iovi quae maxuma frondet 15  
Aesculus, adque habitae Grais oracula quercus.  
Pullulat ab radice aliis densissima silva:  
Ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus  
Parva sub ingenti matris se subicit umbra.  
Hos natura modos primum dedit; his genus omne 20  
Silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.

Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.  
 Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum  
 Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,  
 Quadrifidasque sudes, et acuto robore vallos; 25  
 Silvarumque aliae pressos propaginis arcus  
 Exspectant et viva sua plantaria terra;  
 Nil radice egent aliae, summumque putator  
 Haud dubitat terrae referens mandare cacumen.  
 Quin et caudicibus sectis, mirabile dictu! 30  
 Truditur e sicco radix oleagina ligno.  
 Et saepe alterius ramos inpune videmus  
 Vertere in alterius, mutatamque insita mala  
 Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.

Quare agite o, proprios generatim discite cultus, 35  
 Agricolae, fructusque feros mollite colendo,  
 Neu segnes iaceant terrae. Iuvat Ismara Baccho  
 Conserere, adque olea magnum vestire Taburnum.  
 Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,  
 O decus, o famae merito pars maxuma nostrae, 40  
 Maecenas, pelagoque volans da vela patenti.  
 Non ego cuncta meis amplecti versibus opto,  
 Non, mihi si linguae centum sint, oraue centum,  
 Ferrea vox; ades, et primi lege litoris oram;  
 In manibus terrae; non hic te carmine ficto 45  
 Adque per ambages et longa exorsa tenebo.

Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,  
 Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;  
 Quippe solo natura subest. Tamen haec quoque, si quis  
 Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis, 50  
 Exuerint silvestrem animum, cultuque frequenti  
 In quascumque voces artis haud tarda sequentur.  
 Nec non et sterilis, quae stirpibus exit ab imis,  
 Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros;  
 Nunc altae frondes et rami matris opacant, 55  
 Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.  
 Iam, quae seminibus iactis se sustulit arbos,

Tarda venit, seris factura nepotibus umbram,  
 Pomaque degenerant sucos oblita priores,  
 Et turpis avibus praedam fert uva racemos. 60

Scilicet omnibus est labor inpendendus, et omnes  
 Cogendae in sulcum, ac multa mercede domandae.  
 Sed truncis oleae melius, propagine vites  
 Respondent, solido Paphiae de robore myrtus;  
 Plantis et durae coryli nascuntur, et ingens 65  
 Fraxinus, Herculeaeque arbos umbrosa coronae,  
 Chaoniiue patris glandes; etiam ardua palma  
 Nascitur, et cassus abies visura marinos.  
 Inseritur vero et nucis arbutus horrida fetu,  
 Et steriles platani malos gessere valentis; 70  
 Castaneae fagus, ornusque incanuit albo  
 Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.

Nec modus inserere adque oculos inponere simplex.  
 Nam, qua se medio trudent de cortice gemmae  
 Et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso 75  
 Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen  
 Includunt, udoque docent inolescere libro.  
 Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte  
 Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces  
 Plantae inmittuntur: nec longum tempus, et ingens 80  
 Exiit ad caelum ramis felicibus arbos,  
 Miraturque novas frondes et non sua poma.

Praeterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,  
 Nec salici lotoque, neque Idaeis cyparissis;  
 Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae, 85  
 Orchades, et radii, et amara pausia baca,  
 Pomaque et Alcinoi silvae; nec surculus idem  
 Crustumiiis Syriisque piris gravibusque volemis.  
 Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,  
 Quam Methymnaeo carpit de palmite Lesbos; 90  
 Sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae,  
 Pinguibus hae terris habiles, levioribus illae;

Et passo Psithia utilior, tenuisque Lageos,  
 Temptatura pedes olim vincturaque linguam;  
 Purpureae, preciaeque; et quo te carmine dicam, 95  
 Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.  
 Sunt et Aminaeae vites, firmissima vina,  
 Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus;  
 Argitisque minor, cui non certaverit ulla  
 Aut tantum fluere aut totidem durare per annos. 100  
 Non ego te, Dis et mensis accepta secundis,  
 Transierim, Rhodia, et tumidis, Bumaste, racemis.  
 Sed neque, quam multae species, nec, nomina quae  
 sint,  
 Est numerus; neque enim numero comprehendere refert;  
 Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem 105  
 Discere quam multae Zephyro turbentur harenae,  
 Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,  
 Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.

Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.  
 Fluminibus salices crassisque paludibus alni 110  
 Nascuntur, steriles saxosis montibus orni;  
 Litora myrtetis laetissima; denique apertos  
 Bacchus amat collis, aquilonem et frigora taxi.  
 Aspice et extremis domitum cultoribus orbem,  
 Eoasque domos Arabum pictosque Gelonos: 115  
 Divisae arboribus patriae. Sola India nigrum  
 Fert hebenum, solis est turea virga Sabaeis.  
 Quid tibi odorato referam sudantia ligno  
 Balsamaque et bacas semper frondentis acanthi?  
 Quid nemora Aethiopum, molli canentia lana? 120  
 Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?  
 Aut quos Oceano propior gerit India lucos,  
 Extremi sinus orbis, ubi aera vincere summum  
 Arboris haud ullae iactu potuere sagittae?  
 Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris. 125  
 Media fert tristis sucos tardumque saporem  
 Felicis mali, quo non praesentius ullum,  
 Pocula siquando saevae infecere novercae,



\*Miscueruntque herbas et non innoxia verba,\*  
 Auxilium venit, ac membris agit atra venena. 130  
 Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro;  
 Et, si non alium late iactaret odorem,  
 Laurus erat; folia haud ullis labentia ventis;  
 Flos ad prima tenax; animas et olentia Medi  
 Ora foveat illo et senibus medicantur anhelis. 135

Sed neque Medorum, silvae ditissima, terra,  
 Nec pulcher Ganges adque auro turbidus Hermus  
 Laudibus Italiae certent, non Bactra, neque Indi,  
 Totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.  
 Haec loca non tauri spirantes naribus ignem 140  
 Invertere satis inmanis dentibus hydri,  
 Nec galeis densisque virum seges horruit hastis;  
 Sed gravidæ fruges et Bacchi Massicus umor  
 Inplevere; tenent oleae armentaque laeta.  
 Hinc bellator ecus campo sese arduus infert; 145  
 Hinc albi, Clitumne, greges et maxuma taurus  
 Victima saepe, tuo perfusi flumine sacro,  
 Romanos ad templa deum duxere triumphos.  
 Hic ver adsidium adque alienis mensibus aestas;  
 Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos. 150  
 At rabidæ tigres absunt et saeva leonum  
 Semina, nec miseros fallunt aconita legentis,  
 Nec rapit immensos orbis per humum, neque tanto  
 Squameus in spiram tractu se colligit anguis.  
 Adde tot egregias urbes operumque laborem, 155  
 Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,  
 Fluminaque antiquos subterlabentia muros.  
 An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra?  
 Anne lacus tantos? te, Lari maxume, teque,  
 Fluctibus et fremitu adsurgens Bonace marino? 160  
 An memorem portus Lucrinoque addita claustra  
 Adque indignatum magnis stridoribus aequor,  
 Iulia qua ponto longe sonat unda refuso  
 Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?  
 Haec eadem argenti rivos acrisque metalla, 165

Ostendit venis, adque auro plurima fluxit.  
 Haec genus acre virum, Marsos, pubemque Sabellam,  
 Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos  
 Extulit, haec Decios, Marios, magnosque Camillos,  
 Scipiadas duos bello, et te, maxume Caesar, 170  
 Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris  
 Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.  
 Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,  
 Magna virum; tibi res antiquae laudis et artis  
 Ingredior, sanctos ausus recludere fontis, 175  
 Ascræumque cano Romana per oppida carmen.

Nunc locus arborum ingenii: quae robora cuique,  
 Quis color, et quae sit rebus natura ferendis.  
 Difficiles primum terrae collesque maligni,  
 Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis, 180  
 Palladia gaudent silva vivacis olivae,  
 Indiciost tractu surgens oleaster eodem  
 Plurimus et strati bacis silvestribus agri.  
 At quae pinguis humus dulcique uligine laeta,  
 Quique frequens herbis et fertilis ubere campus — 185  
 Qualem saepe cava montis convalle solemus  
 Despicere; huc summis licuntur rupibus amnes,  
 Felicemque trahunt limum — quique editus austro,  
 Et felicem curvis invisam pascit aratris:  
 Hic tibi praevalidas olim multoque fluentis 190  
 Sufficiet Baccho vitis, hic fertilis uvae,  
 Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,  
 Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras  
 Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.  
 Sin armenta magis studium vitalosque tueri, 195  
 Aut fetus ovium, aut urentis culta capellas,  
 Saltus et saturi petito longinqua Tarenti,  
 Et qualem infelix amisit Mantua campum,  
 Pascentem niveos herboso flumine cycnos;  
 Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt; 200  
 Et, quantum longis carpent armenta diebus,  
 Exigua tantum gelidus res nocte reponet.

Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra,  
 Et cui putre solum, — namque hoc imitamur arando —  
 Optuma frumentis : non ullo ex aequore cernes 205  
 Plura domum tardis decedere plaustra iuven-  
 cis,  
 Aut unde iratus silvam devexit arator  
 Et nemora evertit multos ignava per annos,  
 Antiquasque domos avium cum stirpibus imis  
 Eruit; illae altum nidis petiere relictis; 210  
 At rudis enituit impulso vomere campus.  
 Nam ieiuna quidem clivosi glareae ruris  
 Vix humilis apibus casias roremque ministrat;  
 Et tophus scaber, et nigris exessa chelydri-  
 Creta negant alios aequae serpentibus agros 215  
 Dulcem ferre cibum et curvas praebere latebras.  
 Quae tenuem exhalat nebulam fumosque volucris,  
 Et bibit umorem, et, cum vult, ex se ipsa remittit,  
 Quaeque suo semper viridis se gramine vestit,  
 Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum: 220  
 Illa tibi laetis intexet vitibus ulmos,  
 Illa ferax oleost, illam experiere colendo  
 Et facilem pecori et patientem vomeris unci.  
 Talem dives arat Capua et vicina Vesevo  
 Ora iugo et vacuis Clanius non aecus Acerris. 225

Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam.  
 Rara sit an supra morem si densa requires,  
 Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,  
 Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo:  
 Ante locum capies oculis, alteque iubebis 230  
 In solido puteum demitti, omnemque repones  
 Rursus humum, et pedibus summas aequabis harenas.  
 Si deerunt, rarum pecorique et vitibus alm-  
 Aptius uber erit; sin in sua posse negabunt  
 Ire loca et scrobibus superabit terra repletis, 235  
 Spissus ager; glaebas cunctantis crassa-  
 que terga  
 Exspecta, et validis terram proscinde iuven-  
 cis.  
 Salsa autem tellus et quae perhibetur amara,  
 Frugibus infelix, — ea nec mansuescit arando,

Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat — 240  
 Tale dabit specimen: Tu spisso vimine qualos,  
 Colaue prelorum fumosis deripe tectis;  
 Huc ager ille malus dulcesque a fontibus undae  
 Ad plenum calcentur; aqua eluctabitur omnis  
 Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttae; 245  
 At sapor indicium faciet, manifestus et ora  
 Tristia temptantum sensu torquebit amaror.  
 Pinguis item quae sit tellus, hoc denique pacto  
 Discimus: haud umquam manibus iactata fatiscit,  
 Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo. 250  
 Umida maiores herbas alit, ipsaque iusto  
 Laetior. A nimium ne sit mihi fertilis illa,  
 Neu se praevalidam primis ostendat aristis!  
 Quae gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,  
 Quaeque levis. Promptumst oculis praediscere ni-  
 gram, 255  
 Et quis cui color. At scleratum exquirere frigus  
 Difficilest: piceae tantum, taxique nocentes  
 Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigrae.

His animadversis, terram multo ante memento  
 Excoquere et magnos scrobibus concidere montis, 260  
 Ante supinatas aquiloni ostendere glaebas,  
 Quam laetum infodias vitis genus. Optuma putri  
 Arva solo: id venti curant gelidaeque pruinae,  
 Et labefacta movens robustus iugera fossor.  
 At, siquos haud ulla viros vigilantia fugit, 265  
 Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur  
 Arboribus seges, et quo mox digesta feratur,  
 Mutatam ignorent subito ne semina matrem.  
 Quin etiam caeli regionem in cortice signant,  
 Ut, quo quaeque modo steterit, qua parte calores 270  
 Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,  
 Restituant: adeo in teneris consuescere multumst.  
 Collibus an plano melius sit ponere vitem,  
 Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,  
 Densa sere; in denso non segnior ubere Bacchus; 275

Sin tumulis adclive solum collisque supinos,  
 Indulge ordinibus, nec setius omnis in unguem  
 Arboribus positis secto via limite quadret.  
 Ut saepe ingenti bello cum longa cohortes  
 Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto, 280  
 Directaeque acies, ac late fluctuat omnis  
 Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent  
 Proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis:  
 Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;  
 Non animum modo uti pascat prospectus inanem, 285  
 Sed quia non aliter viris dabit omnibus aequas  
 Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.

Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.  
 Ausim vel tenui vitem committere sulco.  
 Altior ac penitus terrae defigitur arbor, 290  
 Aesculus in primis, quae, quantum vertice ad auras  
 Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.  
 Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres  
 Convellunt; inmota manet, multosque nepotes,  
 Multa virum volvens durando saecula vincit. 295  
 Tum fortis late ramos et brachia tendens  
 Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;  
 Neve inter vitis corylum sere; neve flagella  
 Summa pete, aut summa defringe ex arbore  
 plantas: 300  
 Tantus amor terrae; neu ferro laede retunso  
 Semina; neve olea silvestris insere truncos:  
 Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,  
 Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,  
 Robora comprehendit, frondesque elapsus in altas 305  
 Ingentem caelo sonitum dedit; inde secutus  
 Per ramos victor perque alta cacumina regnat,  
 Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram  
 Ad caelum picea crassus caligine nubem,  
 Praesertim si tempestas a vertice silvis 310

Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.  
 Hoc ubi, non a stirpe valent caesaeque reverti  
 Possunt adque ima similes revirescere terra;  
 Infelix superat foliis oleaster amaris.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat  
 auctor 315

Tellurem Borea rigidam spirante movere.  
 Rura gelu tum claudit hiemps; nec semine iacto  
 Concretam patitur radicem adfigere terrae.  
 Optuma vinetis satio, cum vere rubenti  
 Candida venit avis longis invis a colubris, 320  
 Prima vel autumn sub frigora, cum rapidus Sol  
 Nondum hiemem contingit equis, iam praeterit aestas.  
 Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis;  
 Vere tument terrae et genitalia semina poscunt.  
 Tum pater omnipotens fecundis imbribus Aether 325  
 Coniugis in gremium laetae descendit, et omnis  
 Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.  
 Avia tum resonant avibus virgulta canoris,  
 Et Venerem certis repetunt armenta diebus;  
 Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris 330  
 Laxant arva sinus; superat tener omnibus umor;  
 Inque novos soles audent se germina tuto  
 Credere; nec metuit surgentis pampinus austros,  
 Aut actum caelo magnis aquilonibus imbrem,  
 Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnis. 335  
 Non alios prima crescentis origine mundi  
 Inluxisse dies aliumve habuisse tenorem  
 Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat  
 Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:  
 Cum primae lucem pecudes hausere, virumque 340  
 Terrea progenies duris caput extulit arvis,  
 Inmissaeque ferae silvis et sidera caelo.  
 Nec res hunc tenerae possent perferre laborem,  
 Si non tanta quies iret frigusque caloremque  
 Inter, et exciperet caeli indulgentia terras. 345

Quod superest, quaecumque premes virgulta per  
agros,

Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra,  
Aut lapidem bibulum, aut squalentis infode conchas;  
Inter enim labentur aquae, tenuisque subibit  
Halitus, adque animos tollent sata; iamque reperti, 350  
Qui saxo super adque ingentis pondere testae  
Urguerent; hoc effusos munimen ad imbris,  
Hoc, ubi hiulca siti findit canis aestifer arva.

Seminibus positis, superest diducere terram  
Saepius ad capita, et duros iactare bidentis, 355  
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa  
Flectere luctantis inter vineta iuencos;  
Tum levis calamos et rasae hastilia virgae  
Fraxineasque aptare sudes, furcasque valentis  
Viribus eniti quarum et contemnere ventos 360  
Adsuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.

Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas,  
Parcendum teneris, et dum se laetus ad auras  
Palmes agit, laxis per purum inmissus habenis,  
Ipsa acie nondum falcis temptanda, sed uncis 365  
Carpendae manibus frondes, interque legendae.  
Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmos  
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde;  
Ante reformidant ferrum; tum denique dura  
Exerce inperia, et ramos compesce fluentis. 370

Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,  
Praecipue dum frons tenera imprudensque laborum;  
Cui super indignas hiemes solemque potentem  
Silvestres uri adsidue capraeque sequaces  
Inludunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae. 375  
Frigora nec tantum cana concreta pruina,  
Aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,  
Quantum illi nocuere greges, durique venenum  
Dentis et admorso signata in stirpe cicatrix.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris 380  
 Caeditur et veteres ineunt proscaenia ludi,  
 Praemiaque ingeniis pagos et compita circum  
 Thesidae posuere, adque inter pocula laeti  
 Mollibus in pratis unctos saluere per utres.  
 Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni 385  
 Versibus incomptis ludunt risuque soluto,  
 Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,  
 Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibi que  
 Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.  
 Hinc omnis largo pubescit vinea fetu, 390  
 Conplentur vallesque cavae saltusque profundi,  
 Et quocumque deus circum caput egit honestum.  
 Ergo rite suum Baccho dicemus honorem  
 Carminibus patriis lancesque et liba feremus,  
 Et ductus cornu stabit sacer hircuus ad aram, 395  
 Pinguique in veribus torrebimus exta columnis.

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,  
 Cui numquam exhausti satis est: namque omne quot  
 annis

Terque quaterque solum scindendum, glaebaque versis  
 Aeternum frangenda bidentibus; omne levandum 400  
 Fronde nemus. Redit agricolis labor actus in orbem,  
 Adque in se sua per vestigia volvitur annus.  
 Ac iam olim, seras posuit cum vinea frondes,  
 Frigidus et silvis aquilo decussit honorem,  
 Iam tum acer curas venientem extendit in annum 405  
 Rusticus, et curvo Saturni dente relictam  
 Persequitur vitem attondens fingitque putando.  
 Primus humum fodito, primus devecta cremato  
 Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;  
 Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra, 410  
 Bis segetem densis obducunt sentibus herbae;  
 Durus uterque labor: laudato ingentia rura,  
 Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci  
 Vimina per silvam, et ripis fluvialis harundo  
 Caeditur, incultique exercet cura salicti. 415



Iam vinctae vites, iam falcem arbusta reponunt,  
 Iam canit effectos extremus vinitor antes:  
 Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus,  
 Et iam maturis metuendus Iuppiter uvis.

Contra non ullast oleis cultura; neque illae 420  
 Procurvam exspectant falcem rastrosque tenacis,  
 Cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt;  
 Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,  
 Sufficit umorem et gravidas cum vomere fruges.  
 Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam. 425

Poma quoque, ut primum truncos sensere valentis  
 Et viris habuere suas, ad sidera raptim  
 Vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae.  
 Nec minus interea fetu nemus omne gravescit,  
 Sanguineisque inculta rubent aviaria baxis. 430  
 Tondentur cytisi, taedas silva alta ministrat,  
 Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.  
 Et dubitant homines serere adque inpendere curam?  
 Quid maiora sequar? — salices humilesque genestae,  
 Aut illae pecori frondem aut pastoribus umbras 435  
 Sufficiunt, saepemque satis et pabula melli —  
 Et iuvat undantem buxo spectare Cytorum  
 Naryciaeque picis lucos, iuvat arva videre  
 Non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.  
 Ipsae Caucasio steriles in vertice silvae, 440  
 Quas animosi Euri adsidue franguntque feruntque,  
 Dant alios aliae fetus, dant utile lignum  
 Navigiis pinos, domibus caedrumque cupressosque.  
 Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustreis  
 Agricolae, et pandas ratibus posuere carinas. 445  
 Viminibus salices fecundae, frondibus ulmi,  
 At myrtus validis hastilibus et bona bello  
 Cornus; Ituraeos taxi torquentur in arcus.  
 Nec tiliae leves aut torno rasile buxum  
 Non formam accipiunt ferroque cavantur acuto. 450  
 Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,

Missa Pado; nec non et apes examina condunt  
Corticibusque cavis vitiosaeque ilicis alveo.  
Quid memorandum aequae Baccheia dona tulerunt?  
Bacchus et ad culpam caussas dedit; ille furentis 455  
Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque  
Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
Agricolae! quibus ipsa, procul discordibus armis,  
Fundit humo facilem victum iustissima tellus. 460  
Si non ingentem foribus domus alta superbis  
Mane salutantum totis vomit aedibus undam,  
Nec varios inhiant pulchra testudine postis,  
Inlusasque auro vestes, Ephyreiaque aera,  
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno, 465  
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:  
At secura quies et nescia fallere vita,  
Dives opum variarum, at latis otia fundis,  
Speluncae, vivique lacus, at frigida Tempe,  
Mugitusque bovom, mollesque sub arbore somni 470  
Non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,  
Et patiens operum exiguoque adsueta iuventus,  
Sacra deum, sanctique patres; extrema per illos  
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musae, 475  
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,  
Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,  
Defectus solis varios, lunaeque laboris;  
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant  
Obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant, 480  
Quid tantum Oceano properent se tingere soles  
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.  
Sin, has ne possim naturae accedere partis,  
Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis:  
Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes; 485  
Flumina amem silvasque inglorius. O, ubi campi  
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacaenis

Taygeta! o, qui me gelidis in vallibus Haemi  
 Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!  
 Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas, 490  
 Adque metus omnis et inexorabile fatum  
 Subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari!  
 Fortunatus et ille, deos qui novit agrestis,  
 Panaque Sylvanumque senem Nymphasque sorores!  
 Illum non populi fascēs, non purpura regum 495  
 Flexit et infidos agitans discordia fratres,  
 Aut coniurato descendens Dacus ab Histro,  
 Non res Romanae, perituraque regna; neque ille  
 Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.  
 Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura 500  
 Sponte tulere sua, carpsit; nec ferrea iura  
 Insanumque forum aut populi tabularia vidit.  
 Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque  
 In ferrum, penetrant aulas et limina regum;  
 Hic petit excidiis urbem miserosque Penatis, 505  
 Ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;  
 Condit opes alius, defossoque incubat auro;  
 Hic stupet attonitus Rostris; hunc plausus hiantem  
 Per cuneos geminatus enim plebisque patrumque  
 Corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum, 510  
 Exsilioque domos et dulcia limina mutant,  
 Adque alio patriam quaerunt sub sole iacentem.  
 Agricola incurvo terram dimovit aratro:  
 Hinc anni labor, hinc patriam parvosque nepotes  
 Sustinet, hinc armenta bovom meritosque iuven-  
 cos. 515  
 Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,  
 Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,  
 Proventuque oneret sulcos adque horrea vincat.  
 Venit hiemps: teritur Sicyonia baca trapetis,  
 Glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae; 520  
 Et varios ponit fetus autumnus, et alte  
 Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.  
 Interea dulces pendent circum oscula nati,  
 Casta pudicitiam servat domus, ubera vaccae

## GEORGICON LIB. II.

61

Lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto      525  
Inter se adversis luctantur cornibus haedi.  
Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,  
Ignis ubi in medio et socii cratera coronant,  
Te, libans, Lenaeae, vocat, pecorisque magistris  
Velocis iaculi certamina ponit in ulmo,      530  
Corporaque agresti nudant praedura palaestrae.  
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,  
Hanc Remus et frater, sic fortis Etruria crevit  
Scilicet et rerum factast pulcherrima Roma,  
Septemque una sibi muro circumdedit arces.      535  
Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante  
Impia quam caesis gens est epulata iuvenis,  
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat;  
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum  
Inpositos duris crepitare incudibus enses.      540

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,  
Et iam tempus ecum fumantia solvere colla.

---

P. VERGILI MARONIS  
G E O R G I C O N  
LIBER TERTIUS.

**T**e quoque, magna Pales, et te memorande canemus  
Pastor ab Amphryso, vos, silvae amnesque Lycaeï.  
Cetera, quae vacuas tenuissent carmine mentes,  
Omnia iam volgata: quis aut Eurysthea durum,  
Aut inlaudati nescit Busiridis aras? 5  
Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos,  
Hippodameque, umeroque Pelops insignis eburno,  
Acer equis? Temptanda viast, qua me quoque possim  
Tollere humo victorque virum volitare per ora.  
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, 10  
Aonio rediens deducam vertice Musas;  
Primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas;  
Et viridi in campo templum de marmore ponam  
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat  
Mincius et tenera praetexit harundine ripas. 15  
In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.  
Illi victor ego et Tyrio conspectus in ostro  
Centum quadriugos agitabo ad flumina currus.  
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,  
Cursibus et crudo decernet Graecia caestu. 20  
Ipse, caput tonsae foliis ornatus olivae,

Dona feram. Iam nunc sollemnis ducere pompas  
 Ad delubra iuvat caesosque videre iuencos;  
 Vel scaena ut versis discedat frontibus, utque  
 Purpurea intexti tollant aulaea Britanni. 25  
 In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto  
 Gangaridum faciam victorisque arma Quirini,  
 Adque hic undantem bello magnumque fluentem  
 Nilum ac navali surgentis aere columnas.  
 Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten 30  
 Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis,  
 Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea  
 Bisque triumphatas utroque ab litore gentis.  
 Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,  
 Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis 35  
 Nomina, Trosque parens, et Troiae Cynthius auctor.  
 Invidia infelix Furias amnemque severum  
 Cocyti metuet tortosque Ixionis anguis  
 Humanemque rotam, et non exsuperabile saxum.  
 Interea Dryadum silvas saltusque sequamur 40  
 Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa.  
 Te sine nil altum mens incohat: en age, segnis  
 Rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithaeron  
 Taygetique canes domitrixque Epidaurus equorum,  
 Et vox adsensu nemorum ingeminata remugit. 45  
 Mox tamen ardentis accingar dicere pugnas  
 Caesaris, et nomen fama tot ferre per annos,  
 Tithoni prima quot abest ab origine Caesar.

Seu quis, Olympiacae miratus praemia palmae,  
 Pascit equos, seu quis fortis ad aratra iuencos, 50  
 Corpora praecipue matrum legat. Optuma torvae.  
 Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,  
 Et crurum tenuis a mento palcaria pendent;  
 Tum longo nullus lateri modus; omnia magna,  
 Pes etiam; et camuris hirtae sub cornibus aures. 55  
 Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,  
 Aut iuga detractans, interdumque aspera cornu,  
 Et faciem tauro propior, quaeque ardua tota,

Et gradiens ima verrit vestigia cauda.  
 Aetas Lucinam iustosque pati hymenaeos 60  
 Desinit ante decem, post quattuor incipit annos;  
 Cetera nec feturae habilis, nec fortis aratris.  
 Interea, superat gregibus dum laeta iuventas,  
 Solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus,  
 Adque aliam ex alia generando suffice prolem. 65  
 Optuma quaeque dies miseris mortalibus aevi  
 Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus,  
 Et labor et durae rapit inclementia mortis.  
 Semper erunt, quarum mutari corpora malis:  
 Semper enim refice, ac, ne post amissa requiras, 70  
 Anteveni, et subolem armento sortire quot annis.

Nec non et pecorist idem delectus equino.  
 Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,  
 Praecipuum iam inde a teneris inpende laborem.  
 Continuo pecoris generosi pullus in arvis 75  
 Altius ingreditur, et mollia crura reponit;  
 Primus et ire viam et fluvios temptare minacis  
 Audet et ignoto sese committere ponti,  
 Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,  
 Argutumque caput, brevis alvos, obessaque terga, 80  
 Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti  
 Spadices glaucique, color deterrimus albis  
 Et gilvo. Tum, siqua sonum procul arma dedere,  
 Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus,  
 Collectumque fremens volvitur sub naribus ignem. 85  
 Densa iuba, et dextro iactata recumbit in armo;  
 At duplex agitur per lumbos spina; cavatque  
 Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.  
 Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis  
 Cyllarus, et, quorum Grai meminere poetae, 90  
 Martis equi biuges, et magni currus Achilli.  
 Talis et ipse iubam cervice effudit equina  
 Coniugis adventu pernix Saturnus, et altum  
 Pelion hinnitu fugiens inplevit acuto.

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis aut iam segnior  
annis 95

Deficit, abdē domo, nec turpi ignosce senectae:  
Frigidus in Venerem senior, frustra que laborem  
Ingratum trahit; et, siquando ad proelia ventumst,  
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,  
Incassum furit. Ergo animos aevomque notabis 100  
Praecipue; hinc alias artis, prolemque parentum,  
Et quis cuique dolor victo, quae gloria palmae.  
Nonne vides, cum praecipiti certamine campum  
Corripuere ruuntque effusi carcere currus,  
Cum spes arrectae iuvenum, exsultantiaque haurit 105  
Corda pavor pulsans? Illi instant verbere torto  
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis;  
Iamque humiles, iamque elati sublime videntur  
Aera per vacuum ferri, adque adsurgere in auras;  
Nec mora, nec requies; at fulvae nimbus harenae 110  
Tollitur; umescunt spumis flatuque sequentum:  
Tantus amor laudum, tantaest victoria curae.  
Primus Erichthonius currus et quattuor ausus  
Iungere equos, rapidusque rotis insistere victor.  
Frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere 115  
Inpositi dorso, adque equitem docuere sub armis  
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.  
Aecus uterque labor; aequae iuvenemque magistri  
Exquirunt calidumque animis et cursibus acrem,  
Quamvis saepe fuga versos ille egerit hostis, 120  
Et patriam Epirum referat, fortisque Mycenae,  
Neptunique ipsa deducat origine gentem.

His animadversis instant sub tempus, et omnis  
Inpendunt curas denso distendere pingui,  
Quem legere ducem et pecori dixere maritum; 125  
Florentisque secant herbas, fluviosque ministrant,  
Farraque, ne blando nequeat superesse labori,  
Invalidique patrum referant ieiunia nati.  
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes,  
Adque, ubi concubitus primos iam nota voluptas 130



Sollicitat, frondesque negant et fontibus arcent.  
 Saepe etiam cursu quatiunt et sole fatigant,  
 Cum graviter tunsis gemit area frugibus, et cum  
 Surgentem ad Zephyrum paleae iactantur inanes.  
 Hoc faciunt, nimio ne luxu obtunsior usus 135  
 Sit genitali arvo et sulcos oblimet inertis,  
 Sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.

Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum  
 Incipit. Exactis gravidae cum mensibus errant,  
 Non illas gravibus quisquam iuga ducere plaustris, 140  
 Non saltu superare viam sit passus et acri  
 Carpere prata fuga fluviosque innare rapacis.  
 Saltibus in vacuis pascunt et plena secundum  
 Flumina, muscus ubi et viridissima gramine ripa,  
 Speluncaeque tegant, et saxea procubet umbra. 145  
 Est lucos Silari circa ilicibusque virentem  
 Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo  
 Romanumst, oestrum Grai vertere vocantes,  
 Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis  
 Diffugiunt armenta; furit mugitibus aether 150  
 Concussus silvaeque et sicci ripa Tanagri.  
 Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras  
 Inachiae Iuno pestem meditata iuvencae.  
 Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,  
 Arcebis grvido pecori, armentaque pascas 155  
 Sole recens orto aut noctem ducentibus astris.

Post partum cura in vitulos traducitur omnis;  
 Continuoque notas et nomina gentis inurunt,  
 Et quos aut pecori malint submittere habendo,  
 Aut aris servare sacros, aut scindere terram 160  
 Et campum horrentem fractis invertere glaebis.  
 Cetera pascuntur viridis armenta per herbas.  
 Tu quos ad studium adque usum formabis agrestem,  
 Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,  
 Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas. 165  
 Ac primum laxos tenui de vimine circlos  
 Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla

Servitio adsuerint, ipsis e torquibus aptos  
 Iunge pares, et coge gradum conferre iuencos;  
 Adque illis iam saepe rotae ducantur inanes 170  
 Per terram, et summo vestigia pulvere signent;  
 Post valido nitens sub pondere faginus axis  
 Instrepat, et iunctos temo trahat aereus orbis.  
 Interea pubi indomitae non gramina tantum,  
 Nec vescas salicum frondes ulvamque palustrem, 175  
 Sed frumenta manu carpes sata; nec tibi fetae,  
 More patrum, nivea inplebunt mulctraria vaccae,  
 Sed tota in dulcis consument ubera natos.

Sin ad bella magis studium turmasque ferocis,  
 Aut Alpheia rotis praelabi flumina Pisae, 180  
 Et Iovis in luco currus agitare volantis:  
 Primus equi labor est, animos adque arma videre  
 Bellantum, lituosque pati, tractuque gementem  
 Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantis;  
 Tum magis adque magis blandis gaudere magistri 185  
 Laudibus et plausae sonitum cervicis amare.  
 Adque haec iam primo depulsus ab ubere matris  
 Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris  
 Invalidus etiamque tremens, etiam inscius aevi.  
 At tribus exactis ubi quarta acceperit aestas, 190  
 Carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare  
 Conpositis, sinuetque alterna volumina crurum,  
 Sitque laboranti similis; tum cursibus auras,  
 Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,  
 Aequora vix summa vestigia ponat harena; 195  
 Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris  
 Incubuit, Scythiaeque hiemes adque arida differt  
 Nubila; tum segetes altae campique natantes  
 Lenibus horrescunt flabris, summaeque sonorem  
 Dant silvae, longique urgent ad litora fluctus; 200  
 Ille volat, simul arva fuga, simul aequora verrens.  
 Hic vel ad Elei metas et maxuma campi  
 Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas,  
 Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Tum demum crassa magnum farragine corpus      205  
 Crescere iam domitis sinito: namque ante domandum  
 Ingentis tollent animos, prensique negabunt  
 Verbera lenta pati et duris parere lupatis.

Sed non ulla magis viris industria firmat,  
 Quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris,      210  
 Sive hovom sivist cui gratior usus equorum.  
 Adque ideo tauros procul adque in sola relegant  
 Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata;  
 Aut intus clausos satura ad praesepia servant.  
 Carpit enim viris paulatim uritque videndo      215  
 Femina, nec nemorum patitur meminisse nec herbae.  
 Dulcibus illa quidem inlecebris et saepe superbos  
 Cornibus inter se subigit decernere amantis.  
 \*Pascitur in magna Sila formosa iuvenca:  
 Illi alternantes multa vi proelia miscent      220  
 Volneribus crebris; lavit ater corpora sanguis,  
 Versaque in obnixos urguntur cornua vasto  
 Cum gemitu; reboant silvaeque et longus Olympus.  
 Nec mos bellantis una stabulare; sed alter  
 Victus abit, longeque ignotis exsulat oris,      225  
 Multa gemens ignominiam plagasque superbi  
 Victoris, tum, quos amisit inultus, amores;  
 Et stabula adspectans regnis excessit avitis.  
 Ergo omni cura viris exercet, et inter  
 Dura iacet pernox instrato saxa cubili,      230  
 Frondibus hirsutis et carice pastus acuta,  
 Et temptat sese, adque irasci in cornua discit  
 Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit  
 Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit harena.  
 Post, ubi collectum robur viresque refectae,      235  
 Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hostem;  
 Fluctus uti medio coepit cum albescere ponto,  
 Longius, ex altoque sinum trahit; utque volutus  
 Ad terras inmane sonat per saxa, neque ipso  
 Monte minor procumbit; at ima exaestuât unda      240  
 Verticibus, nigramque alte subiectat harenam.

Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,  
 Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres,  
 In furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.  
 Tempore non alio catulorum oblita leaena 245  
 Saevior erravit campis, nec funera volgo  
 Tam multa informes ursi stragemque dedere  
 Per silvas; tum saevos aper, tum pessima tigris;  
 Heu, male tum Libyae solis erratur in agris.  
 Nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum 250  
 Corpora, si tantum notas odor attulit auras?  
 Ac neque eos iam frena virum, neque verbera saeva,  
 Non scopuli rupesque cavae adque obiecta retardant  
 Flumina, correptos unda torquentia montis.  
 Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus, 255  
 Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,  
 Adque hinc adque illinc umeros ad volnera durat.  
 Quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem  
 Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis  
 Nocte natat caeca serus freta; quem super ingens 260  
 Porta tonat caeli, et scopulis inlisa reclamant  
 Aequora; nec miseri possunt revocare parentes,  
 Nec moritura super crudeli funere virgo.  
 Quid lynces Bacchi variae et genus acre luporum  
 Adque canum? quid, quae inbelles dant proelia cervi? 265  
 Scilicet ante omnis furor est insignis equarum;  
 Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci  
 Potniades malis membra absumpsere quadrigae.  
 Illas ducit amor trans Gargara transque sonantem  
 Ascanium; superant montis et flumina tranant. 270  
 Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis: —  
 Vere magis, quia vere calor redit ossibus — illae  
 Ore omnes versae in Zephyrum stant rupibus altis,  
 Exceptantque levis auras, et saepe sine ullis  
 Coniugiis vento gravidae — mirabile dictu — 275  
 Saxa per et scopulos et depressas convallis  
 Diffugiunt, non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus,  
 In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster  
 Nascitur et pluvio contristat frigore caelum.

Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt 280  
 Pastores, lentum destillat ab inguine virus;  
 Hippomanes, quod saepe malae legere novercae,  
 Miscueruntque herbas et non innoxia verba.

Sed fugit interea, fugit inreparabile tempus,  
 Singula dum capti circumvectamur amore. 285  
 Hoc satis armentis: superat pars altera curae,  
 Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.  
 Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.  
 Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum  
 Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem; 290  
 Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis  
 Raptat amor; iuvat ire iugis, qua nulla priorum  
 Castaliam molli devertitur orbita clivo.  
 Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.

Incipiens stabulis edico in mollibus herbam 295  
 Carpere ovis, dum mox frondosa reducitur aestas,  
 Et multa duram stipula felicumque manipulis  
 Sternere subter humum, glacies ne frigida laedat  
 Molle pecus, scabiemque ferat turpisque podagras.  
 Post hinc digressus iubeo frondentia capris 300  
 Arbusta sufficere et fluvios praebere recentis,  
 Et stabula a ventis hiberno opponere soli  
 Ad medium conversa diem, cum frigidus olim  
 Iam cadit extremoque inrorat Aquarius anno.  
 Hae quoque non cura nobis levior tuendae, 305  
 Nec minor usus erit, quamvis Milesia magno  
 Vellera mutantur Tyrios incocta rubores:  
 Densior hinc suboles, hinc largi copia lactis;  
 Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,  
 Laeta magis pressis manabunt flumina mammis. 310  
 Nec minus interea barbas incanaeque menta  
 Cinyphii tondent hirqui saetasque comantis  
 Usus in castrorum et miseris velamina nautis.  
 Pascuntur vero silvas et summa Lycaei,  
 Horrentisque rubos et amantis ardua dumos; 315

Adque ipsae memores redeunt in tecta, suosque  
 Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.  
 Ergo omni studio glaciem ventosque nivalis,  
 Quo minus est illis curae mortalis egestas,  
 Avertes, victumque feres et virgea laetus 320  
 Pabula, nec tota claudes faenilia bruma.  
 At vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas  
 In saltus utrumque gregem adque in pascua mittet,  
 Luciferi primo cum sidere frigida rura  
 Carpamus, dum mane novom, dum gramina canent, 325  
 Et ros in tenera pecori gratissimus herba.  
 Inde, ubi quarta sitim caeli collegerit hora  
 Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,  
 Ad puteos aut alta greges ad stagna iubeto  
 Currentem ilignis potare canalibus undam; 330  
 Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,  
 Sicubi magna Iovis antiquo robore quercus  
 Ingentis tendat ramos, aut sicubi nigrum  
 Illicibus crebris sacra nemus accubet umbra;  
 Tum tenuis dare rursus aquas, et pascere rursus 335  
 Solis ad occassum, cum frigidus aera vesper  
 Temperat, et saltus reficit iam roscida luna,  
 Litoraue alcyonen resonant, acalanthida dumi.

Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu  
 Prosequar, et raris habitata mapalia tectis? 340  
 Saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem  
 Pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis  
 Hospitiis: tantum campi iacet. Omnia secum  
 Armentarius Afer agit, tectumque Laremque  
 Armaque Amyclaeumque canem Cressamque phare-  
 tram; 345

Non secus ac patriis acer Romanus in armis  
 Iniusto sub fasce viam cum carpit, et hosti  
 Ante exspectatum positus stat in agmine castris.

At non, qua Scythiae gentes Maeotiaque unda,  
 Turbidus et torquens flayentis Hister harenas, 350

Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.  
 Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullae  
 Aut herbae campo adparent aut arbore frondes;  
 Sed iacet aggeribus niveis informis et alto  
 Terra gelu late, septemque adsurgit in ulnas. 355  
 Semper hiemps, semper spirantes frigora cauri.  
 Tum sol pallentis haud umquam discutit umbras,  
 Nec cum invectus equis altum petit aethera, nec cum  
 Praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.  
 Concrescunt subitae currenti in flumine crustae, 360  
 Undaque iam tergo ferratos sustinet orbis,  
 Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustis;  
 Aeraque dissiliunt volgo, vestesque rigescunt  
 Indutae, caeduntque securibus umida vina,  
 Et totae solidam in glaciem vertere lacunae, 365  
 Stiriaque inpexis induruit horrida barbis.  
 Interea toto non setius aere ninguit:  
 Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis  
 Corpora magna bovom, confertoque agmine cervi  
 Torpent mole nova et summis vix cornibus exstant. 370  
 Hos non inmissis canibus, non cassibus ullis  
 Puniceaeve agitant pavidos formidine pinnae;  
 Sed frustra oppositum trudentis pectore montem  
 Comminus obtruncant ferro, graviterque rudentis  
 Caedunt, et magno laeti clamore reportant. 375  
 Ipsi in defossis specubus secura sub alta  
 Otia agunt terra, congestaque robora totasque  
 Advolvere focis ulmos ignique dedere.  
 Hic noctem ludo ducunt, et pocula laeti  
 Fermento adque acidis imitantur vitea sorbis. 380  
 Talis Hyperboreo Septem subiecta trioni  
 Gens effrena virum Rhipaeo tunditur Euro,  
 Et pecudum fulvis velatur corpora saetis.

Si tibi lanitium curae, primum aspera silva,  
 Lappaeque tribolique absint; fuge pabula laeta; 385  
 Continuoque greges villis lege mollibus albos.  
 Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,

Nigra subest udo tantum cui lingua palato,  
 Reice, ne maculis infuscet vellera pullis  
 Nascentum, plenoque alium circumspice campo. 390  
 Munere sic niveo lanae, si credere dignumst,  
 Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit,  
 In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.

At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentis  
 Ipse manu salsasque ferat praesepebus herbas. 395  
 Hinc et amant fluvios magis, et magis ubera tendunt,  
 Et salis occultum referunt in lacte saporem.  
 Multi iam excretos prohibent a matribus haedos,  
 Primaque ferratis praefigunt ora capistris.  
 Quod surgente die mulsero horisque diurnis, 400  
 Nocte premunt; quod iam tenebris et sole cadente,  
 Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor;  
 Aut parco sale continguunt hiemique reponunt.

Nec tibi cura canum fuerit postrema, seti una  
 Velocis Spartae catulos acremque Molossum 405  
 Pasce sero pingui. Numquam custodibus illis  
 Nocturnum stabulis furem incursusque luporum,  
 Aut inpacatos a tergo horrebis Hiberos.  
 Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros,  
 Et canibus leporem, canibus venabere dammas; 410  
 Saepe volutabris pulsos silvestribus apros  
 Latratu turbabis agens, montisque per altos  
 Ingentem clamore premes ad retia cervom.

Disce et odoratam stabulis accendere caedrum,  
 Galbaneoque agitare gravis nidore chelydros. 415  
 Saepe sub inmotis praesepebus aut mala tactu  
 Vipera delituit caelumque exterrita fugit;  
 Aut tecto adsuetus coluber succedere et umbrae,  
 Pestis acerba bovom, pecorique adspargere virus,  
 Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor, 420  
 Tollentemque minas et sibila colla tumentem  
 Deice. Iamque fuga timidum caput abdidit alte,



Cum medii nexu extremaeque agmina caudae  
 Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbis.  
 Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis, 425  
 Squamea convolvens sublato pectore terga  
 Adque notis longam maculosus grandibus alvom,  
 Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus et dum  
 Vere madent udo terrae ac pluvialibus austris,  
 Stagna colit, ripisque habitans, hic piscibus atram 430  
 Inprobus ingluviem ranisque loquacibus explet;  
 Postquam exusta palus, terraeque ardore dehiscunt,  
 Exsilit in siccum, et flammantia lumina torquens  
 Saevit agris, asperque siti adque exterritus aestu.  
 Nec mihi tum mollis sub divo carpere somnos, 435  
 Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas,  
 Cum positis novos exuviis nitidusque iuventa  
 Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,  
 Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

Morborum quoque te causas et signa docebo. 440  
 Turpis ovis temptat scabies, ubi frigidus imber  
 Altius ad vivom persedit et horrida cano  
 Bruma gelu, vel cum tonsis inlotus adhaesit  
 Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.  
 Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri 445  
 Perfundunt, udisque aries in gurgite villis  
 Mersatur, missusque secundo defluit amni;  
 Aut tonsum tristi contingunt corpus amurga,  
 Et spumas miscent argenti et sulpura viva  
 Idaeasque pices et pinguis unguine ceras. 450  
 Scillamque elleborosque gravis nigrumque bitumen.  
 Non tamen ulla magis praesens fortuna laborumst,  
 Quam si quis ferro potuit rescindere summum  
 Ulceris os: alitur vitium vivitque tegendo,  
 Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor 455  
 Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.  
 Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa  
 Cum furit adque artus depascitur arida febris,  
 Profuit incensos aestus avertere et inter

Ima ferire pedis salientem sanguine venam ; 460  
Bisaltæ quo more solent acerque Gelonus,  
Cum fugit in Rhodopen adque in deserta Getarum,  
Et lac concretum cum sanguine potat equino.  
Quam procul aut molli succedere saepius umbræ  
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas, 465  
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo  
Pascentem, et serae solam decedere nocti :  
Continuo culpam ferro compesce, prius quam  
Dira per incautum serpent contagia volgus.  
Non tam creber agens hiemem ruit aequore turbo, 470  
Quam multae pecudum pestes. Nec singula morbi  
Corpora corripunt, sed tota aestiva repente,  
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine  
gentem.  
Tum sciat, aerias Alpes et Norica siquis  
Castella in tumulis et Iapydis arva Timavi 475  
Nunc quoque post tanto videat desertaque regna  
Pastorum et longe saltus lateque vacantis.

Hic quondam morbo caeli miseranda cohortast  
Tempestas totoque autumnî incanduit aestu,  
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum, 480  
Corruptique lacus, infecit pabula tabo.  
Nec via mortis erat simplex; sed ubi ignea venis  
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,  
Rursus abundabat fluvidus liquor omniaque in se  
Ossa minutatim morbo conlapsa trahebat. 485  
Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram,  
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,  
Inter cunctantis cecidit moribunda ministros.  
Aut siquam ferro mactaverat ante sacerdos,  
Inde neque inpositis ardent altaria fibris, 490  
Nec responsa potest consultus reddere vates,  
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri  
Summaque ieiuna sanie infusatur harena.  
Hinc laetis vituli volgo moriuntur in herbis,  
Et dulcis animas plena ad praesepia reddunt; 495

Hinc canibus blandis rabies venit, et quatit aegros  
 Tussis anhela sues ac faucibus angit obsessis.  
 Labitur infelix studiorum adque inmemor herbae  
 Victor ecus fontisque avertitur et pede terram  
 Crebra ferit; demissae aures, incertus ibidem 500  
 Sudor, et ille quidem moriturus frigidus, aret  
 Pellis et ad tactum tractanti dura resistit.  
 Haec ante exitium primis dant signa diebus;  
 Sin in processu coepit crudescere morbus,  
 Tum vero ardentes oculi adque attractus ab alto 505  
 Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo  
 Ilia singultu tendunt, it naribus ater  
 Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.  
 Profuit inserto latices infundere cornu  
 Lenaeos; ea visa salus morientibus una; 510  
 Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque relecti  
 Ardebant, ipsique suos iam morte sub aegra —  
 Di meliora piis erroremque hostibus illum! —  
 Discissos nudis laniabant dentibus artus.  
 Ecce autem duro fumans sub vomere taurus 515  
 Concidit et mixtum spumis vomit ore cruorem  
 Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,  
 Maerentem abiungens fraterna morte iuencum,  
 Adque opere in medio defixa relinquit aratra.  
 Non umbrae altorum nemorum, non mollia possunt 520  
 Prata movere animum, non, qui per saxa volutus  
 Purior electro campum petit amnis; at ima  
 Solvontur latera, adque oculos stupor urguet inertis,  
 Ad terramque fluit devexo pondere cervix.  
 Quid labor aut benefacta iuvant? quid vomere terras 525  
 Invertisse gravis? atqui non Massica Bacchi  
 Munera, non illis epulae nocuere repostae:  
 Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae,  
 Pocula sunt fontes liquidi adque exercita cursu  
 Flumina, nec somnos abrumpit cura salubris. 530  
 Tempore non alio dicunt regionibus illis  
 Quaesitas ad sacra boves Iunonis, et uris  
 Inparibus ductos alta ad donaria currus.

Ergo aegre rastris terram rimantur, et ipsis  
Unguibus infodiunt fruges, montisque per altos 535  
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.  
Non lupus insidias explorat ovilia circum,  
Nec gregibus nocturnus obambulat; acrior illum  
Cura domat; timidi dammae cervique fugaces  
Nunc interque canes et circum tecta vagantur. 540  
Iam maris immensi prolem et genus omne natantum  
Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus  
Proluit; insolitae fugiunt in flumina phocae.  
Interit et curvis frustra defensa latebris  
Vipera, et attoniti squamis adstantibus hydri. 545  
Ipsis est aer avibus non aecus, et illae  
Praecipites alta vitam sub nube relincunt.  
Praeterea iam nec mutari pabula refert,  
Quaesitaeque nocent artes; cessere magistri,  
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus. 550  
Saevit et in lucem Stygiis emissa tenebris  
Pallida Tisiphone Morbos agit ante Metumque,  
Inque dies avidum surgens caput altius effert.  
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes  
Arentesque sonant ripae collesque supini. 555  
Iamque catervatim dat stragem adque aggerat ipsis  
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo,  
Donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.  
Nam neque erat coriis usus, nec viscera quisquam  
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma; 560  
Ne tondere quidem morbo inluvieque peressa  
Vellera nec telas possunt attingere putris;  
Verum etiam invisos siquis temptarat amictus,  
Ardentes papulae adque immundus olentia sudor  
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti 565  
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

---

P. VERGILI MARONIS  
G E O R G I C O N  
LIBER QUARTUS.

---

**P**rocinus aerii mellis caelestia dona  
Exsequar. Hanc etiam, Maecenas, aspice partem.  
Admiranda tibi levium spectacula rerum  
Magnanimosque duces totiusque ordine gentis  
Mores et studia et populos et proelia dicam. 5  
In tenui labor; at tenuis non gloria, siquem  
Numina laeva sinunt auditque vocatus Apollo.

Principio sedes apibus statioque petenda,  
Quo neque sit ventis aditus, — nam pabula venti  
Ferre domum prohibent — neque oves haedique pe-  
tulci 10

Floribus insultent, aut errans bucula campo  
Decutiat rorem, et surgentis atterat herbas.  
Absint et picti squalentia terga lacerti  
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliaeque volucres  
Et manibus Procne pectus signata cruentis; 15  
Omnia nam late vastant, ipsasque volantis  
Ore ferunt dulcem nidis inmitibus escam.  
At liquidi fontes et stagna virentia musco  
Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivos,

VERGILI GEORGICON LIB. IV. 79

Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret, 20  
 Ut, cum prima novi ducent examina reges  
 Vere suo, ludetque favis emissa iuventus,  
 Vicina invitet decedere ripa calori,  
 Obviaque hospitiiis teneat frondentibus arbos.  
 In medium, seu stabit iners, seu profluet umor, 25  
 Transversas salices et grandia conice saxa,  
 Pontibus ut crebris possint consistere et alas  
 Pandere ad aestivom solem, si forte morantis  
 Sparsarit aut praeceps Neptuno inmerserit Eurus.  
 Haec circum casiae virides et olentia late 30  
 Serpulla et graviter spirantis copia thymbrae  
 Floreat, inriguumque bibant violaria fontem.  
 Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,  
 Seu lento fuerint alvearia vimine texta,  
 Angustos habeant aditus: nam frigore mella 35  
 Cogit hiemps, eademque calor liquefacta remittit.  
 Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illae  
 Nequiquam in tectis certatim tenuia cera  
 Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras  
 Explent, collectumque haec ipsa ad munera gluten 40  
 Et visco et Phrygiae servant pice lentius Idae.  
 Saepe etiam effossis, si verast fama, latebris  
 Sub terra fovere larem, penitusque repertae  
 Pumicibusque cavis excessaeque arboris antro.  
 Tu tamen e levi rimosa cubilia limo 45  
 Ungue fovens circum, et raras superinice frondes.  
 Neu propius tectis taxum sine, neve rubentis  
 Ure foco caneros, altae neu crede paludi,  
 Aut ubi odor caeni gravis, aut ubi concava pulsu  
 Saxa sonant vocisque offensa resultat imago. 50

Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit  
 Sub terras caelumque aestiva luce reclusit,  
 Illae continuo saltus silvasque peragrant  
 Purpureosque metunt flores et flumina libant  
 Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine laetae 55  
 Progeniem nidosque foveant, hinc arte recentis

Excudunt ceras et mella tenacia fingunt.  
 Hinc ubi iam emissum caveis ad sidera caeli  
 Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen  
 Obscuramque trahi vento mirabere nubem, 60  
 Contemplator : aquas dulcis et frondea semper  
 Tecta petunt. Huc tu iussos adsperge saporos,  
 Trita melisphylla et cerinthae ignobile gramen,  
 Tinnitusque cie et Matris quate cymbala circum :  
 Ipsae consistunt medicatis sedibus, ipsae 65  
 Intuma more suo sese in cunabula condent.

Sin autem ad pugnam exierint — nam saepe duobus  
 Regibus incessit magno discordia motu ;  
 Continuoque animos volgi et trepidantia bello  
 Corda licet longe praesciscere ; namque morantis 70  
 Martius ille aeris rauci canor increpat, et vox  
 Auditur fractos sonitus imitata tubarum ;  
 Tum trepidae inter se coeunt, pinnisque coruscant,  
 Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,  
 Et circa regem adque ipsa ad praetoria densae 75  
 Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.  
 Ergo ubi ver nactae sudum camposque patentis,  
 Erumpunt portis : concurritur ; aethere in alto  
 Fit sonitus ; magnum mixtae glomerantur in orbem,  
 Praecipitesque cadunt ; non densior aere grando, 80  
 Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.  
 Ipsi per medias acies insignibus alis  
 Ingentis animos angusto in pectore versant,  
 Usque adeo obnixa non cedere, dum gravis aut hos  
 Aut hos versa fuga victor dare terga subegit. 85  
 Hi motus animorum adque haec certamina tanta  
 Pulveris exigui iactu compressa quiescunt.

Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,  
 Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,  
 Dede neci ; melior vacua sine regnet in aula. 90  
 Alter erit maculis auro squalentibus ardens ;  
 Nam duo sunt genera ; hic melior, insignis et ore,

Et rutilis clarus squamis ; ille horridus alter  
 Desidia latamque trahens inglorius alvom.  
 Ut binae regum facies , ita corpora plebis. 95  
 Namque aliae turpes horrent , ceu pulvere ab alto  
 Cum venit et sicco terram sput ore viator  
 Aridus ; elucent aliae et fulgore coruscant,  
 Ardentes auro et paribus lita corpora guttis.  
 Haec potior suboles ; hinc caeli tempore certo 100  
 Dulcia mella premes , nec tantum dulcia , quantum  
 Et liquida et durum Bacchi domitura saporem.

At cum incerta volant caeloque examina ludunt,  
 Contemnuntque favos et frigida tecta relinunt,  
 Instabilis animos ludo prohibebis inani. 105  
 Nec magnus prohibere labor : tu regibus alas  
 Eripe ; non illis quisquam cunctantibus altum  
 Ire iter aut castris audebit vellere signa.  
 Invitent croceis halantes floribus horti,  
 Et custos furum adque avium cum falce saligna 110  
 Hellespontiaci servet tutela Priapi.  
 Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis  
 Tecta serat late circum , cui talia curae ;  
 Ipse labore manum duro terat , ipse feracis  
 Figat humo plantas et amicos inriget imbris. 115

Adque equidem , extremo ni iam sub fine laborum  
 Vela traham et terris festinem advertere proram,  
 Forsitan et , pinguis hortos quae cura colendi  
 Ornaret , canerem , biferique rosaria Paesti,  
 Quoque modo potis gauderent intiba rivis 120  
 Et virides apio ripae , tortusque per herbam  
 Cresceret in ventrem cucumis ; nec sera comantem  
 Narcissum aut flexi tacuissem vimen acanthi  
 Pallentisque hederas et amantis litora myrtos.  
 Namque sub Oebaliae memini me turribus altis, 125  
 Qua niger umectat flaventia culta Galaesus,  
 Corycium vidisse senem , cui pauca relict  
 Iugera ruris erant , nec fertilis illa iuvenis,



Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.  
 Hic rarum tamen in dumis holus albaque circum 130  
 Lilia verbenasque premens vescumque papaver,  
 Regum aequabat opes animo, seraque revertens  
 Nocte domum dapibus mensas onerabat inemptis.  
 Primus vere rosam adque autumnno carpere poma,  
 Et cum tristis hiemps etiamnum frigore saxa 135  
 Rumperet et glacie cursus frenaret aquarum,  
 Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi,  
 Aestatem increpitans seram zephyrosque morantis.  
 Ergo apibus fetis idem adque examine multo  
 Primus abundare et spumantia cogere pressis 140  
 Mella favis; illi tiliae, adque uberrima pinus;  
 Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos  
 Induerat, totidem autumnno matura tenebat.  
 Ille etiam seras in versum distulit ulmos  
 Eduramque pirum et spinos iam pruna ferentis 145  
 Iamque ministrantem platanum potantibus umbras.  
 Verum haec ipse equidem spatii exclusus iniquis  
 Praetereo adque aliis post me memoranda relinquo.

Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse  
 Addidit, expediam, pro qua mercede, canoros 150  
 Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae,  
 Dictae caeli Regem pavere sub antro.  
 Solae communis natos, consortia tecta  
 Urbis habent, magnisque agitant sub legibus aevom,  
 Et patriam solae et certos novere penatis; 155  
 Venturaeque hiemis memores aestate laborem  
 Experiuntur et in medium quaesita reponunt.  
 Namque aliae victu invigilant et foedere pacto  
 Exercentur agris; pars intra saepta domorum  
 Narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten 160  
 Prima favis ponunt fundamina, deinde tenacis  
 Suspendunt ceras; aliae spem gentis adultos  
 Educunt fetus; aliae purissima mella  
 Stipant et liquido distendunt nectare cellas.  
 Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti, 165

Inque vicem speculantur aquas et nubila caeli,  
 Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto  
 Ignavom fucos pecus a praesepebus arcent.  
 Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella;  
 Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis 170  
 Cum properant, alii taurinis folliibus auras  
 Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt  
 Aera lacu; gemit inpositis incudibus Aetna;  
 Illi inter sese magna vi brachia tollunt  
 In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum: 175  
 Non aliter, si parva licet componere magnis,  
 Cecropias innatus apes amor urguet habendi,  
 Munere quamque suo. Grandaevis oppida curae,  
 Et munire favos, et daedala fingere tecta.  
 At fessae multa referunt se nocte minores, 180  
 Crura thymo plenae; pascuntur et arbuta passim  
 Et glaucas salices casiamque crocumque rubentem  
 Et pinguem tiliam et ferrugineos hyacinthos.  
 Omnibus una quies operum, labor omnibus unus:  
 Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus eas-  
 dem 185  
 Vesper ubi e pastu tandem decedere campis  
 Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;  
 Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.  
 Post, ubi iam thalamis se composuere, siletur  
 In noctem, fessosque sopor suus occupat artus. 190  
 Nec vero a stabulis pluvia independente recedunt  
 Longius, aut credunt caelo adventantibus Euris;  
 Sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur,  
 Excursusque brevis temptant, et saepe lapillos,  
 Ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram, 195  
 Tollunt, his sese per inania nubila librant.  
 Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,  
 Quod neque concubitu indulgent, nec corpora segnes  
 In Venerem solvont, aut fetus nixibus edunt;  
 Verum ipsae e foliis natos et suavibus herbis 200  
 Ore legunt, ipsae regem parvosque Quirites  
 Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.

\*Saepe etiam duris errando in cotibus alas  
 \*Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere:  
 \*Tantus amor florum et generandi gloria mellis. 205  
 Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi  
 Excipiat; neque enim plus septuma ducitur aestas;  
 At genus immortale manet, multosque per annos  
 Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.  
 Praeterea regem non sic Aegyptos et ingens 210  
 Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes  
 Observant. Rege incolumi mens omnibus unast;  
 Amisso rupere fidem, constructaque mella  
 Diripuerunt ipsae et cratis solvere favorum.  
 Ille operum custos, illum admirantur, et omnes 215  
 Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,  
 Et saepe attollunt umeris, et corpora bello  
 Obiectant pulchramque petunt per volnera mortem.

His quidam signis adque haec exempla secuti  
 Esse apibus partem divinae mentis et haustus 220  
 Aetherios dixere; deum namque ire per omnis  
 Terrasque tractusque maris caelumque profundum;  
 Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,  
 Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas;  
 Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri 225  
 Omnia, nec morti esse locum, sed viva volare  
 Sideris in numerum adque alto succedere caelo.

Siquando sedem angustam servataque mella  
 Thesauris relines, prius haustu sparsus aquarum  
 Ora fove, fumosque manu praetende sequacis. 230  
 Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis,  
 Taygete simul os terris ostendit honestum  
 Plias et Oceani spretos pede reppulit amnis,  
 Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi  
 Tristior hibernas caelo descendit in undas. 235  
 Illis ira modum suprast, laesaeque venenum  
 Morsibus inspirant, et spicula caeca relinunt  
 Adfixae venis, animasque in vulnere ponunt.

Sin duram metues hiemem parcesque futuro  
 Contunsosque animos et res miserabere fractas : 240  
 At suffire thymo cerasque recidere inanis,  
 Quis dubitet? nam saepe favos ignotus adedit  
 Stello et lucifugis congesta cubilia blattis  
 Immunisque sedens aliena ad pabula fucus ;  
 Aut asper crabro imparibus se inmiscuit armis, 245  
 Aut dirum, tiniae, genus, aut invisae Minervae  
 Laxos in foribus suspendit aranea casses.  
 Quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes  
 Incumbent generis lapsi sarcire ruinas,  
 Conplebuntque foros et floribus horrea texent. 250

Si vero, quoniam cassus apibus quoque nostros  
 Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo —  
 Quod iam non dubiis poteris cognoscere signis :  
 Continuost aegris alius color; horrida voltum  
 Deformat macies; tum corpora luce carentum 255  
 Exportant tectis et tristia funera ducunt;  
 Aut illae pedibus conexae ad limina pendent,  
 Aut intus clausis cunctantur in aedibus, omnes  
 Ignavaeque fame et contracto frigore pigrae.  
 Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant, 260  
 Frigidus ut quondam silvis inmurmurat Auster;  
 Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis;  
 Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.  
 Hic iam galbaneos suadebo incendere odores,  
 Mellaque harundineis inferre canalibus, ultro 265  
 Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.  
 Proderit et tunsum gallae admiscere saporem  
 Arentisque rosas, aut igni pinguis multo  
 Defruta, vel Psithia passos de vite racemos  
 Cecropiumque thymum et grave olentia centaurea. 270  
 Est etiam flos in pratis, cui nomen amello  
 Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;  
 Namque uno ingentem tollit de caespite silvam,  
 Aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum  
 Funduntur, violae subluet purpura nigrae; 275

Saepe deum nexis ornatae torquibus arae;  
 Asper in ore sapor; tonsis in vallibus illum  
 Pastores et curva legunt prope flumina Mellae.  
 Huius odorato radices incoque Baccho,  
 Pabulaque in foribus plenis adpone canistris. 280

Sed siquem proles subito defecerit omnis,  
 Nec, genus unde novae stirpis revocetur, habebit,  
 Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri  
 Pandere, quoque modo caesis iam saepe iuvenis  
 Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem 285  
 Expediam prima repetens ab origine famam.

Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi  
 Accolit effuso stagnantem flumine Nilum  
 Et circum pictis vehitur sua rura phaselis,  
 Quaque pharetratae vicinia Persidis urguet, 290

\*Et viridem Aegyptum nigra fecundat harena,  
 \*Et diversa ruens septem discurrit in ora  
 \*Usque coloratis amnis devexus ab Indis,  
 Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.

Exiguus primum, adque ipsos contractus ad usus, 295  
 Eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti  
 Parietibusque premunt artis, et quattuor addunt,  
 Quattuor a ventis, obliqua luce fenestras.

Tum vitulus bima curvans iam cornua fronte  
 Quaeritur; huic geminae nares et spiritus oris 300

Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto  
 Tunsae per integram solvuntur viscera pellem.  
 Sic positum in clauso lincunt, et ramea costis  
 Subiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentis.

Hoc geritur Zephyris primum impellentibus un-  
 das, 305

Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante  
 Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.  
 Interea teneris tepefactus in ossibus umor  
 Aestuat, et visenda modis animalia miris,  
 Trunca pedum primo, mox et stridentia pinnis, 310  
 Miscentur, tenuemque magis magis aera carpunt,

Donec, ut aestivis effusus nubibus imber,  
Erupere, aut ut, nervo pulsante, sagittae,  
Prima leves ineunt siquando proelia Parthi.

Quis Deus hanc, Musae, quis nobis extudit ar-  
tem ? 315

Unde nova ingressus hominum experientia cepit ?  
Pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe,  
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,  
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,  
Multa querens, adque hac adfatus voce parentem : 320  
Mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius  
Ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum —  
Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus  
Apollo —

Invisum fatis genuisti ? aut quo tibi nostri  
Pulsus amor ? quid me caelum sperare iubebas ? 325  
En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,  
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers  
Omnia temptanti extuderat, te matre, relinquo.  
Quin age, et ipsa manu felicitis erue silvas,  
Fer stabulis inimicum ignem adque interfice mes-  
sis, 330

Ure sata, et validam in vitis molire bipinnem,  
Tanta meae si te ceperunt taedia laudis.  
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti  
Sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae  
Carpebant, hyali saturo fucata colore, 335  
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,  
Caesariem effusae nitidam per candida colla,  
[Nesaeae, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,]  
Cydippeque et flava Lycorias, altera virgo,  
Altera tum primos Lucinae experta laboris, 340  
Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae,  
Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,  
Adque Ephyre, adque Opis, et Asia Deiopea,  
Et tandem positus velox Arethusa sagittis.  
Inter quas curam Clymene narrabat inanem 345

Volcani, Martisque dolos et dulcia furta,  
 Aque Chao densos divom numerabat amores.  
 Carmine quo captae dum fuis mollia pensa  
 Devolvont, iterum maternas inpulit auris  
 Luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes 350  
 Opstipuere; sed ante alias Arethusa sorores  
 Prospiciens summa flavom caput extulit unda,  
 Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,  
 Cyrene soror, ipse tibi, tua maxuma cura,  
 Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam 355  
 Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.  
 Huic percussa nova mentem formidine mater,  
 Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom  
 Tangere, ait. Simul alta iubet discedere late  
 Flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum 360  
 Curvata in montis faciem circumstetit unda  
 Accepitque sinu vasto misitque sub annem.  
 Iamque domum mirans genetricis et umida regna,  
 Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantis,  
 Ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum 365  
 Omnia sub magna labentia flumina terra  
 Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,  
 Et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,  
 Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluentia,  
 Saxosusque sonans Hypanis, Mysusque Caicus, 370  
 Et gemina auratus taurino cornua voltu  
 Eridanus, quo non alius per pingua culta  
 In mare purpureum violentior effluit amnis.  
 Postquamst in thalami pendentia pumice tecta  
 Perventum et nati fletus cognovit inanis 375  
 Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis  
 Germanae, tonsisque ferunt mantelia villis;  
 Pars epulis onerant mensas et plena reponunt  
 Pocula; Panchaeis adulescunt ignibus arae;  
 Et mater, Cape Maeonii carchesia Bacchi: 380  
 Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur  
 Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores,  
 Centum quae silvas, centum quae flumina servant.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,  
 Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit. 385  
 Omine quo firmans animum sic incipit ipsa :

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates,  
 Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor  
 Et iuncto bipedum curru metitur equorum.  
 Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit 390  
 Pallenen; hunc et Nymphae veneramur, et ipse  
 Grandaevos Nereus; novit namque omnia vates,  
 Quae sunt, quae fuerunt, quae mox ventura tra-  
 huntur;

Quippe ita Neptuno visumst, inmania cuius  
 Armenta et turpis pascit sub gurgite phocas. 395  
 Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem  
 Expediat morbi caussam, eventusque secundet.  
 Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum  
 Orando flectes; vim duram et vincula capto  
 Tende; doli circum haec demum frangentur inanes. 400  
 Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,  
 Cum sitiunt herbae, et pecori iam gratior umbrast,  
 In secreta senis ducam, quo fessus ab undis  
 Se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.  
 Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis, 405  
 Tum variae eludent species adque ora ferarum.  
 Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,  
 Squamosusque draco, et fulva cervice leaena;  
 Aut acrem flammae sonitum dabit, adque ita vinclis  
 Excidet, aut in aquas tenuis dilapsus abibit. 410  
 Sed quanto ille magis formas se vertet in omnis,  
 Tanto, nate, magis contende tenacia vincla,  
 Donec talis erit mutato corpore, qualem  
 Videris, incepto tegeret cum lumina somno.

Haec ait, et liquidum ambrosiae diffundit odo-  
 rem, 415

Quo totum nati corpus perduxit; at illi  
 Dulcis conpositis spiravit crinibus aura,



Adque habilis membris venit vigor. Est specus ingens  
 Exessi latere in montis, quo plurima vento  
 Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos, 420  
 Deprensus olim statio tutissima nautis;  
 Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.  
 Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha  
 Collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.  
 Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos 425  
 Ardebat caelo, et medium sol igneus orbem  
 Hauserat; arebant herbae, et cava flumina siccis  
 Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:  
 Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra  
 Ibat; eum vasti circum gens umida ponti 430  
 Exsultans rorem late dispersit amarum.  
 Sternunt se somno diversae in litore phocae;  
 Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,  
 Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,  
 Auditisque lupos acuunt balatibus agni, 435  
 Considit scopulo medius, numerumque recenset.  
 Cuius Aristaeo quoniamst oblata facultas,  
 Vix defessa senem passus componere membra,  
 Cum clamore ruit magno, manicisque iacentem  
 Occupat. Ille suae contra non inmemor artis 440  
 Omnia transformat sese in miracula rerum,  
 Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.  
 Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus  
 In sese redit, adque hominis tandem ore locutus:  
 Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras 445  
 Iussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. At  
 ille:  
 Scis, Proteu, scis ipse; nequest te fallere quic-  
 quam;  
 Sed tu desine velle. Deum praecepta secuti  
 Venimus, hinc lapsis quaesitum oracula rebus.  
 Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa 450  
 Ardentis oculos intorsit lumine glauco,  
 Et graviter frendens sic fatis ora resolvit:

Non te nullius exercent numinis irae;  
**Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus**  
**Haud quaquam ob meritum poenas, ni Fata resi-**  
stant, 455

**Suscitat, et rapta graviter pro coniuge saevit.**  
**Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,**  
**Inmanem ante pedes hydram moritura puella**  
**Servantem ripas alta non vidit in herba.**

At chorus aequalis Dryadum clamore supremos 460

Inplerunt montis; flerunt Rhodopeiae arces,  
 Altaque Pangaea, et Rhesi Mavortia tellus,  
 Adque Getae, adque Hebrus, et Actias Orithyia.

Ipsae, cava solans aegrum testudine amorem,  
 Te, dulcis coniunx, te solo in litore secum, 465

Te veniente die, te decedente canebat.

Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,

Et caligantem nigra formidine lucum

Ingressus, Manisque adiit Regemque tremendum,  
 Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. 470

At cantu commotae Erebi de sedibus imis

Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,

Quam multa in foliis avium se milia condunt,

Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,

Matres adque viri, defunctaque corpora vita 475

Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,

Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum;

Quos circum limus niger et deformis harundo

Coccyti tardaque palus inamabilis unda

Alligat, et noviens Styx interfusa coercet. 480

Quin ipsae stupuere domus adque intuma Leti

Tartara caeruleosque inplexae crinibus anguis

Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,

Adque Ixionii vento rota constitit orbis.

Iamque pedem referens cassus evaserat omnis, 485

Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,

Pone sequens, — namque hanc dederat Proserpina  
 legem —

Cum subita incautum dementia cepit amantem,

Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes :  
 Restitit, Eurydicenque suam, iam luce sub ipsa, 490  
 Inmemor, heu ! victusque animi respexit. Ibi omnis  
 Effusus labor, adque inmitis rupta tyranni  
 Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.  
 Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit,

Orpheu,

Quis tantus furor ? En iterum crudelia retro 495

Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.

Iamque vale : feror ingenti circumdata nocte,

Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas !

Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras

Commixtus tenuis, fugit diversa, neque illum, 500

Prensantem nequiquam umbras et multa volentem

Dicere, praeterea vidit ; nec portitor Orci

Amplius obiectam passus transire paludem.

Quid faceret ? quo se rapta bis coniuge ferret ?

Quo fletu Manis, qua Numina voce moveret ? 505

Illam quidem Stygia nabat iam frigida cumba.

Septem illum totos perhibent ex ordine menses

Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam

Flevisse, et gelidis haec evolvisse sub antris,

Mulcentem tigris et agentem carmine quercus ; 510

Qualis populea maerens philomela sub umbra

Amissos queritur fetus, quos durus arator

Observans nido inplumis detraxit ; at illa

Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen

Integrat, et maestis late loca questibus inplet. 515

Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.

Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem

Arvaque Rhipaeis numquam viduata pruinis

Lustrabat, raptam Eurydicen adque inrita Ditis

Dona querens ; spretae Ciconum quo munere ma- 520

tres

Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi

Discerptum latos iuvenem sparsere per agros.

Tum quoque marmorea caput a cervice revolsum

Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus  
 Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua, 525  
 A miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat;  
 Eurydicen toto referebant flumine ripae.

Haec Proteus, et se iactu dedit aequor in altum,  
 Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.  
 At non Cyrene; namque ultro adfata timentem: 530

Nata, licet tristis animo deponere curas.  
 Haec omnis morbi caussa; hinc miserabile Nymphae,  
 Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,  
 Exitium misere apibus. Tu munera supplex  
 Tende petens pacem, et facilis venerare Napaeas; 535  
 Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.  
 Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.  
 Quattuor eximios praestanti corpore tauros,  
 Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaeï,  
 Delige, et intacta totidem cervice iuvenças. 540  
 Quattuor his aras alta ad delubra dearum  
 Constitue, et sacrum iugulis demitte cruorem,  
 Corporaque ipsa bovom frondoso desere luco.  
 Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,  
 Inferias Orphei Lethaea papavera mittes, 545  
 Et nigram mactabis ovem, lucumque revises;  
 Placatam Eurydicen vitula venerabere caesa.

Haud mora; continuo matris praecepta facessit;  
 Ad delubra venit, monstratas excitat aras,  
 Quattuor eximios praestanti corpore tauros 550  
 Ducit, et intacta totidem cervice iuvenças.  
 Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,  
 Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.  
 Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum  
 Aspiciunt, liquefacta bovom per viscera toto 555  
 Stridere apes utero et ruptis effervere costis,  
 Immensasque trahi nubes, iamque arbore summa  
 Confluere et lentis uvam demittere ramis.

**94 VERGILI GEORGICON LIB. IV.**

Haec super arborum cultu pecorumque canebar  
Et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum 560  
Fulminat Euphraten bello, victorque volentis  
Per populos dat iura, viamque adfectat Olympo.  
Illo Vergilium me tempore dulcis alebat  
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti,  
Carmina qui lusi pastorum, audaxque inventa, 565  
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.

P. VERGILI MARONIS  
GEORGICON LIB. IIII EXPL.

---

**P. VERGILI MARONIS**

**A E N E I S.**



P. VERGILI MARONIS  
**A E N E I D O S**  
**LIBER PRIMUS.**

---

*Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena  
Carmen, et, egressus silvis, vicina coegi  
Ut quamvis avido parerent arva colono,  
Gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis*

**A**rma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
Italiam, fato profugus, Laviniaque venit  
Litora, multum ille et terris iactatus et alto  
Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,  
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, 5  
Inferretque deos Latio, genus unde Latinum  
Albanique patres adque altae moenia Romae.

Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso,  
Quidve dolens, regina deum tot volvere cassus  
Insignem pietate virum, tot adire laboris 10  
Impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,  
Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe  
Ostia, dives opum studiisque asperrima belli;



Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam 15  
 Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,  
 Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,  
 Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.  
 Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci  
 Audierat, Tyrias olim quae verteret arces; 20  
 Hinc populum late regem belloque superbum  
 Venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.  
 Id metuens veterisque memor Saturnia belli,  
 Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis —  
 Necdum etiam caussae irarum saevique dolores 25  
 Exciderant animo; manet alta mente repostum  
 Iudicium Paridis spretaeque iniuria formae,  
 Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores;  
 His accensa super iactatos aequore toto  
 Troas, reliquias Danaum adque inmitis Achilli, 30  
 Arcebat longe Latio, multosque per annos  
 Errabant, acti fati, maria omnia circum.  
 Tantaе molis erat Romanam condere gentem.

Vix e conspectu Siculae telluris in altum  
 Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant, 35  
 Cum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,  
 Haec secum: Mene incepto desistere victam,  
 Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?  
 Quippe vetor fati. Pallasne exurere classem  
 Argivom adque ipsos potuit submergere ponto, 40  
 Unius ob noxam et furias Aiakis Oilei?  
 Ipsa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,  
 Disiecitque rates evertitque aequora ventis,  
 Illum expirantem transfixo pectore flammas  
 Turbine corripuit scopuloque infixit acuto; 45  
 Ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque  
 Et soror et coniunx, una cum gente tot annos  
 Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat  
 Praeterea, aut supplex aris inponet honorem?

Talia flammato secum dea corde volutans, 50  
 Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,

Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro  
 Luctantis ventos tempestatesque sonoras  
 Inperio premit ac vinclis et carcere frenat.  
 Illi indignantes, magno cum murmure montis, 55  
 Circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce  
 Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras;  
 Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum  
 Quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.  
 Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris, 60  
 Hoc metuens, molemque et montis insuper altos  
 Inposuit, regemque dedit, qui foedere certo  
 Et premere et laxas sciret dare iussus habenas.  
 Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usast:

Aeole, namque tibi divom pater adque hominum  
 rex 65

Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,  
 Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,  
 Ilium in Italiam portans victosque Penatis:  
 Incute vim ventis submersasque obrue puppis,  
 Aut age diversos et disice corpora ponto. 70  
 Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae,  
 Quarum quae forma pulcherrima Deiopea,  
 Conubio iungam stabili propriamque dicabo,  
 Omnis ut tecum meritis pro talibus annos  
 Exigat et pulchra faciat te prole parentem. 75

Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes,  
 Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.  
 Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque  
 Concilias, tu das epulis accumbere divom,  
 Nimborumque facis tempestatumque potentem. 80

Haec ubi dicta, cavom conversa cuspidem montem  
 Inpulit in latus: ac venti, velut agmine facto,  
 Qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.  
 Incubuere mari, totumque a sedibus imis  
 Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis 85

Africus, et vastos volvont ad litora fluctus.  
 Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.  
 Eripiunt subito nubes caelumque diemque  
 Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.  
 Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether, 90  
 Praesentemque viris intentant omnia mortem.  
 Extemplo Aeneae solvontur frigore membra;  
 Ingemit, et duplicis tendens ad sidera palmas  
 Talia voce refert: O terque quaterque beati,  
 Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis 95  
 Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis  
 Tydide! mene Iliacis occumbere campis  
 Non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra?  
 Saevos ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens  
 Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis 100  
 Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.

Talia iactanti stridens Aquilone procella  
 Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.  
 Franguntur remi; tum prora avertit, et undis  
 Dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae  
 mons. 105

Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens  
 Terram inter fluctus aperit; furit aestus harenis.  
 Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet —  
 Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras —  
 Dorsum inmane mari summo; tris Eurys ab alto 110  
 In brevia et Syrtis urguet, miserabile visu,  
 Inluditque vadis adque aggere cingit harenae.  
 Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,  
 Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus  
 In puppim ferit: excutitur pronusque magister 115  
 Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem  
 Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vertex.  
 Adparent rari nantes in gurgite vasto;  
 Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas.  
 Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae, 120  
 Et qua vectus Abas, et qua grandaevos Aletes,

Vicit hiemps; laxis laterum conpagibus omnes  
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

Interea magno misceri murmure pontum,  
Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis 125  
Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto  
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.  
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,  
Fluctibus oppressos Troas caelique ruina.  
Nec latuere doli fratrem Iunonis et iræ. 130  
Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?  
Iam caelum terramque meo sine numine, Venti,  
Miscere, et tantas audetis tollere moles?  
Quos ego —! Sed motos praestat componere fluctus. 135  
Post mihi non simili poena commissa luetis.  
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:  
Non illi imperium pelagi saevomque tridentem,  
Sed mihi sorte datum. Tenet ille inmania saxa,  
Vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula 140  
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.

Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat,  
Collectasque fugat nubes solemque reducit.  
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto  
Detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti; 145  
Et vastas aperit Syrtis, et temperat aequor,  
Adque rotis summas levibus perlabitur undas.  
Ac veluti magno in populo cum saepe cohortast  
Seditio, saevitque animis ignobile volgus;  
Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat; 150  
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem  
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;  
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:  
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam  
Prospiciens genitor caeloque invectus aperto 155  
Flectit equos curruque volans dat lora secundo.

Defessi Aeneadae, quae proxuma litora, cursu  
 Contendunt petere, et Libyae vertantur ad oras.  
 Est in secessu longo locus: insula portum  
 Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto 160  
 Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.  
 Hinc adque hinc vastae rupes geminique minantur  
 In caelum scopuli, quorum sub vertice late  
 Aequora tuta silent; tum silvis scaena coruscis  
 Desuper horrentique atrum nemus imminet umbra; 165  
 Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum,  
 Intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,  
 Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis  
 Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.  
 Huc septem Aeneas collectis navibus omni 170  
 Ex numero subit; ac magno telluris amore  
 Egressi optata potiuntur Troes harena  
 Et sale tabentis artus in litore ponunt.  
 Ac primum silici scintillam excudit Achates  
 Succipitque ignem foliis adque arida circum 175  
 Nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.  
 Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma  
 Expediunt fessi rerum, frugesque receptas  
 Et torrere parant flammis et frangere saxo.

Aeneas scopulum interea conscendit et omnem 180  
 Prospectum late pelago petit, Anthea siquem  
 Iactatum vento videat Phrygiasque biremis,  
 Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.  
 Navem in conspectu nullam; tris litore cervos  
 Prospicit errantis; hos tota armenta secuntur 185  
 A tergo, et longum per vallis pascitur agmen.  
 Constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas  
 Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,  
 Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis  
 Cornibus arboreis, sternit, tum volgus, et omnem 190  
 Miscet agens telis nemora inter frondea turbam;  
 Nec prius absistit, quam septem ingentia victor  
 Corpora fundat humi et numerum cum navibus aequet.

Hinc portum petit, et socios partitur in omnis.  
 Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes. 195  
 Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,  
 Dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:

O socii, — neque enim ignari sumus ante malorum —  
 O passi graviores, dabit deus his quoque finem.  
 Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis 200  
 Accestis scopulos, vos et Cyclopia saxa  
 Experti: revocate animos, maestumquē timorem  
 Mittite; forsā et haec olim meminisse iuvabit.  
 Per varios cassus, per tot discrimina rerum  
 Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas 205  
 Ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.  
 Durate, et vosmet rebus servate secundis.

Talia voce refert, curisque ingentibus aeger  
 Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.  
 Illi se praedae accingunt dapibusque futuris: 210  
 Tergora deripiunt costis et viscera nudant;  
 Pars in frustra secant veribusque trementia figunt;  
 Litore aena locant alii, flammisque ministrant.  
 Tum victu revocant viris, fusique per herbam  
 Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae. 215  
 Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,  
 Amissos longo socios sermone requirunt,  
 Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,  
 Sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.  
 Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti, 220  
 Nunc Amyci cassum gemit et crudelia secum  
 Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo  
 Despiciens mare velivolum terrasque iacentis  
 Litoraue et latos populos, sic vertice caeli 225  
 Constitit et Libyae defixit lumina regnis.  
 Adque illum talis iactantem pectore curas  
 Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis,

Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque  
 Aeternis regis inperiis, et fulmine terres, 230  
 Quid meus Aeneas in te committere tantum,  
 Quid Troes potuere, quibus, tot funera passis,  
 Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?  
 Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,  
 Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri, 235  
 Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,  
 Pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit?  
 Hoc equidem occassum Troiae tristisque ruinas  
 Solabar, fatis contraria fata rependens;  
 Nunc eadem fortuna viros tot cassibus actos 240  
 Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?  
 Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,  
 Illyricos penetrare sinus adque intuma tutus  
 Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi,  
 Unde per ora novem vasto cum murmure montis 245  
 It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.  
 Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit  
 Teucrorum, et genti nomen dedit armaque fixit  
 Troia, nunc placida conpostus pace quiescit:  
 Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem, 250  
 Navibus, infandum! amissis, unius ob iram  
 Prodimur adque Italidis longe disiungimur oris.  
 Hic pietatis honos? sic nos in sceptris reponis?

Olli subridens hominum sator adque deorum  
 Vultu, quo caelum tempestatesque serenat, 255  
 Oscula libavit natae, dehinc talia fatur:  
 Parce metu, Cytherea, manent inmota tuorum  
 Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini  
 Moenia, sublimemque feres ad sidera caeli  
 Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit. 260  
 Hic tibi — fabor enim, quando haec te cura remordet,  
 Longius et volvens fatorum arcana movebo —  
 Bellum ingens geret Italia populosque ferocis  
 Contundet, moresque viris et moenia ponet,  
 Tertia dum Latio regnantem viderit aestas, 265

Ternaue transierint Rutulis hiberna subactis.  
 At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo  
 Additur, — Ilus erat, dum res stetit Iliæ regno —  
 Triginta magnos volvendis mensibus orbis  
 Inperio explebit, regnumque ab sede Lavini 270  
 Transferet, et longam multa vi muniet Albam.  
 Hic iam ter centum totos regnabitur annos  
 Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos  
 Marte gravis geminam partu dabit Iliæ prolem.  
 Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus 275  
 Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet  
 Moenia Romanosque suo de nomine dicet.  
 His ego nec metas rerum nec tempora pono;  
 Inperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,  
 Quæ mare nunc terrasque metu caelumque fatigat, 280  
 Consilia in melius referet, mecumque fovebit  
 Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.  
 Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,  
 Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenæ  
 Servitio premet ac victis dominabitur Argis. 285  
 Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,  
 Inperium Oceano, famam qui terminet astris,  
 Iulius, a magno demissum nomen Iulo.  
 Hunc tu olim caelo, spoliis Orientis onustum,  
 Accipies securâ; vocabitur hic quoque votis. 290  
 Aspera tum positæ mitescent sæcula bellis;  
 Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,  
 Iura dabunt; diræ ferro et conpagibus artis  
 Claudentur Belli portæ; Furor impius intus  
 Sæva sedens super arma et centum vinctus aenis 295  
 Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Haec ait, et Maia genitum demittit ab alto,  
 Ut terræ, utque novæ pateant Karthaginis arces  
 Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido  
 Finibus arceret. Volat ille per aera magnum 300  
 Remigio alarum, ac Libyæ citus adstitit oris.  
 Et iam iussa facit, ponuntque ferocia Poeni



Corda volente deo; in primis regina quietum  
Accipit in Teucros animum mentemque benignam.

At pius Aeneas, per noctem pluruma volvens, 305  
Ut primum lux alma datast, exire locosque  
Explorare novos, quas vento accesserit oras,  
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne feraene,  
Quaerere constituit, sociisque exacta referre.  
Classem in convexo nemorum sub rupe cavata 310  
Arboribus clausam circum adque horrentibus umbris  
Occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,  
Bina manu lato crispans hastilia ferro.  
Cui mater media sese tulit obvia silva,  
Virginis os habitumque gerens et virginis arma, 315  
Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat  
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.  
Namque umeris de moreabilem suspenderat arcum  
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,  
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis. 320  
Ac prior, Heus, inquit, iuvenes, monstrate, mearum  
Vidistis siquam hic errantem forte sororum,  
Succinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,  
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.

Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus: 325  
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,  
O — quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus  
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, dea certe;  
An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?  
Sis felix, nostrumque leves, quaecumque, laborem, 330  
Et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris  
Iactemur, doceas; ignari hominumque locorumque  
Erramus, vento huc vastis et fluctibus acti:  
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.

Tum Venus: Haud equidem tali me dignor ho-  
nore; 335  
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,

Purpureoque alte suras vincire cothurno.  
 Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;  
 Sed fines Libyci; genus intractabile bello.  
 Inperium Dido Tyria regit urbe profecta, 340  
 Germanum fugiens. Longast iniuria, longae  
 Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.  
 Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri  
 Phoenicum, et magno miserae dilectus amore,  
 Cui pater intactam dederat; primisque iugarat 345  
 Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat  
 Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnis.  
 Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum  
 Impius ante aras adque auri caecus amore  
 Clam ferro incautum superat, securus amorum 350  
 Germanae; factumque diu celavit, et aegram,  
 Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.  
 Ipsa sed in somnis inhumati venit imago  
 Coniugis; ora modis attollens pallida miris  
 Crudelis aras traiectaque pectora ferro 355  
 Nudavit, caecumque domus scelus omne rexit.  
 Tum celerare fugam patriaue excedere suadet,  
 Auxiliumque viae veteris tellure recludit  
 Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.  
 His commota fugam Dido sociosque parabat. 360  
 Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni  
 Aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,  
 Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari  
 Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.  
 Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis 365  
 Moenia surgentemque novae Karthaginis arcem,  
 Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,  
 Taurino quantum possent circumdare tergo.  
 Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,  
 Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille 370  
 Suspirans imoque trahens a pectore vocem:

O dea, si prima repetens ab origine pergam,  
 Et vacet annalis nostrorum audire laborum,

Ante diem clauso componet Vesper Olympo.  
 Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris 375  
 Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos  
 Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.  
 Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penatis  
 Classe veho mecum, fama super aethera notus.  
 Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo. 380  
 Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor,  
 Matre dea monstrante viam, data fata secutus;  
 Vix septem convolsae undis Euroque supersunt.  
 Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,  
 Europa adque Asia pulsus. Nec plura querentem 385  
 Passa Venus medio sic interfata dolorest:

Quisquis es, haud, credo, invisus caelestibus auras  
 Vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.  
 Perge modo, adque hinc te reginae ad limina perfer.  
 Namque tibi reduces socios classemque relatam 390  
 Nuntio et in tutum versis aquilonibus actam,  
 Ni frustra augurium vani docuere parentes.  
 Aspice bis senos laetantis agmine cycnos,  
 Aethera quos lapsa plaga Iovis ales aperto  
 Turbabat caelo; nunc terras ordine longo 395  
 Aut capere aut captas iam despectare videntur:  
 Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,  
 Et coetu cinxere polum, cantusque dedere,  
 Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum  
 Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo. 400  
 Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.

Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,  
 Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem  
 Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos;  
 Et vera incessu patuit dea. Ille ubi matrem 405  
 Adgnovit, tali fugientemst voce secutus:  
 Quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis  
 Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram  
 Non datur, ac veras audire et reddere voces?

Talibus incussat, gressumque ad moenia tendit. 410  
 At Venus obscuro gradientis aere saepsit,  
 Et multo nebulae circum dea fudit amictu,  
 Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,  
 Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.  
 Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit 415  
 Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo  
 Ture calent arae sertisque recentibus halant.

Corripuere viam interea, qua semita monstrat.

Iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi  
 Imminet adversasque adspectat desuper arces. 420  
 Miratur molem Aeneas, magalia quondam,  
 Miratur portas strepitumque et strata viarum.  
 Instant ardentes Tyrii; pars ducere muros,  
 Molirique arcem et manibus subvolvere saxa,  
 Pars optare locum tecto et concludere sulco; 425  
 Iura magistratusque legunt sanctumque senatum;  
 Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris  
 Fundamenta locant alii, inmanisque columnas  
 Rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.  
 Qualis apes aestate nova per florea rura 430  
 Exercet sub sole labor, cum gentis adultos  
 Educunt fetus, aut cum liquentia mella  
 Stipant et dulci distendunt nectare cellas,  
 Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto  
 Ignavom fucos pecus a praesepibus arcent; 435  
 Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.  
 O fortunati, quorum iam moenia surgunt!  
 Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.  
 Infert se saeptus nebula — mirabile dictu —  
 Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli. 440

Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,  
 Quo primum iactati undis et turbine Poeni  
 Effodere loco signum, quod regia Iuno  
 Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello  
 Egregiam et facilem victu per saecula gentem. 445

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido  
 Condebat, donis opulentum et numine divae,  
 Aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque  
 Aere trabes, foribus cardo stridebat aenis.  
 Hoc primum in luco nova res oblata timorem 450  
 Leniit, hic primum Aeneas sperare salutem  
 Ausus et adflctis melius confidere rebus.  
 Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,  
 Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,  
 Artificumque manus inter se operumque laborem 455  
 Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas  
 Bellaque iam fama totum volgata per orbem,  
 Atridas, Priamumque, et saevom ambobus Achillen.  
 Constitit, et lacrimans, Quis iam locus, inquit, Achate,  
 Quae regio in terris nostri non plena laboris? 460  
 En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi;  
 Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.  
 Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.  
 Sic ait, adque animum pictura pascit inani,  
 Multa gemens, largoque umectat flumine voltum. 465  
 Namque videbat, uti bellantes Pergama circum  
 Hac fugerent Grai, premeret Troiana iuventus;  
 Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.  
 Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis  
 Adgnoscat lacrimans, primo quae prodita somno 470  
 Tydides multa vastabat caede cruentus,  
 Ardentisque avertit equos in castra, prius quam  
 Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.  
 Parte alia fugiens amissis Troilus armis,  
 Infelix puer adque inpar congressus Achilli, 475  
 Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,  
 Lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur  
 Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.  
 Interea ad templum non aequae Palladis ibant  
 Crinibus Iliades passis peplumque ferebant, 480  
 Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis;  
 Diva solo fixos oculos aversa tenebat.  
 Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,

Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.  
 Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo, 485  
 Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,  
 Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.  
 Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis,  
 Eoasque acies et nigri Memnonis arma.  
 Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis 490  
 Penthesilea furens, mediisque in milibus ardet,  
 Aurea subnectens exsertae cingula mammae,  
 Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,  
 Dum stupet, optutuque haeret defixus in uno, 495  
 Regina ad templum, forma pulcherrima Dido,  
 Incessit, magna iuvenum stipante caterva.  
 Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi  
 Exercet Diana choros, quam mille secutae  
 Hinc adque hinc glomerantur Oreades; illa phare-  
 tram 500

Fert umero, gradiensque deas supereminet omnis;  
 Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus:  
 Talis erat Dido, talem se laeta ferebat  
 Per medios, instans operi regnisque futuris.  
 Tum foribus divae, media testudine templi, 505  
 Saepta armis, solioque alte subnixa, resedit.  
 Iura dabat legesque viris, operumque laborem  
 Partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:  
 Cum subito Aeneas concursu accedere magno  
 Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum, 510  
 Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo  
 Dispulerat penitusque alias avexerat oras.  
 Opstipuit simul ipse, simul percussus Achates  
 Laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras  
 Ardebant; sed res animos incognita turbat. 515  
 Dissimulant, et nube cava speculantur amicti,  
 Quae fortuna viris, classem quo litore linquant,  
 Quid veniant cuncti; nam lecti navibus ibant,  
 Orantes veniam, et templum clamore petebant.

Postquam introgressi et coram data copia fandi, 520  
 Maxumus Ilioneus placido sic pectore coepit:  
 O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem  
 Iustitiaque dedit gentis frenare superbas,  
 Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,  
 Oramus: prohibe infandos a navibus ignis, 525  
 Parce pio generi, et propius res aspice nostras.  
 Non nos aut ferro Libycos populare Penatis  
 Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas;  
 Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.  
 Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt, 530  
 Terra antiqua, potens armis adque ubere glebae;  
 Oenotri coluere viri; nunc fama, minores  
 Italiam dixisse ducis de nomine gentem.  
 Hic cursus fuit:  
 Cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion 535  
 In vada caeca tulit, penitusque procacibus austris  
 Perque undas, superante salo, perque invia saxa  
 Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.  
 Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara  
 morem  
 Permittit patria? hospitio prohibemur harenae; 540  
 Bella cient, primaque vetant consistere terra.  
 Si genus humanum et mortalia temnitis arma,  
 At sperate deos memores fandi adque nefandi.  
 Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,  
 Nec pietate fuit nec bello maior et armis. 545  
 Quem si fata virum servant, si vescitur aura.  
 Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris,  
 Non metus, officio ne te certasse priorem  
 Paeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes  
 Arvaque, Troianoque a sanguine clarus Acestes. 550  
 Quassatam ventis liceat subducere classem,  
 Et silvis aptare trabes et stringere remos,  
 Si datur Italiam, sociis et rege recepto,  
 Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;  
 Sin absumpta salus, et te, pater optume Teucrum, 555  
 Pontus habet Libyae, nec spes iam restat Iuli,

At freta Sicaniae saltem sedesque paratas,  
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.  
Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant  
Dardanidae.

560

Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:  
Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.  
Res dura et regni novitas me talia cogunt  
Moliri, et late finis custode tueri.  
Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem, 565  
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?  
Non obtunsa adeo gestamus pectora Poeni,  
Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.  
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,  
Sive Erycis finis regemque optatis Acesten, 570  
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.  
Vultis et his mecum pariter considerare regnis:  
Urbem quam statuo, vestrast; subducite navis;  
Trôs Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.  
Adque utinam rex ipse Noto compulsus eodem 575  
Adforet Aeneas! Equidem per litora certos  
Dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,  
Si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.

His animum arrecti dictis et fortis Achates  
Et pater Aeneas iandudum erumpere nubem 580  
Ardebant. Prior Aenean compellat Achates:  
Nate dea, quae nunc animo sententia surgit?  
Omnia tuta vides, classem sociosque receptos.  
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi  
Submersum; dictis respondent cetera matris. 585  
Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente  
Scindit se nubes et in aethera purgat apertum.  
Restitit Aeneas claraque in luce refulsit,  
Os umerosque deo similis; namque ipsa decoram  
Caesariem nato genetrix lumenque iuventae 590  
Purpureum et laetos oculis adflarat honores:  
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo

VERGIL. TOM. V.

8



Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.  
 Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente  
 Improvisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum, 595  
 Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.  
 O sola infandos Troiae miserata laboris,  
 Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque  
 Omnibus exhaustos iam cassibus, omnium egenos,  
 Urbe, domo, socias, grates persolvere dignas 600  
 Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubiquēst  
 Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.  
 Di tibi, siqua pios respectant numina, siquid  
 Usquam iustitias et mens sibi conscia recti,  
 Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt 605  
 Saecula? qui tanti talem genuere parentes?  
 In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae  
 Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,  
 Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,  
 Quae me cumque vocant terrae. Sic fatus, amicum 610  
 Ilionea petit dextra, laevaue Serestum,  
 Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.

Opstipuit primo aspectu Sidonia Dido,  
 Cassu deinde viri tanto, et sic ore locutast:  
 Quis te, nate dea, per tanta pericula cassus 615  
 Insequitur? quae vis inmanibus adplicat oris?  
 Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae  
 Alma Venus Phrygi genuit Simoentis ad undam?  
 Adque equidem Teucrum memini Sidona venire  
 Finibus expulsum patriis, nova regna petentem 620  
 Auxilio Beli; genitor tum Belus opimam  
 Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.  
 Tempore iam ex illo cassus mihi cognitus urbis  
 Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.  
 Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat, 625  
 Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.  
 Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.  
 Me quoque per multos similis fortuna laboris  
 Lactatam hac demum voluit consistere terra.

Non ignara mali miseris succurrere disco. 630  
 Sic memorat; simul Aenean in regia ducit  
 Tecta, simul divom templis indicit honorem.  
 Nec minus interea sociis ad litora mittit  
 Viginti tauros, magnorum horrentia centum  
 Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos, 635  
 Munera laetitiamque dii.  
 At domus interior regali splendida luxu  
 Instruitur, mediisque parant convivia tectis:  
 Arte laboratae vestes ostroque superbo,  
 Ingens argentum mensis, caelataque in auro 640  
 Fortia facta patrum, series longissima rerum  
 Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.

Aeneas — neque enim patrius consistere mentem  
 Passus amor — rapidum ad navis praemittit Achaten,  
 Ascanio ferat haec, ipsumque ad moenia ducat; 645  
 Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.  
 Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,  
 Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem,  
 Et circumtextum croceo velamen acantho,  
 Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis, 650  
 Pergama cum peteret inconcessosque Hymenaeos,  
 Extulerat, matris Ledaë mirabile donum;  
 Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,  
 Maxuma natarum Priami, colloque monile  
 Bacatum, et duplicem gemmis auroque coronam. 655  
 Haec celerans iter ad navis tendebat Achates.

At Cytherea novas artes, nova pectore versat  
 Consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido  
 Pro dulci Ascanio veniat, donisque furem  
 Incendat reginam, adque ossibus implicet ignem; 660  
 Quippe domum timet ambiguum Tyriosque bilinguis;  
 Urit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.  
 Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:  
 Nate, meae vires, mea magna potentia solus,  
 Nate, patris summi qui tela Typhoia temnis, 665

Ad te confugio et supplex tua numina posco.  
 Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum  
 Litora iactetur odiis Iunonis iniquae,  
 Nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore.  
 Hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur 670  
 Vocibus; et vereor, quo se Iunonia vertant  
 Hospitia; haud tanto cessabit cardine rerum.  
 Quocirca capere ante dolis et cingere flamma  
 Reginam meditor, ne quo se numine mutet,  
 Sed magno Aeneae mecum teneatur amore. 675  
 Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:  
 Regius accitu cari genitoris ad urbem  
 Sidoniam puer ire parat, mea maxuma cura,  
 Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae;  
 Hunc ego sopitum somno super alta Cythera 680  
 Aut super Idalium sacrata sede recondam,  
 Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.  
 Tu faciem illius noctem non amplius unam  
 Falle dolo, et notos pueri puer indue voltus,  
 Ut, cum te gremio accipiet laetissima Dido 685  
 Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,  
 Cum dabit amplexus adque oscula dulcia figet,  
 Occultum inspires ignem fallasque veneno.  
 Paret Amor dictis carae genetricis, et alas  
 Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli. 690  
 At Venus Ascanio placidam per membra quietem  
 Inrigat, et fotum gremio dea tollit in altos  
 Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum  
 Floribus et dulci adspirans conplectitur umbra.  
 Iamque ibat dicto parens et dona Cupido 695  
 Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.  
 Cum venit, aulaeis iam se regina superbis  
 Aurea conposuit sponda mediamque locavit;  
 Iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus  
 Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro. 700  
 Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris  
 Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.  
 Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam

Cura penum struere, et flammis adolere Penatis;  
 Centum aliae totidemque pares aetate ministri, 705  
 Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.  
 Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes  
 Convenere, toris iussi discumbere pictis.  
 Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum,  
 Flagrantisque dei voltus simulataque verba, 710  
 Pallamque et pictum croceo velamen acantho.  
 Praecipue infelix, pesti devota futurae,  
 Expleri mentem nequit ardescitque tuendo  
 Phoenissa, et pariter puero donisque movetur.  
 Ille ubi complexu Aeneae colloque pependit 715  
 Et magnum falsi inplevit genitoris amorem,  
 Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto  
 Haeret et interdum gremio foveat, inscia Dido,  
 Insideat quantus miserae deus. At memor ille  
 Matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum 720  
 Incipit, et vivo temptat praevertere amore  
 Iam pridem resides animos desuetaque corda.

Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae,  
 Crateras magnos statuunt et vina coronant.  
 Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant 725  
 Atria; dependent lychni laquearibus aureis  
 Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.  
 Hic regina gravem gemmis autoque poposcit  
 Inplevitque mero pateram, quam Belus et omnes  
 A Belo soliti; tum facta silentia tectis: 730  
 Iuppiter, hospitibus nam te dare iura locuntur,  
 Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis  
 Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.  
 Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno;  
 Et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate faventes. 735  
 Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,  
 Primaque, libato, summo tenuis attigit ore;  
 Tum Bitiae dedit increpitans; ille inpiger hausit  
 Spumantem pateram, et pleno se proluit auro;  
 Post alii procures. Cithara crinitus Iopas 740

Personat aurata, docuit quae maxumus Atlans.  
 Hic canit errantem lunam solisque laboris;  
 Unde hominum genus et pecudes; unde imber et ignes;  
 Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones;  
 Quid tantum Oceano properent se tingere soles 745  
 Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.  
 Ingeminant plausu Tyrii, Troesque secuntur.  
 Nec non et vario noctem sermone trahebat  
 Infelix Dido, longumque bibebat amorem,  
 Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa; 750  
 Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis,  
 Nunc, quales Diomedis equi, nunc, quantus Achilles.  
 Immo age, et a prima, dic, hospes, origine nobis  
 Insidias, inquit, Danaum, cassusque tuorum,  
 Erroresque tuos; nam te iam septuma portat 755  
 Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

---

P. VERGILI MARONIS  
AENEIDOS  
LIBER SECUNDUS.

---

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.  
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:  
Infandum, Regina, iubes renovare dolorem,  
Troianas ut opes et lamentabile regnum  
Eruerint Danaï; quaeque ipse miserrima vidi, 5  
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando  
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi  
Temperet a lacrimis! et iam nox umida caelo  
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.  
Sed si tantus amor cassus cognoscere nostros 10  
Et breviter Troiae supremum audire laborem,  
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,  
Incipiam.

Fracti bello fatisque repulsi  
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,  
Instar montis ecum divina Palladis arte 15  
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas;  
Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.  
Huc delecta virum sortiti corpora furtim  
Includunt caeco lateri, penitusque cavernas  
Ingentis utrumque armato milite complent. 20

Est in conspectu Tenedos, notissima fama  
 Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,  
 Nunc tantum sinus et statio male fida carinis;  
 Huc se provecti deserto in litore condunt.  
 Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenae. 25  
 Ergo omnis longo solvit se Teucra luctu.  
 Panduntur portae; iuvat ire et Dorica castra  
 Desertosque videre locos litusque relictum.  
 Hic Dolopum manus, hic saevos tendebat Achilles;  
 Classibus hic locus; hic acie certare solebant. 30  
 Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae  
 Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes  
 Duci intra muros hortatur et arce locari,  
 Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.  
 At Capys, et quorum melior sententia menti, 35  
 Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona  
 Praecipitare iubent, subiectisque urere flammis,  
 Aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.  
 Scinditur incertum studia in contraria volgus.

Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva, 40  
 Laocoon ardens summa decurrit ab arce,  
 Et procul: O miseri, quae tanta insania, cives?  
 Creditis avectos hostis? aut ulla putatis  
 Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?  
 Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi, 45  
 Aut haec in nostros fabricatast machina muros,  
 Inspectura domos venturaque desuper urbi,  
 Aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.  
 Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.  
 Sic fatus validis ingentem viribus hastam 50  
 In latus inque feri curvam conpagibus alvom  
 Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso  
 Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.  
 Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,  
 Impulerat ferro Argolicas foedare latebras, 55  
 Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.

Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum  
 Pastores magno ad regem clamore trahebant  
 Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,  
 Hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis, 60  
 Obtulerat, fidens animi, adque in utrumque paratus,  
 Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.

Undique visendi studio Troiana iuventus  
 Circumfusa ruit, certantque inludere capto.  
 Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno 65  
 Disce omnis.

Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis,  
 Constitit adque oculis Phrygia agmina circumspect:  
 Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora  
 possunt

Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat, 70  
 Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi  
 Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.  
 Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis  
 Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,  
 Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto. 75  
 Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque,  
 fatebor

Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo;  
 Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem  
 Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget. 80  
 Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris  
 Belidae nomen Palamedis et incluta fama  
 Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi  
 Insontem infando indicio, quia bella vetabat,  
 Demisere neci, nunc cassum lumine lugent: 85  
 Illi me comitem et consanguinitate propincum  
 Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.  
 Dum stabat regno incolumis regumque vigeat  
 Consiliis, et nos aliquod nomenque decusque  
 Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi — 90  
 Haud ignota loquor — superis concessit ab oris,



Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,  
Et cassum insontis mecum indignabar amici.

Nec tacui demens, et me, fors siqua tulisset,  
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos, 95  
Promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.

Hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes  
Criminibus terrere novis, hinc spargere voces  
In volgum ambiguas, et quaerere conscius arma.

Nec requievit enim, donec Calchante ministro — 100

Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolve?  
Quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos,  
Idque audire sat est? Iandudum sumite poenas;  
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.

Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas, 105  
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.

Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur:

Saepe fugam Danaï Troia cupiere relictā  
Moliri et longo fessi discedere bello;  
Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti 110  
Interclusit hiemps, et terruit Auster euntis.

Praecipue, cum iam hic trabibus contextus acernis  
Staret ecus, toto sonuerunt aethere nimbi.

Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi  
Mittimus, isque adytis haec tristitia dicta reportat: 115

„Sanguine placastis ventos et virgine caesa,

Cum primum Iliacas Danaï venistis ad oras;

Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum

Argolica.“ Volgi quae vox ut venit ad auris,

Opstipuerunt animi, gelidusque per ima cucurrit 120

Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu

Protrahit in medios; quae sint ea numina divom,

Flagitat. Et mihi iam multi crudele caneant

Artificis scelus, et taciti ventura videbant. 125

Bis quinos silet ille dies, tectusque recussat

Prodere voce sua quemquam aut opponere morti.

Vix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,

Conposito rumpit vocem, et me destinat arae.

Adsensere omnes, et, quae sibi quisque timebat, 130  
 Unius in miseri exitium conversa tulere.  
 Iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,  
 Et salsae fruges, et circum tempora vittae.  
 Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi,  
 Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva 135  
 Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.  
 Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,  
 Nec dulcis natos exoptatumque parentem;  
 Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent  
 Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt. 140  
 Quod te per superos et conscia numina veri,  
 Per, siquast, quae restet adhuc mortalibus usquam  
 Intemerata fides, oro, miserere laborum  
 Tantorum, miserere animi non digna ferentis.

His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro. 145  
 Ipse viro primus manicas adque arta levare  
 Vincla iubet Priamus, dictisque ita fatur amicis:  
 Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;  
 Noster eris, mihi que haec edissere vera roganti:  
 Quo molem hanc inmanis equi statuere? quis  
 auctor? 150  
 Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?  
 Dixerat. Ille, dolis instructus et arte Pelasga,  
 Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:  
 Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum  
 Testor numen, ait, vos arae ensesque nefandi, 155  
 Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:  
 Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,  
 Fas odisse viros, adque omnia ferre sub auras,  
 Siqua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.  
 Tu modo promissis maneas, servataque serves 160  
 Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.

Omnis spes Danaum et coepti fiducia belli  
 Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo  
 Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes,

- Fatale adgressi sacrato avellere templo 165  
 Palladium, caesis summae custodibus arcis,  
 Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis  
 Virgineas ausi divae contingere vittas:  
 Ex illo fluere ac retro sublapsa referri  
 Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens. 170  
 Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.  
 Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae  
 Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus -  
 Sudor iit, terque ipsa solo — mirabile dictu —  
 Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem. 175  
 Extemplo temptanda fuga canit aequora Calchas,  
 Nec posse Argolicis excindi Pergama telis,  
 Omina ni repetant Argis, numenque reducant,  
 Quod pelago et curvis secum avexere carinis.  
 Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenae, 180  
 Arma deosque parant comites, pelagoque remenso  
 Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.  
 Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso  
 Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.  
 Hanc tamen inmensam Calchas attollere molem 185  
 Roboribus textis caeloque educere iussit,  
 Ne recipi portis, aut duci in moenia possit,  
 Neu populum antiqua sub religione tueri.  
 Nam si vestra manus violasset dona Minervae,  
 Tum magnum exitium — quod di prius omen in  
 ipsum 190  
 Convertant! — Priami inperio Phrygibusque futurum;  
 Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,  
 Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello  
 Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.  
 Talibus insidiis periurique arte Sinonis 195  
 Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,  
 Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,  
 Non anni domuere decem, non mille carinae.

Hic aliud maius miseris multoque tremendum  
 Obicitur magis, adque inprovida pectora turbat. 200

Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,  
 Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.  
 Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta —  
 Horresco referens — immensis orbibus angues  
 Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt; 205  
 Pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque  
 Sanguineae superant undas; pars cetera pontum  
 Pone legit sinuatque immensa volumine terga.  
 Fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant,  
 Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni, 210  
 Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.  
 Diffugimus visu exsanguis. Illi agmine certo  
 Laocoonta petunt; et primum parva duorum  
 Corpora natorum serpens amplexus uterque  
 Implicat et miseros morsu depascitur artus; 215  
 Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,  
 Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et iam  
 Bis medium amplexi, bis collo squamea circum  
 Terga dati, superant capite et cervicibus altis.  
 Ille simul manibus tendit divellere nodos, 220  
 Perfusus sanie vittas atroque veneno,  
 Clamores simul horrendos ad sidera tollit:  
 Qualis mugitus, fugit cum saucius aram  
 Taurus et incertam excussit cervice securim.  
 At gemini lapsu delubra ad summa dracones 225  
 Effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem,  
 Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.  
 Tum vero tremefacta novos per pectora cunctis  
 Insinuat pavor, et scelus expendisse merentem  
 Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur 230  
 Laeserit et tergo sceleratam intorserit hastam.  
 Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divae  
 Numina conclamant.  
 Dividimus muros et moenia pandimus urbis.  
 Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum 235  
 Subiciunt lapsus, et stuppea vincula collo  
 Intendunt. Scandit fatalis machina muros,  
 Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae

Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.  
 Illa subit, mediaeque minans inlabitur urbi. 240  
 O patria, o divom domus Ilium, et incluta bello  
 Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae  
 Substitit, adque utero sonitum quater arma dedere;  
 Instamus tamen inmemores caecique furore,  
 Et monstrum infelix sacrata sistimus arce. 245  
 Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris  
 Ora, dei iussu non umquam credita Teucris.  
 Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset  
 Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Vertitur interea caelum et ruit oceano Nox, 250  
 Involvens umbra magna terramque polumque  
 Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucrici  
 Conticuere; sopor fessos complectitur artus:  
 Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat  
 A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae 255  
 Litora nota petens; flammis cum regia puppis  
 Extulerat, fatisque deum defensus iniquis,  
 Inclusos utero Danaos et pinea furtim  
 Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras  
 Reddit ecus, laetique cavo se robore promunt 260  
 Thessandrus Sthenelusque duces et dirus Ulixes,  
 Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,  
 Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,  
 Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.  
 Invadunt urbem somno vinoque sepultam; 265  
 Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis  
 Accipiunt socios adque agmina conscia iungunt.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris  
 Incipit et dono divom gratissima serpit.  
 In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector 270  
 Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,  
 Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento  
 Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.  
 Ei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo

Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli, 275  
 Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!  
 Squalentem barbam et concretos sanguine crinis  
 Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros  
 Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar  
 Compellare virum et maestas expromere voces: 280  
 O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,  
 Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris  
 Exspectate venis? ut te post multa tuorum  
 Funera, post varios hominumque urbisque laboris  
 Defessi aspicimus! quae caussa indigna serenos 285  
 Foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?  
 Ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,  
 Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,  
 Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.  
 Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia. 290  
 Sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra  
 Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.  
 Sacra suosque tibi commendat Troia Penatis;  
 Hos cape fatorum comites, his moenia quaere,  
 Magna pererrato statues quae denique ponto. 295  
 Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem  
 Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Diverso interea miscentur moenia luctu,  
 Et magis adque magis, quamquam secreta parentis  
 Anchisae domus arboribusque obtecta recessit, 300  
 Claescent sonitus, armorumque ingruit horror.  
 Excutior somno, et summi fastigia tecti  
 Ascensu supero, adque arrectis auribus adsto:  
 In segetem veluti cum flamma furentibus austris  
 Incidit, aut rapidus montano flumine torrens 305  
 Sternit agros, sternit sata laeta bovomque laboris,  
 Praecipitisque trahit silvas; stupet inscius alto  
 Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.  
 Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt  
 Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam, 310  
 Volcano superante, domus, iam proxumus ardet

Ucalegon; Sigea igni freta lata relucet.  
 Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.  
 Arma amens capio; nec sat rationis in armis,  
 Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem 315  
 Cum sociis ardent animi; furor iraque mentem  
 Praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.

Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,  
 Panthus Othryades, arcis Phoebeique sacerdos,  
 Sacra manu victosque deos parvomque nepotem 320  
 Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.  
 Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus  
 arcem?

Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:  
 Venit summa dies et ineluctabile tempus  
 Dardaniae. Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens 325  
 Gloria Teucrorum; feros omnia Iuppiter Argos  
 Transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.  
 Arduus armatos mediis in moenibus adstans  
 Fundit ecus, victorque Sinon incendia miscet  
 Insultans. Portis alii bipatientibus adsunt, 330  
 Milia quot magnis umquam venere Mycenis;  
 Obsedere alii telis angusta viarum  
 Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco  
 Stricta, parata neci; vix primi proelia temptant  
 Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt. 335  
 Talibus Othryadae dictis et numine divom  
 In flammis et in arma feror, quo tristis Erinys,  
 Quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.  
 Addunt se socios Rhipeus et maxumus armis  
 Epytus, oblatis per lunam, Hypanisque Dymasque, 340  
 Et lateri adglomerant nostro, iuvenisque Coroebus,  
 Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus  
 Venerat, insano Cassandrae incensus amore,  
 Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,  
 Infelix, qui non sponsae praecepta furentis 345  
 Audierit.  
 Quos ubi confertos audere in proelia vidi,

Incipio super his: Iuvenes, fortissima frustra  
 Pectora, si vobis audentem extrema cupido  
 Certa sequi, quae sit rebus fortuna videtis; 350  
 Excessere omnes, adytis arisque relictis,  
 Di, quibus inperium hoc steterat; succurritis urbi  
 Incensae: moriamur, et in media arma ruamus.  
 Una salus victis, nullam sperare salutem.  
 Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu 355  
 Raptores atra in nebula, quos inproba ventris  
 Exegit caecos rabies, catulique relictis  
 Faucibus exspectant siccis, per tela, per hostis  
 Vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus  
 Urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra. 360  
 Quis cladem illius noctis, quis funera fando  
 Explicet, aut possit lacrimis aequare laboris?  
 Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;  
 Pluruma perque vias sternuntur inertia passim  
 Corpora, perque domos et religiosa deorum 365  
 Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucris;  
 Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,  
 Victoresque cadunt Danaï. Crudelis ubique  
 Luctus, ubique pavor, et pluruma mortis imago.

Primus se, Danaum magna comitante caterva, 370  
 Androgeos offert nobis, socia agmina credens  
 Inscius, adque ultro verbis compellat amicis:  
 Festinate, viri. Nam quae tam sera moratur  
 Segnities? alii rapiunt incensa feruntque  
 Pergama; vos celsis nunc primum a navibus itis? 375  
 Dixit, et extemplo, neque enim responsa dabantur  
 Fida satis, sensit medios delapsus in hostis.  
 Opstipuit, retroque pedem cum voce repressit.  
 Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem  
 Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit 380  
 Attollentem iras et caerula colla tumentem;  
 Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.  
 Inruimus, densis et circumfundimur armis,  
 Ignarosque loci passim et formidine captos



Sternimus. Adspirat primo fortuna labori. 385  
 Adque hic successu exsultans animisque Corœbus,  
 O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis  
 Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur:  
 Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis  
 Aptemus. Dolus an virtus, quis in hoste requirat? 390  
 Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem  
 Androgei galeam clipeique insigne decorum  
 Induitur, laterique Argivom adcommodat ense.  
 Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas omnisque iuventus  
 Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat. 395  
 Vadimus inmixti Danaïs haud numine nostro,  
 Multaque per caecam congressi proelia noctem  
 Conserimus; multos Danaum demittimus Orco.  
 Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu  
 Fida petunt; pars ingentem formidine turpi 400  
 Scandunt rursus ecum et nota conduntur in alvo.

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!  
 Ecce trahebatur passis Priameia virgo  
 Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,  
 Ad caelum tendens ardentia lumina frustra, 405  
 Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.  
 Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus,  
 Et sese medium iniecit periturus in agmen.  
 Consequimur cuncti et densis incurrimus armis.  
 Hic primum ex alto delubri culmine telis 410  
 Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes  
 Armorum facie et Graiarum errore iubarum.  
 Tum Danaï gemitu adque ereptae virginis ira  
 Undique collecti invadunt, acerrimus Ajax,  
 Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis; 415  
 Adversi rupto ceu quondam turbine venti  
 Confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois  
 Eurus equis; stridunt silvae, saevitque tridenti  
 Spumeus adque imo Nereus ciet aequora fundo.  
 Illi etiam, siquos obscura nocte per umbram 420  
 Fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,

Adparent; primi clipeos mentitaque tela  
 Adgnoscent, adque ora sono discordia signant.  
 Illicet obruimur numero; primusque Coroebus  
 Penelei dextra divae armipotentis ad aram 425  
 Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus  
 Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi;  
 Dis aliter visum; pereunt Hypanisque Dymasque  
 Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,  
 Labentem pietas nec Apollinis infula textit. 430  
 Iliaci cineres et flamma extrema meorum,  
 Testor, in occassu vestro, nec tela nec ullas  
 Vitavisse vices Danaum, et, si fata fuissent,  
 Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde;  
 Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus aevo 435  
 Iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi;  
 Protinus ad sedes Priami clamore vocati.  
 Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam  
 Bella forent, nulli tota morentur in urbe,  
 Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis 440  
 Cernimus obsessumque acta testudine limen.  
 Haerent parietibus scalae, postisque sub ipsos  
 Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris  
 Protecti obiciunt, prensant fastigia dextris.  
 Dardanidae contra turris ac tecta domorum 445  
 Culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt,  
 Extrema iam in morte parant defendere telis;  
 Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,  
 Devolvont; alii strictis mucronibus imas  
 Obsedere fores; has servant agmine denso. 450  
 Instaurati animi, regis succurrere tectis,  
 Auxilioque levare viros, vimque addere victis.

Limen erat caecaeque fores et pervius usus  
 Tectorum inter se Priami, postesque relict  
 A tergo, infelix qua se, dum regna manebant, 455  
 Saepius Andromache ferre incommitata solebat  
 Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.  
 Evado ad summi fastigia culminis, unde

Tela manu miseri iactabant inrita Teucri.  
 Turrim in praecipiti stantem summisque sub astra 460  
 Eductam tectis, unde omnis Troia videri  
 Et Danaum solitae naves et Achaia castra,  
 Adgressi ferro circum, qua summa labantis  
 Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis  
 Sedibus, inpulimusque; ea lapsa repente ruinam 465  
 Cum sonitu trahit et Danaum super agmina late  
 Incidit. Ast alii subeunt, nec saxa, nec ullum  
 Telorum interea cessat genus.

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus  
 Exsultat, telis et luce coruscus aena; 470  
 Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,  
 Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,  
 Nunc, positis novos exuviis nitidusque iuventa,  
 Lubrica convolvit sublato pectore terga,  
 Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis. 475  
 Una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,  
 Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes  
 Succedunt tecto, et flammas ad culmina iactant.  
 Ipse inter primos correpta dura bipinni  
 Limina perrumpit, postisque a cardine vellit 480  
 Aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit  
 Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.  
 Adparet domus intus, et atria longa patescunt;  
 Adparent Priami et veterum penetralia regum,  
 Armatosque vident stantis in limine primo. 485

At domus interior gemitu miseroque tumultu  
 Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes  
 Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.  
 Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,  
 Amplexaeque tenent postis adque oscula figunt. 490  
 Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi  
 Custodes sufferre valent; labat ariete crebro  
 Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.  
 Fit via vi; rumpunt aditus, primosque trucidant

Inmissi Danaï, et late loca milite conplent. 495  
 Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis  
 Exiit oppositasque evicit gurgite moles,  
 Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis  
 Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem  
 Caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas; 500  
 Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras  
 Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.  
 Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,  
 Barbarico postes auro spoliisque superbi,  
 Procubuere; tenent Danaï, qua deficit ignis. 505

Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.  
 Urbis uti captae cassum convolsaque vidit  
 Limina tectorum et medium in penetralibus hostem,  
 Arma diu senior desueta trementibus aevo  
 Circumdat nequiquam umeris, et inutile ferrum 510  
 Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.  
 Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,  
 Ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus,  
 Incumbens arae adque umbra complexa Penatis.  
 Hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum, 515  
 Praecipites atra ceu tempestate columbae,  
 Condensae et divom amplexae simulacra sedebant.  
 Ipsum autem sumptis Priamum iuvenalibus armis  
 Ut vidit, Quae mens tam dira, miserrime coniunx,  
 Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit. 520  
 Non tali auxilio nec defensoribus istis  
 Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.  
 Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,  
 Aut moriere simul. Sic ore effata recepit  
 Ad sese et sacra longaevom in sede locavit. 525

Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,  
 Unus natorum Priami, per tela, per hostis,  
 Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat  
 Saucius. Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus  
 Insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta. 530  
 Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,

Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.  
 Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,  
 Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.  
 At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis, 535  
 Di, siquast caelo pietas, quae talia curet,  
 Persolvant grates dignas et praemia reddant  
 Debita, qui nati coram me cernere letum  
 Fecisti et patrios foedasti funere voltus.  
 At non ille, satum quo te mentiris, Achilles 540  
 Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque  
 Supplicis erubuit, corpusque exsanguie sepulchro  
 Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.  
 Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu  
 Coniecit, rauco quod protinus aere repulsum 545  
 Et summo clipei nequiquam umbone pependit.  
 Cui Pyrrhus: Referes ergo haec et nuntius ibis  
 Pelidae genitori; illi mea tristia facta  
 Degeneremque Neoptolemum narrare memento.  
 Nunc morere. Hoc dicens altaria ad ipsa trementem 550  
 Traxit et in multo lapsantem sanguine nati,  
 Implicuitque comam laeva, dextraque coruscum  
 Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.  
 Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum  
 Sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem 555  
 Pergama, tot quondam populis terrisque superbum  
 Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,  
 Avolsumque umeris caput, et sine nomine corpus.

At me tum primum saevos circumstetit horror.  
 Opstipui; subiit cari genitoris imago, 560  
 Ut regem aequaevom crudeli vulnere vidi  
 Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,  
 Et direpta domus, et parvi cassus Iuli.  
 Respicio, et, quae sit me circum copia, lustro.  
 Deseruere omnes defessi, et corpora saltu 565  
 Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.

Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae  
 Servantem et tacitam secreta in sede latentem

Tyndarida aspicio; dant clara incendia lucem  
 Erranti passimque oculos per cuncta ferenti. 570  
 Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,  
 Et poenas Danaum et deserti coniugis iras  
 Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,  
 Abdiderat sese adque aris invisa sedebat.  
 Exarsere ignes animo; subit ira cadentem 575  
 Ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.  
 Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenae  
 Aspiciet? partoque ibit regina triumpho,  
 [Coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,]  
 Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris? 580  
 Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?  
 Dardanium totiens sudarit sanguine litus?  
 Non ita. Namque etsi nullum memorabile nomen  
 Feminea in poenast nec habet victoria laudem,  
 Exstinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis 585  
 Laudabor poenas, animumque explesse iuvabit  
 Ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.  
 Talia iactabam, et furiata mente ferebar,  
 Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam  
 Obtulit et pura per noctem in luce refulsit 590  
 Alma parens, confessa deam, qualisque videri  
 Caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum  
 Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:  
 Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?  
 Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit? 595  
 Non prius aspicias, ubi fessum aetate parentem  
 Liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa,  
 Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae  
 Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,  
 Iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis. 600  
 Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae,  
 Culpatusve Paris; divom inclementia, divom,  
 Has evertit opes sternitque a culmine Troiam.  
 Aspice — namque omnem, quae nunc obducta tuenti  
 Mortalis hebetat visus tibi et umida circum 605  
 Caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis

Iussa time, neu praeceptis parere recussa —  
 Hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis  
 Saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum,  
 Neptunus muros magnoque emota tridenti 610  
 Fundamenta quatit totamque a sedibus urbem  
 Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas  
 Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen  
 Ferro accincta vocat.  
 Iam summas arces Tritonia, respice, Pallas 615  
 Insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva.  
 Ipse Pater Danaïs animos virisque secundas  
 Sufficit, ipse deos in Dardana suscitât arma.  
 Eripe, nate, fugam, finemque inpone labori.  
 Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam. 620  
 Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.  
 Adparent dirae facies inimicaque Troiae  
 Numina magna deum.

Tum vero omne mihi visum considerare in ignis  
 Ilium et ex imo verti Neptunia Troia; 625  
 Ac veluti summis antiquam in montibus ornum  
 Cum ferro accisam crebrisque bipinnibus instant  
 Eruere agricolae certatim; illa usque minatur  
 Et tremefacta comam concusso vertice nutat,  
 Volneribus donec paulatim evicta supremum 630  
 Congemuit traxitque iugis avolsa ruinam.  
 Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis  
 Expedior; dant tela locum, flammaeque recedunt.

Adque ubi iam patriae perventum ad limina sedis  
 Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos 635  
 Optabam primum montis primumque petebam,  
 Abnegat excisa vitam producere Troia  
 Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi  
 Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,  
 Vos agitate fugam. 640  
 Me si caelicolae voluissent ducere vitam,  
 Has mihi servassent sedes. Satis una superque

Vidimus excidia et captae superavimus urbi.  
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.  
Ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis 645  
Exuviasque petet. Facilis iactura sepulchri.  
Iam pridem invisus divis et inutilis annos  
Demoror, ex quo me divom pater adque hominum rex  
Fulminis adflavit ventis et contigit igni.

Talia perstabat memorans, fixusque manebat. 650  
Nos contra effusi lacrimis coniunxque Creusa  
Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum  
Cuncta pater fatoque urgenti incumbere vellet.  
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.  
Rursus in arma feror, mortemque miserimus opto. 655  
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?  
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto  
Sperasti, tantumque nefas patrio excidit ore?  
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,  
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae 660  
Teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto,  
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,  
Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.  
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis  
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque 665  
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam  
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?  
Arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.  
Reddite me Danaïs; sinite instaurata revisam  
Proelia. Numquam omnes hodie moriemur inulti. 670

Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram  
Insertabam aptans meque extra tecta ferebam.  
Ecce autem complexa pedes in limine coniunx  
Haerebat, parvomque patri tendebat Iulum:  
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum; 675  
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,  
Hanc primum tutare domum. Cui parvos Iulus,  
Cui pater, et coniunx quondam tua dicta relinquer?



Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,  
 Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum. 680  
 Namque manus inter maestorumque ora parentum  
 Ecce levis summo de vertice visus Iuli  
 Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli  
 Lambere flamma comas et circum tempora pasci.  
 Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem 685  
 Excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.  
 At pater Anchises oculos ad sidera laetus  
 Extulit, et caelo palmas cum voce tetendit:  
 Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,  
 Aspice nos hoc tantum; et, si pietate meremur, 690  
 Da deinde auxilium, pater, adque haec omina firma.

Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore  
 Intonuit laevom, et de caelo lapsa per umbras  
 Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.  
 Illam, summa super labentem culmina tecti, 695  
 Cernimus Idaea claram se condere silva  
 Signantemque vias; tum longo limite sulcus  
 Dat lucem, et late circum loca sulphure fumant.  
 Hic vero victus genitor se tollit ad auras,  
 Adfaturque deos et sanctum sidus adorat. 700  
 Iam iam nulla morast; sequor, et, qua ducitis, adsum.  
 Di patrii, servate domum, servate nepotem.  
 Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troiast.  
 Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recusso.  
 Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis 705  
 Auditur, propiusque aestus incendia volvont.  
 Ergo age, care pater, cervici inponere nostrae;  
 Ipse subibo umeris, nec me labor iste gravabit;  
 Quo res cumque cadent, unum et commune periculum,  
 Una salus ambobus erit. Mihi parvos Iulus 710  
 Sit comes, et longe servet vestigia coniunx.  
 Vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris.  
 Est urbe egressis tumulus templumque vetustum  
 Desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus  
 Religione patrum multos servata per annos. 715

Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.

Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penatis;

Me, bello e tanto digressum et caede recenti,

Attrectare nefas, donec me flumine vivo

Abluero.

720

Haec fatus, latosumeros subiectaque colla

Veste super fulvique insternor pelle leonis,

Succedoque oneri; dextrae se parvos Iulus

Implicuit sequiturque patrem non passibus aequis;

Pone subit coniunx. Ferimur per opaca locorum; 725

Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant

Tela neque adverso glomerati ex agmine Grai,

Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis

Suspensum et pariter comitique onerique timentem.

Iamque propinquabam portis, omnemque videbar 730

Evasisse viam, subito cum creber ad auris

Visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram

Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.

Ardentis clipeos adque aera micantia cerno.

Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum 735

Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu

Dum sequor et nota excedo regione viarum,

Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa

Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,

Incertum; nec post oculis est reddita nostris; 740

Nec prius amissam respexi animumve reflexi,

Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam

Venimus; hic demum collectis omnibus una

Defuit, et comites natumque virumque fefellit.

Quem non incussavi amens hominumque deorum-  
que? 745

Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?

Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penatis

Commendo sociis et curva valle recondo;

Ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis.

Stat cassus renovare omnis, omnemque reverti 750

Per Troiam, et rursus caput obiectare periclis.

Principio muros obscuraque limina portae,

Qua gressum extuleram, repeto, et vestigia retro  
Observata sequor per noctem et lumine lustror.  
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent. 755  
Inde domum, si forte pedem, si forte, tulisset,  
Me refero. Inruerant Danaï, et tectum omne tenebant.  
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento  
Volvitur; exsuperant flammæ, furit aestus ad auras.  
Procedo et Priami sedes arcemque reviso. 760  
Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo  
Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes  
Praedam adservabant. Huc undique Troia gaza  
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,  
Crateresque auro solidi, captivæque vestis 765  
Congeritur. Pueri et pavidæ longo ordine matres  
Stant circum.

Ausus quin etiam voces iactare per umbram  
Inplevi clamore vias, maestusque Creusam  
Nequiquam ingeminans iterumque iterumque vocavi. 770  
Quaerenti et tectis urbis sine fine furenti  
Infelix simulacrum adque ipsius umbra Creusæ  
Visa mihi ante oculos et nota maior imago.  
Opstipui, steteruntque comæ et vox faucibus haesit.  
Tum sic adfari et curas his demere dictis: 775  
Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,  
O dulcis coniunx? non hæc sine numine divom  
Eveniunt; nec te comitem portare Creusam  
Fas aut ille sinit superi regnator Olympi.  
Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum. 780  
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva  
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris:  
Illic res lætæ regnumque et regia coniunx  
Parta tibi; lacrimas dilectæ pelle Creusæ.  
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas 785  
Aspiciam, aut Graï servitum matribus ibo,  
Dardanis, et divæ Veneris nurus;  
Sed me magna deum Genetrix his detinet oris.  
Iamque vale, et nati serva communis amorem.  
Hæc ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem 790

**Dicere deseruit, tenuisque recessit in auras.  
Ter conatus ibi collo dare bracchia circum;  
Ter frustra comprensa manus effugit imago,  
Par levibus ventis volucrique simillima somno.  
Sic demum socios consumpta nocte reviso.** 795

**Adque hic ingentem comitum adfluxisse novorum  
Invenio admirans numerum, matresque, virosque,  
Collectam exsilio pubem, miserabile volgus.  
Undique convenere, animis opibusque parati,  
In quascumque velim pelago deducere terras.** 800  
**Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae  
Ducebatque diem, Danaïque obsessa tenebant  
Limina portarum, nec spes opis ulla dabatur:  
Cessi et sublato montis genitore petivi.**

P. VERGILI MARONIS  
**A E N E I D O S**  
**LIBER TERTIUS.**

---

**P**ostquam res Asiae Priamique evertere gentem  
Inmeritam visum Superis, ceciditque superbum  
Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia,  
Diversa exsilia et desértas quaerere terras  
Auguriis agimur divom, classemque sub ipsa 5  
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,  
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur,  
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas :  
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat;  
Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo 10  
Et campos, ubi Troia fuit. Feror exsul in altum  
Cum sociis natoque Penatibus et magnis dis.

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,  
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,  
Hospitium anticum Troiae sociique Penates, 15  
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo  
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis,  
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

Sacra Dionaee matri divisque ferebam  
Auspiciis coeptorum operum, superoque nitentem 20  
Caelicolum regi mactabam in litore taurum.  
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo

Virgulta et densis hastilibus horrida myrtus.  
 Accessi, viridemque ab humo convellere silvam  
 Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras, 25  
 Horrendum et dictu video mirabile monstrum.  
 Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbos  
 Vellitur, huic atro licuntur sanguine guttae,  
 Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror  
 Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis. 30  
 Rursus et alterius lentum convellere vimen  
 Insequor et caussas penitus temptare latentis :  
 Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.  
 Multa movens animo Nymphas venerabar agrestis  
 Gradivomque patrem, Geticis qui praesidet arvis, 35  
 Rite secundarent visus omenque levarent.  
 Tertia sed postquam maiore hastilia nisu  
 Adgredior genibusque adversae obluctor harenae —  
 Eloquar, an sileam ? — gemitus lacrimabilis imo  
 Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris : 40  
 Quid miserum, Aenea, laceras ? iam parce sepulto ;  
 Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia  
 Externum tulit, aut cruor hic de stipite manat.  
 Heu ! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.  
 Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit 45  
 Telorum seges et iaculis increvit acutis.  
 Tum vero ancipiti mentem formidine pressus  
 Opstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit.

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere  
 magno  
 Infelix Priamus furtim mandarat alendum 50  
 Threicio regi, cum iam diffideret armis  
 Dardaniae cingique urbem obsidione videret.  
 Ille, ut opes fractae Teucrum, et Fortuna recessit,  
 Res Agamemnonias victricis arma secutus,  
 Fas omne abrumpit ; Polydorum obtruncat, et auro 55  
 Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,  
 Auri sacra fames ! Postquam pavor ossa reliquit,  
 Delectos populi ad proceres primumque parentem

Monstra deum refero, et, quae sit sententia, posco.  
 Omnibus idem animus; scelerata excedere terra, 60  
 Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.  
 Ergo instauramus Polydoro funus: et ingens  
 Aggeritur tumulo tellus; stant Manibus arae,  
 Caeruleis maestae vittis atraque cupresso,  
 Et circum Iliades crinem de more solutae; 65  
 Inferimus tepido spumantia cymbia lacte  
 Sanguinis et sacri pateras, animamque sepulchro  
 Condimus, et magna supremum voce ciemus.

Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti  
 Dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum, 70  
 Deducunt socii navis et litora complent.  
 Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.  
 Sacra mari colitur medio gratissima tellus  
 Nereidum matri et Neptuno Aegaeo,  
 Quam pius Arcitenens oras et litora circum 75  
 Errantem Mycono e celsa Gyaroque revinxit,  
 Inmotamque coli dedit et contemnere ventos.  
 Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu  
 Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.  
 Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos, 80  
 Vittis et sacra redimitus tempora lauro,  
 Occurrit; veterem Anchisen adgnoscat amicum.  
 Iungimus hospitio dextras, et tecta subimus.

Templa dei saxo venerabar structa vetusto:  
 Da propriam, Thymbraee, domum; da moenia fessis 85  
 Et genus et mansuram urbem; serva altera Troiae  
 Pergama, reliquias Danaum adque inmitis Achilli.  
 Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?  
 Da, pater, augurium, adque animis inlabere nostris.

Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente, 90  
 Liminaque laurusque dei, totusque moveri  
 Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.  
 Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:

Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum  
 Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto 95  
 Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.  
 Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,  
 Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.  
 Haec Phoebus; mixtoque ingens exorta tumultu  
 Laetitia, et cuncti, quae sint ea moenia, quaerunt, 100  
 Quo Phoebus vocet errantis iubeatque reverti.  
 Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,  
 Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras:  
 Creta Iovis magni medio iacet insula ponto;  
 Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae. 105  
 Centum urbes habitant magnas, uberrima regna;  
 Maxumus unde pater, si rite audita recordor,  
 Teucus Rhoëtas primumst advectus ad oras,  
 Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces  
 Pergameae steterant; habitabant vallibus imis. 110  
 Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera  
 Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,  
 Et iuncti currum dominae subiere leones.  
 Ergo agite, et, divom ducunt qua iussa, sequamur;  
 Placemus ventos et Gnosia regna petamus. 115  
 Nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit,  
 Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.  
 Sic fatus, meritos aris mactavit honores,  
 Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,  
 Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam. 120

Fama volat pulsum regnis cessisse paternis  
 Idomeneia ducem, desertaque litora Cretae,  
 Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.  
 Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,  
 Bacchatamque iugis Naxon viridemque Donysam, 125  
 Olearon, niveamque Paron sparsasque per aequor  
 Cycladas et crebris legimus freta concita terris.  
 Nauticus exoritur vario certamine clamor;  
 Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.  
 Prosequitur surgens a puppi ventus euntis, 130



Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.  
 Ergo avidus muros optatae molior urbis,  
 Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem  
 Hortor amare focos arcemque attollere tectis.  
 Iamque fere sicco subductae litore puppes; 135  
 Conubiis arvisque novis operata iuventus;  
 Iura domosque dabam: subito cum tabida membris,  
 Corrupto caeli tractu, miserandaque venit  
 Arboribusque satisque lues et letifer annus.  
 Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant 140  
 Corpora; tum sterilis exurere Sirius agros;  
 Arebant herbae, et victum seges aegra negabat.  
 Rursus ad oraculum Ortygiae Phoebumque remenso  
 Hortatur pater ire mari, veniamque precari:  
 Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum 145  
 Temptare auxilium iubeat; quo vertere cursus.

Nox erat, et terris animalia somnus habebat:  
 Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,  
 Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis  
 Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis 150  
 In somnis, multo manifesti lumine, qua se  
 Plena per insertas fundebat luna fenestras;  
 Tum sic adfari et curas his demere dictis:  
 Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollost,  
 Hic canit, et tua nos en ultro ad limina mittit. 155  
 Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,  
 Nos tumidum sub te permensi classibus aequor,  
 Idem venturos tollemus in astra nepotes,  
 Inperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis  
 Magna para, longumque fugae ne linque laborem. 160  
 Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit  
 Delius, aut Cretae iussit considerare, Apollo.  
 Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,  
 Terra antiqua, potens armis adque ubere glaebae;  
 Oenotri coluere viri; nunc fama minores 165  
 Italiam dixisse ducis de nomine gentem:  
 Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,

Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.  
 Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti  
 Haud dubitanda refer: Corythum terrasque re-  
 quirat 170

Ausonias. Dictaea negat tibi Iuppiter arva.  
 Talibus attonitus visis et voce deorum —  
 Nec sopor illud erat, sed coram adgnosceret voltus  
 Velatasque comas praesentiaque ora videbar;  
 Tum gelidus toto manabat corpore sudor — 175  
 Corripio e stratis corpus, tendoque supinas  
 Ad caelum cum voce manus, et munera libo  
 Intemerata focis. Perfecto laetus honore  
 Anchisen facio certum, remque ordine pando.  
 Adgnovit prolem ambiguum geminosque parentes, 180  
 Seque novo veterum deceptum errore locorum.  
 Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fati,  
 Sola mihi talis cassus Cassandra canebat.  
 Nunc repeto haec generi portendere debita nostro,  
 Et saepe Hesperiam, saepe Italia regna vocare. 185  
 Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros  
 Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?  
 Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.  
 Sic ait; et cuncti dicto paremus ovantes.  
 Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis 190  
 Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.

Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius  
 ullae

Adparent terrae, caelum undique et undique pontus,  
 Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,  
 Noctem<sup>p</sup> hiememque ferens, et inhorruit unda tene-  
 bris. 195

Continuo venti volvunt mare magnaue surgunt  
 Aequora; dispersi iactamur gurgite vasto;  
 Involvere diem nimbi, et nox umida caelum  
 Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.  
 Excutimur cursu, et caecis erramus in undis. 200  
 Ipse diem noctemque negat discernere caelo,

Nec meminisse viae media Palinurus in unda.  
 Tris adeo incertos caeca caligine soles.  
 Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.  
 Quarto terra die primum se attollere tandem 205  
 Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.  
 Vela cadunt, remis insurgimus; haud mora, nautae  
 Adnixa torquent spumas et caerula verrunt.  
 Servatum ex undis Strophadum me litora primum  
 Accipiunt, Strophades Graio stant nomine dictae, 210  
 Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno,  
 Harpyiaequae colunt aliae, Phineia postquam  
 Clausa domus, mensasque metu liquere priores.  
 Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla  
 Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis. 215  
 Virginei velucrum voltus, foedissima ventris  
 Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper  
 Ora fame.  
 Huc ubi delati portus intravimus, ecce  
 Laeta bovem passim campis armenta videmus 220  
 Caprigenumque pecus nullo custode per herbas.  
 Inruimus ferro, et divos ipsumque vocamus  
 In partem praedamque Iovem; tum litore curvo  
 Exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis.  
 At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt 225  
 Harpyiae et magnis quatiunt clangoribus alas,  
 Diripiuntque dapes contactuque omnia foedant  
 Inmundo; tum vox taetrum dira inter odorem.  
 Rursum in secessu longo sub rupe cavata,  
 Arboribus clausi circum adque horrentibus umbris, 230  
 Instruimus mensas arisque reponimus ignem:  
 Rursum ex diverso caeli caecisque latebris  
 Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,  
 Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,  
 Edico, et dira bellum cum gente gerendum. 235  
 Haud secus ac iussi faciunt, tectosque per herbam  
 Disponunt enses et scuta latentia condunt.  
 Ergo ubi delapsae sonitum per curva dedere  
 Litora, dat signum specula Misenus ab alta

Aere cavo. Invadunt socii, et nova proelia temptant, 240  
 Obscenos pelagi ferro foedare volucres.  
 Sed neque vim plumis ullam nec volnera tergo  
 Accipiunt, celerique fuga sub sidera lapsae  
 Semiessam praedam et vestigia foeda relinunt.  
 Una in praecelsa consedit rupe Celaeno, 245  
 Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem :  
 Bellum etiam pro caede bovum stratisque iuvencis,  
 Laomedontiadae, bellumne inferre paratis  
 Et patrio Harpyias insontis pellere regno?  
 Accipite ergo animis adque haec mea figite dicta. 250  
 Quae Phoebus pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo  
 Praedixit, vobis Furiarum ego maxuma pando.  
 Italiam cursu petitis, ventisque vocatis  
 Ibitis Italiam, portusque intrare licebit;  
 Sed non ante datam cingetis moenibus urbem, 255  
 Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis  
 Ambessas subigat malis absumere mensas.  
 Dixit, et in silvam pinnis ablata refugit.  
 At sociis subita gelidus formidine sanguis  
 Deriguit; cecidere animi, nec iam amplius armis, 260  
 Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,  
 Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.  
 Et pater Anchises passis de litore palmis  
 Numina magna vocat, meritosque indicit honores :  
 Di, prohibete minas; di, talem avertite cassum, 265  
 Et placidi servate pios! Tum litore funem  
 Deripere, excussosque iubet laxare rudentis.  
 Tendunt vela Noti; fugimus spumantibus undis,  
 Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.  
 Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos 270  
 Dulichiumque Sameque et Neritos ardua saxis.  
 Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,  
 Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.  
 Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis  
 Et formidatus nautis aperitur Apollo. 275  
 Hunc petimus fessi et parvae succedimus urbi;  
 Ancora de prora iacitur, stant litore puppes.

Ergo insperata tandem tellure potiti  
 Lustramurque Iovi votisque incendimus aras,  
 Actiaque Iliacis celebramus litora ludis. 280  
 Exercent patrias oleo labente palaestras  
 Nudati socii; iuvat evasisse tot urbes  
 Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostis.  
 Interea magnum sol circumvolvitur annus,  
 Et glacialis hiemps aquilonibus asperat undas; 285  
 Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,  
 Postibus adversis figo, et rem carmine signo:  
 AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.  
 Linquere tum portus iubeo et considerare transtris.  
 Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt. 290  
 Protinus aerias Phaeacum abscondimus arces,  
 Litoraue Epiri legimus portuque subimus  
 Chaonio et celsam Buthroti accedimus urbem.

Hic incredibilis rerum fama occupat aures  
 Priamiden Helenum Graias regnare per urbes, 295  
 Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum,  
 Et patrio Andromachen iterum cecidisse marito.  
 Opstipui, miroque incensum pectus amore,  
 Compellare virum et cassus cognoscere tantos.  
 Progredior portu, classis et litora linquens; 300  
 Sollemnis cum forte dapes et tristia dona  
 Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam  
 Libabat cineri Andromache Manisque vocabat  
 Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem  
 Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras. 305  
 Ut me conspexit venientem et Troia circum  
 Arma amens vidit, magnis exterrita monstis  
 Deriguit visu in medio, calor ossa reliquit,  
 Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:  
 Verane te facies, verus mihi nuntius adfers, 310  
 Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,  
 Hector ubist? dixit, lacrimasque effudit et omnem  
 Inplevit clamore locum. Vix pauca furenti  
 Subicio et raris turbatus vocibus hisco:

Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco; 315  
Ne dubita, nam vera vides.

Heu! quis te cassus deiectam coniuge tanto  
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?  
Hectoris Andromache Pyrrhin conubia servas?  
Deiecit voltum et demissa voce locutast: 320

O felix una ante alias Priameia virgo,  
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis  
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,  
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!

Nos, patria incensa diversa per aequora vectae 325  
Stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum,

Servitio enixae, tulimus; qui deinde, secutus  
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos,  
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.  
Ast illum, ereptae magno inflammatus amore 330

Coniugis et scelerum Furiis agitatus, Orestes  
Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.

Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit  
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos  
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit, 335

Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.

Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?

Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?

Quid puer Ascanius? superatne? et vescitur aura,  
Quae tibi iam Troia — 340

Ecqua tamen puerost amissae cura parentis?

Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis

Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?

Talia fundebat lacrimans longosque ciebat  
Incassum fletus, cum sese a moenibus heros 345

Priamides multis Helenus comitantibus adfert,

Adgnoscitque suos, laetusque ad limina ducit,

Et multum lacrimas verba inter singula fundit.

Procedo, et parvam Troiam simulataque magnis  
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivom 350

Adgnosco, Scaetaeque amplector limina portae.

Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.

Illos porticibus rex accipiebat in amplis;  
 Aulai medio libabant pocula Bacchi,  
 Inpositis auro dapibus, paterasque tenebant. 355

Iamque dies alterque dies processit, et aurae  
 Vela vocant tumidoque inflatur carbasus austro:  
 His vatem adgredior dictis ac talia quaeso:  
 Troiugena, interpretes divom, qui numina Phoebi,  
 Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis 360  
 Et volucrum linguas et praepetis omina pinnae,  
 Fare age — namque omnem cursum mihi prospera  
 dixit

Religio, et cuncti suaserunt numine divi  
 Italiam petere et terras temptare repostas;  
 Sola novom, dictuque nefas, Harpyia Celaeno 365  
 Prodigium canit, et tristis denuntiat iras,  
 Obscenamque famem — quae prima pericula vito?  
 Quidve sequens tantos possim superare laboris?  
 Hic Helenus, caesis primum de more iuvençis,  
 Exorat pacem divom, vittasque resolvit 370  
 Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,  
 Ipse manu multo suspensum numine ducit,  
 Adque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:

Nate dea; nam te maioribus ire per altum  
 Auspiciis manifesta fides: — sic fata deum rex 375  
 Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo —  
 Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustras  
 Aequora et Ausonio possis considerare portu,  
 Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae  
 Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno. 380  
 Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam  
 Vicinosque, ignare, paras invadere portus,  
 Longa procul longis via dividit invia terris.  
 Ante et Trinacria lentandus remus in unda,  
 Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor 385  
 Infernique lacus Aeaeaeque insula Circae,  
 Quam tuta possis urbem componere terra.

Signa tibi dicam ; tu condita mente teneto :  
 Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam  
 Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus 390  
 Triginta capitum fetus enixa iacebit,  
 Alba, solo recubans, albi circum ubera nati,  
 Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.  
 Nec tu mensarum morsus horresce futuros :  
 Fata viam invenient aderitque vocatus Apollo. 395  
 Has autem terras, Italique hanc litoris oram,  
 Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,  
 Effuge ; cuncta malis habitantur moenia Graeis.  
 Hic et Narycii posuerunt moenia Locri,  
 Et Sallentinus obsedit milite campos 400  
 Lyctius Idomeneus ; hic illa ducis Meliboei  
 Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.  
 Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes  
 Et positis aris iam vota in litore solves,  
 Purpureo velare comas adopertus amictu, 405  
 Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum  
 Hostilis facies occurrat et omina turbet.  
 Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto ;  
 Hac casti maneant in religione nepotes.  
 Ast ubi digressum Siculae te admoverit orae 410  
 Ventus et angusti rarescent claustra Pelori,  
 Laeva tibi tellus et longo laeva petantur  
 Aequora circuitu ; dextrum fuge litus et undas.  
 Haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina —  
 Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas — 415  
 Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus  
 Una foret ; venit medio vi pontus et undis  
 Hesperium Siculo latus abscidit, arvaeque et urbes  
 Litore diductas angusto interluit aestu.  
 Dextrum Scylla latus, laevom inplacata Charybdis 420  
 Obsidet, adque imo barathri ter gurgite vastos  
 Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras  
 Erigit alternos et sidera verberat unda.  
 At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,  
 Ora exsertantem et navis in saxa trahentem. 425



Prima hominis facies et pulchro pectore virgo  
 Pube tenus, postrema inmani corpore pistrix,  
 Delphinum caudas utero commissa luporum.  
 Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni  
 Cessantem, longos et circumflectere cursus, 430  
 Quam semel informem vasto vidisse sub antro  
 Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa.  
 Praeterea, siquast Heleno prudentia, vati  
 Siqua fides, animum si veris inplet Apollo,  
 Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum 435  
 Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo:  
 Iunonis magnae primum prece numen adora;  
 Iunoni cane vota libens dominamque potentem  
 Supplicibus supera donis: sic denique victor  
 Trinacria finis Italos mittere relicta. 440  
 Huc ubi delatus Cymaeam accesseris urbem  
 Divinosque lacus et Averno sonantia silvis,  
 Insanam vatem aspicias, quae rupe sub ima  
 Fata canit foliisque notas et nomina mandat.  
 Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo, 445  
 Digerit in numerum adque antro seclusa relinquit.  
 Illa manent inmota locis neque ab ordine cedunt.  
 Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus  
 Inpulit et teneras turbavit ianua frondes,  
 Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo, 450  
 Nec revocare situs aut iungere carmina curat.  
 Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.  
 Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti,  
 Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum  
 Vela vocet possisque sinus implere secundos, 455  
 Quin adeas vatem precibusque oracula poscas.  
 Ipsa canat, vocemque volens adque ora resolvat.  
 Illa tibi Italiae populos venturaque bella,  
 Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,  
 Expediet, cursusque dabit venerata secundos. 460  
 Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.  
 Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam.

Quae postquam vates sic ore effatus amicost,  
 Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto  
 Inperat ad navis ferri, stipatque carinis 465  
 Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,  
 Loricam consertam hamis auroque trilicem,  
 Et conum insignis galeae cristasque comantis,  
 Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.  
 Addit equos, additque duces; 470  
 Remigium supplet; socios simul instruit armis.

Interea classem velis aptare iubebat  
 Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.  
 Quem Phoebi interpretis multo compellat honore :  
 Coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo, 475  
 Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,  
 Ecce tibi Ausoniae tellus; hanc arripe velis.  
 Et tamen hanc pelago praeterlabare necessest;  
 Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.  
 Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra 480  
 Provehor et fando surgentis demoror austros?  
 Nec minus Andromache, digressu maesta supremo,  
 Fert picturatas auri subtemine vestes  
 Et Phrygiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori,  
 Textilibusque onerat donis, ac talia fatur: 485  
 Accipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum  
 Sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,  
 Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,  
 O mihi sola mei super Astyanactis imago.  
 Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat; 490  
 Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.  
 Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:  
 Vivite felices, quibus est fortuna peracta  
 Iam sua; nos alia ex aliis in fata vocamur.  
 Vobis parta quies; nullum maris aequor arandum, 495  
 Arva neque Ausoniae semper cedentia retro  
 Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,  
 Quam vestrae fecere manus, melioribus, opto,  
 Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Graeis.

Siquando Thybrim vicinaque Thybridis arva 500  
 Intraro gentique meae data moenia cernam,  
 Cognatas urbes olim populosque propinquos,  
 Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor  
 Adque idem cassus, unam faciemus utramque  
 Troiam animis; maneat nostros ea cura nepotes. 505

Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,  
 Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.  
 Sol ruit interea et montes umbrantur opaci.  
 Sternimur optatae gremio telluris ad undam,  
 Sortiti remos, passimque in litore sicco 510  
 Corpora curamus; fessos sopor inrigat artus.  
 Necdum orbem medium Nox horis acta subibat:  
 Haud segnis strato surgit Palinurus et omnis  
 Explorat ventos, adque auribus aera captat;  
 Sidera cuncta notat tacito labentia caelo, 515  
 Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones,  
 Armatumque auro circumspicit Oriona.  
 Postquam cuncta videt caelo constare sereno,  
 Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,  
 Temptamusque viam et velorum pandimus alas. 520  
 Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis,  
 Cum procul obscuros collis humilemque videmus  
 Italiam. Italiam primus conclamat Achates,  
 Italiam laeto socii clamore salutant.  
 Tum pater Anchises magnum cratera corona 525  
 Induit inplevitque mero, divosque vocavit  
 Stans celsa in puppi:  
 Di maris et terrae tempestatumque potentes,  
 Ferte viam vento facilem et spirate secundi.  
 Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit 530  
 Iam propior, templumque adparet in arce Minervae.  
 Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.  
 Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;  
 Obiectae salsa spumant adspargine cautes;  
 Ipse latet; gemino demittunt bracchia muro 535  
 Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.

Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidi  
 Tondentis campum late, candore nivali.  
 Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;  
 Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur. 540  
 Sed tamen idem olim curru succedere sueti  
 Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre:  
 Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur  
 Palladis armisonae, quae prima accepit ovantis,  
 Et capita ante aras Phrygio velamur amictu; 545  
 Praeceptisque Heleni, dederat quae maxuma, rite  
 Iunoni Argivae iussos adolemus honores.  
 Haud mora, continuo perfectis ordine votis,  
 Cornua velatarum obvertimus antennarum,  
 Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva. 550  
 Hinc sinus Herculei, si verast fama, Tarenti  
 Cernitur; attollit se diva Lacinia contra,  
 Caulonisque arces et navifragum Scylaceum.  
 Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna,  
 Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa 555  
 Audimus longe fractasque ad litora voces,  
 Exsultantque vada, adque aestu miscentur harenae.  
 Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;  
 Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.  
 Eripite, o socii, pariterque insurgite remis. 560  
 Haud minus ac iussi faciunt, primusque rudentem  
 Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;  
 Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.  
 Tollimur in caelum curvato gurgite, et idem  
 Subducta ad Manis imos desedimus unda. 565  
 Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;  
 Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.  
 Interea fessos ventus cum sole reliquit,  
 Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.  
 Portus ab accessu ventorum inmotus et ingens 570  
 Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,  
 Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,  
 Turbine fumantem piceo et candente favilla,  
 Attollitque globos flammaram et sidera lambit;

Interdum scopulos avolsaque viscera montis 575  
 Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras  
 Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.  
 Famast Enceladi semiustum fulmine corpus  
 Urgueri mole hac, ingentemque insuper Aetnam  
 Inpositam ruptis flammam exspirare caminis; 580  
 Et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem  
 Murmure Trinacriam, et caelum subtexere fumo.  
 Noctem illam tecti silvis inmania monstra  
 Perferimus, nec, quae sonitum det caussa, videmus.  
 Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra 585  
 Siderea polus, obscuro sed nubila caelo,  
 Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Postera iamque dies primo surgebat Eoo,  
 Umentemque Aurora polo dimoverat umbram:  
 Cum subito e silvis, macie confecta suprema, 590  
 Ignoti nova forma viri miserandaque cultu  
 Praecedit supplexque manus ad litora tendit.  
 Respicimus. Dira inluyies inmissaque barba,  
 Consortum tegumen spinis; at cetera Graius,  
 Et quondam patriis ad Troiam missus in armis. 595  
 Isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit  
 Arma procul, paulum aspectu conterritus haesit,  
 Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps  
 Cum fletu precibusque tulit: Per sidera testor,  
 Per superos adque hoc caeli spirabile lumen, 600  
 Tollite me, Teucri; quascumque abducite terras;  
 Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,  
 Et bello Iliacos fateor petiisse Penatis.  
 Pro quo, si sceleris tantast iniuria nostri,  
 Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto. 605  
 Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.  
 Dixerat, et genua amplexus genibusque volutans  
 Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,  
 Hortamur; quae deinde agitet fortuna, fateri.  
 Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus, 610  
 Dat iuveni, adque animum praesenti pignore firmat.

Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:  
 Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,  
 Nomen Achemenides, Troiam genitore Adamasto  
 Paupere — mansissetque utinam fortuna! — profectus. 615

Hic me, dum trepidi crudelia limina lincunt,  
 Inmemores socii vasto Cyclopi in antro  
 Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,  
 Intus opaca, ingens. Ipse arduus altaque pulsat  
 Sidera — Di, talem terris avertite pestem! — 620  
 Nec visu facilis nec dictu adfabilis ulli.

Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.  
 Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro  
 Prensa manu magna medio resupinus in antro  
 Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent 625  
 Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo  
 Manderet, et tepidi tremarent sub dentibus artus.  
 Haud inpune quidem; nec talia passus Ulixes,  
 Oblitusve suist Ithacus discrimine tanto.

Nam simul expletus dapibus vinoque sepultus 630  
 Cervicem inflexam posuit, iacuitque per antrum  
 Immensus, sanie eructans et frustra cruento  
 Per somnum commixta mero, nos, magna precati  
 Numina sortitique vices, una undique circum  
 Fundimur, et telo lumen terebramus acuto, 635  
 Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,  
 Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,  
 Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.  
 Sed fugite, o miseri, fugite, adque ab litore funem  
 Rumpite. 640

Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro  
 Lanigeras claudit pecudes adque ubera pressat,  
 Centum alii curva haec habitant ad litora volgo  
 Infandi Cyclopes et altis montibus errant.  
 Tertia iam Lunae se cornua lumine complent, 645  
 Cum vitam in silvis inter deserta ferarum  
 Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas  
 Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremesco.

Victum infelicem, bacas lapidosaque corna,  
 Dant rami, et volsis pascunt radicibus herbae. 650  
 Omnia conlustrans, hanc primum ad litora classem  
 Conspexi venientem. Huic me, quaecumque fuisset,  
 Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.  
 Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.

Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus 655  
 Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem  
 Pastorem Polyphemum et litora nota petentem,  
 Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen  
 ademptum.  
 Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat;  
 Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas, 660  
 Solamenque mali.  
 Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit,  
 Luminis effossi fluvidum lavit inde cruorem,  
 Dentibus infrendens gemitu, graditurque per aequor  
 Iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit. 665  
 Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto  
 Supplice sic merito, tacitique incidere funem;  
 Verrimus et proni certantibus aequora remis.  
 Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.  
 Verum ubi nullâ datur dextra adfectare potestas, 670  
 Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,  
 Clamorem inmensum tollit, quo pontus et omnes  
 Contremuere undae, penitusque exterrita tellus  
 Italiae, curvisque inmugiit Aetna cavernis.  
 At genus e silvis Cyclopum et montibus altis 675  
 Excitum ruit ad portus et litora complent.  
 Cernimus adstantis nequiquam lumine torvo  
 Aetnaeos fratres, caelo capita alta ferentis,  
 Concilium horrendum: quales cum vertice celso  
 Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi 680  
 Constiterunt, silva alta Iovis, lucusve Dianae.  
 Praecipitis metus acer agit quocumque rudentis  
 Excutere, et ventis intendere vela secundis.  
 [Contra iussa monent Heleni, Scyllam adque Charybdim

Inter, utramque viam leti discrimine parvo,  
 Ni teneant cursus; certumst dare lintea retro.]  
 Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori  
 Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo  
 Pantagiae Megarosque sinus Thapsumque iacentem.  
 [Talia monstrabat relegens errata retrorsus 690  
 Litora Achemenides, comes infelicis Ulixi.]

Sicanio praetenta sinu iacet insula contra  
 Plemyrion undosum; nomen dixere priores  
 Ortygiam. Alpheum famast huc Elidis amnem  
 Occultas egisse vias subter mare; qui nunc 695  
 Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.  
 Iussi numina magna loci veneramur; et inde  
 Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.  
 Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni  
 Radimus, et fatis numquam concessa moveri 700  
 Adparet Camarina procul campique Geloi,  
 [Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.]  
 Arduus inde Acragans ostentat maxuma longe  
 Moenia, magnanimum quondam generator equorum;  
 Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus, 705  
 Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.  
 Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora  
 Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,  
 Heu genitorem, omnis curae cassusque levamen,  
 Amitto Anchisen. Hic me, pater optume, fessum 710  
 Deseris, heu, tantis nequiquam erepte periclis!  
 Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,  
 Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.  
 Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.  
 Hinc me digressum vestris deus adpulit oris. 715

Sic pater Aeneas intentis omnibus unus  
 Fata renarrabat divom, cursusque docebat.  
 Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.



P. VERGILI MARONIS  
**A E N E I D O S**  
LIBER QUARTUS.

---

**A**t regina gravi iandudum saucia cura  
Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.  
Multa viri virtus animo, multusque recursat  
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus  
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem. 5  
Postera Phoebea lustrabat lampade terras  
Umentemque Aurora polo dimoverat umbram,  
Cum sic unanimam adloquitur male sana sororem:  
Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!  
Quis novos hic nostris successit sedibus hospes, 10  
Quem sese ore ferens, quam forti pectore et armis!  
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.  
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille  
Lactatus fatis! quae bella exhausta canebat!  
Si mihi non animo fixum inmotumque sederet, 15  
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,  
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;  
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset,  
Huic uni forsán potui succumbere culpa.  
Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei 20  
Coniugis et sparsos fraterna caede Penatis,  
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem

Inpult. Adgnosco veteris vestigia flammae.  
 Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,  
 Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, 25  
 Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,  
 Ante, Pudor, quam te violò, aut tua iura resolvo.  
 Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores  
 Abstulit; ille habeat secum servetque sepulchro.  
 Sic effata sinum lacrimis inplevit obortis. 30

Anna refert: O luce magis dilecta sorori,  
 Solane perpetua maerens carpere iuventa,  
 Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?  
 Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?  
 Esto: aegram nulli quondam flexere mariti, 35  
 Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas  
 Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis  
 Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?  
 Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?  
 Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello, 40  
 Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis;  
 Hinc deserta siti regio, lateque furentes  
 Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam,  
 Germanique minas?  
 Dis equidem auspiciis reor et Iunone secunda 45  
 Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.  
 Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere  
 regna  
 Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis  
 Punica se quantis attollet gloria rebus!  
 Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis 50  
 Indulge hospitio, caussasque innecte morandi,  
 Dum pelago desaevit hiemps et aquosus Orion,  
 Quassataeque rates, dum non tractabile caelum.

His dictis incensum animum inflammavit amore,  
 Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem. 55  
 Principio delubra adeunt, pacemque per aras  
 Exquirunt; mactant lectas de more bidentis

Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,  
 Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.  
 Ipsa, tenens dextra pateram, pulcherrima Dido 60  
 Candentis vaccae media inter cornua fundit,  
 Aut ante ora deum pinguis spatiat ad aras,  
 Instauratque diem donis, pecudumque reclusis  
 Pectoribus inhians spirantia consulit exta.  
 Heu vaturn ignarae mentes! quid vota furentem, 65  
 Quid delubra iuvant? Est mollis flamma medullas  
 Interea, et taciturn vivit sub pectore volnus.  
 Uritur infelix Dido totaque vagatur  
 Urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta,  
 Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit 70  
 Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum  
 Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat  
 Dictaeos; haeret lateri letalis harundo.  
 Nunc media Aenean secum per moenia ducit,  
 Sidoniasque ostentat opes urbemque paratam; 75  
 Incipit effari, mediaque in voce resistit;  
 Nunc eadem labente die convivia quaerit,  
 Iliacosque iterum demens audire laboris  
 Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.  
 Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim 80  
 Luna premit suadentque cadentia sidera somnos,  
 Sola domo maeret vacua, stratisque relictis  
 Incubat. Illum absens absentem auditque videtque,  
 Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,  
 Detinet, infandum si fallere possit amorem. 85  
 Non coepae adsurgunt turres, non arma iuventus  
 Exercet, portusve aut propugnacula bello  
 Tuta parant; pendent opera interrupta minaeque  
 Murorum ingentes aequataque machina caelo.

Quam simul ac tali persensit peste teneri 90  
 Cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori,  
 Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:  
 Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis  
 Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,

Una dolo divom si femina victa duorumst. 95

Nec me adeo fallit veritam te moenia nostra  
 Suspectas habuisse domos Karthaginis altae.  
 Sed quis erit modus, aut quo nunc certamina tanta?  
 Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos  
 Exercemus? habes, tota quod mente petisti: 100

Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.  
 Communem hunc ergo populum paribusque regamus  
 Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,  
 Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.

Olli — sensit enim simulata mente locutam, 105

Quo regnum Italiae Libycas averteret oras —  
 Sic contrast ingressa Venus: Quis talia demens  
 Abnuat, aut tecum malit contendere bello?  
 Si modo, quod memoras factum, fortuna sequatur.  
 Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam 110

Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis,  
 Miscerive probet populos, aut foedera iungi.  
 Tu coniunx; tibi fas animum temptare precando.  
 Perge; sequar. Tum sic excepit regia Iuno:  
 Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod  
 instat, 115

Confieri possit, paucis, adverte, docebo.

Venatum Aeneas unaque miserrima Dido

In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus

Extulerit Titan radiisque retexerit orbem.

His ego nigrantem commixta grandine nimbum, 120

Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,

Desuper infundam, et tonitru caelum omne ciebo.

Diffugient comites et nocte tegentur opaca:

Speluncam Dido dux et Troianus eandem

Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas, 125

Conubio iungam stabili propriamque dicabo.

Hic hymenaeus erit. Non adversata petenti

Adnuat, adque dolis risit Cytherea repertis.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

It portis iubare exorto delecta iuventus; 130

Retia rara, plagae, lato venabula ferro,  
 Massylisque ruunt equites et odora canum vis.  
 Reginam thalamo cunctantem ad limina primi  
 Poenorum exspectant, ostroque insignis et auro  
 Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit. 135  
 Tandem progreditur magna stipante caterva,  
 Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.  
 Cui pharetra ex auro; crines nodantur in aurum;  
 Aurea purpuream subnectit fibula vestem.  
 Nec non et Phrygii comites et laetus Iulus 140  
 Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnis  
 Infert se socium Aeneas adque agmina iungit.  
 Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta  
 Deserit ac Delum maternam invisit Apollo  
 Instauratione choros, mixtique altaria circum 145  
 Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;  
 Ipse iugis Cynthi graditur, mollique fluentem  
 Fronde premit crinem fingens adque implicat auro,  
 Tela sonant umeris: haud illo segnior ibat  
 Aeneas; tantum egregio decus enitet ore. 150  
 Postquam altos ventum in montis adque invia lustra,  
 Ecce ferae, saxi deiectae vertice, caprae  
 Decurrere iugis; alia de parte patentis  
 Transmittunt cursu campos adque agmina cervi  
 Pulverulenta fuga glomerant montisque relinquant. 155  
 At puer Ascanius mediis in vallibus acri  
 Gaudet equo, iamque hos cursu, iam praeterit illos,  
 Spumantemque dari pecora inter inertia votis  
 Optat aprum, aut fulvom descendere monte leonem.

Interea magno misceri murmure caelum 160  
 Incipit; insequitur commixta grandine nimbus;  
 Et Tyrii comites passim et Troiana iuventus  
 Dardaniusque nepos Veneris diversa per agros  
 Tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.  
 Speluncam Dido dux et Troianus eandem 165  
 Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno  
 Dant signum; fulsere ignes et conscius aether

Conubiis, summoque ulularunt vertice Nymphae.  
 Ille dies primus leti primusque malorum  
 Causa fuit; neque enim specie famave movetur, 170  
 Nec iam furtivom Dido meditatur amorem;  
 Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.

Extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,  
 Fama malum, quo non aliud velocius ullum;  
 Mobilitate viget, virisque adquirit eundo; 175  
 Parva metu primo; mox sese attollit in auras,  
 Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.  
 Illam Terra parens, ira irritata deorum,  
 Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem  
 Progenuit, pedibus celerem et perniciousis alis, 180  
 Monstrum horrendum, ingens, cui, quot sunt corpore  
 plumae,

Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,  
 Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.  
 Nocte volat caeli medio terraeque per umbram,  
 Stridens, nec dulci declinat lumina somno; 185  
 Luce sedet custos aut summi culmine tecti,  
 Turribus aut altis, et magnas territat urbes,  
 Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.  
 Haec tum multiplici populos sermone replebat  
 Gaudens et pariter facta adque infecta canebat: 190  
 Venisse Aenean, Troiano a sanguine cretum,  
 Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido;  
 Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere  
 Regnorum inmemores turpique cupidine captos.  
 Haec passim dea foeda virum diffundit in ora. 195  
 Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,  
 Incenditque animum dictis adque aggerat iras.

Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,  
 Templi Iovi centum latis inmania regnis,  
 Centum aras posuit, vigilemque sacraverat ignem, 200  
 Excubias divom aeternas, pecudumque cruore  
 Pingue solum et variis florentia limina sertis.

Isque amens animi et rumore accensus amaro  
 Dicitur ante aras media inter numina divom  
 Multa Iovem manibus supplex orasse supinis: 205  
 Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis  
 Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,  
 Aspicias haec? an te, genitor, cum fulmina torques,  
 Nequiquam horremus, caecique in nubibus ignes  
 Terrificant animos et inania murmura miscent? 210  
 Femina, quae nostris errans in finibus urbem  
 Exiguam pretio posuit, cui litus arandum  
 Cuique loci leges dedimus, conubia nostra  
 Reppulit ac dominum Aenean in regna recepit.  
 Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, 215  
 Maeonia mentum mitra crinemque madentem  
 Subnixus, rapto potitur: nos munera templis  
 Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.

Talibus orantem dictis arasque tenentem  
 Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit 220  
 Regia et oblitos famaе melioris amantis.  
 Tum sic Mercurium adloquitur ac talia mandat:  
 Vade age, nate, voca Zephyros et labere pinnis,  
 Dardaniumque ducem, Tyria Karthagine qui nunc  
 Exspectat, fatisque datas non respicit urbes, 225  
 Adloquere et celeris defer mea dicta per auras.  
 Non illum nobis genetrix pulcherrima talem  
 Promisit Graiumque ideo bis vindicat armis;  
 Sed fore, qui gravidam inperiis belloque frementem  
 Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucris 230  
 Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.  
 Si nulla accendit tantarum gloria rerum  
 Nec super ipse sua molitur laude laborem,  
 Ascanione pater Romanas invidet arces?  
 Quid struit? aut qua spe, inimica in gente, mora- 235  
 tur,  
 Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?  
 Naviget! haec summast; hic nostri nuntius esto.

Dixerat. Ille patris magni parere parabat  
 Inperio; et primum pedibus talaria nequit,  
 Aurea, quae sublimem alis sive aequora supra 240  
 Seu terram rapido pariter cum flamine portant;  
 Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco  
 Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit,  
 Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat;  
 Illa fretus agit ventos, et turbida tranat 245  
 Nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit  
 Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit,  
 Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris  
 Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;  
 Nix umeros infusa tegit; tum flumina mento 250  
 Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.  
 Hic primum paribus nitens Cyllenius alis  
 Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas  
 Misit, avi similis, quae circum litora, circum  
 Piscosos scopulos humilis volat aequora iuxta. 255  
 [Haud aliter terras inter caelumque volabat,  
 Litus harenosum ac Libyae ventosque secabat  
 Materno veniens ab avo Cyllenia proles.]  
 Ut primum alatis tetigit magalia plantis,  
 Aenean fundantem arces ac tecta novantem 260  
 Conspicit. Adque illi stellatus iaspide fulva  
 Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena  
 Demissa ex umeris, dives quae munera Dido  
 Fecerat et tenui telas discreverat auro.  
 Continuo invadit: Tu nunc Karthaginis altae 265  
 Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem  
 Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!  
 Ipse deum tibi me claro demittit Olympo  
 Regnator, caelum et terras qui numine torquet;  
 Ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras: 270  
 Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?  
 Si te nulla movet tantarum gloria rerum  
 Nec super ipse tua moliris laude laborem,  
 Ascanium surgentem et spes heredis Iuli  
 Respice, cui regnum Italiae Romanaque tellus 275



Debentur. Tali Cyllenius ore locutus  
Mortalis visus medio sermone reliquit,  
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

At vero Aeneas aspectu obmutuit amens,  
Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit. 280  
Ardet abire fuga dulcisque relinquere terras,  
Attonitus tanto monitu inperioque deorum.  
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furem  
Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?  
Adque animum nunc huc celerem, nunc dividit il-  
luc, 285

In partisque rapit varias perque omnia versat.  
Haec alternanti potior sententia visast:  
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum,  
Classem aptent taciti sociosque ad litora cogant,  
Arma parent, et, quae rebus sit caussa novandis, 290  
Dissimulent; sese interea, quando optuma Dido  
Nesciat et tantos rumpi non speret amores,  
Temptaturum aditus, et quae mollissima fandi  
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes  
Inperio laeti parent ac iussa facessunt. 295

At regina dolos — quis fallere possit amantem? —  
Praesensit, motusque excepit prima futuros,  
Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti  
Detulit armari classem cursumque parari.  
Saevit inops animi, totamque incensa per urbem 300  
Bacchatur, qualis commotis excita sacris  
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho  
Orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.  
Tandem his Aenean compellat vocibus ultro:

Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum 305  
Posse nefas, tacitusque mea decedere terra?  
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,  
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?  
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,

Et mediis properas aquilonibus ire per altum, 310  
 Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque  
 Ignotas peteres, et Troia antiqua maneret,  
 Troia per undosum peteretur classibus aequor?  
 Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te—  
 Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui — 315  
 Per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,  
 Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam  
 Dulce meum, miserere domus labentis et istam,  
 Oro, siquis adhuc precibus locus, exue mentem.  
 Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni 320  
 Odere, infensi Tyrii; te propter eundem  
 Exstinctus pudor et, qua sola sidera adibam,  
 Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?  
 Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.  
 Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater 325  
 Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?  
 Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset  
 Ante fugam suboles, siquis mihi parvolus aula  
 Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,  
 Non equidem omnino capta ac deserta viderer. 330

Dixerat. Ille Iovis monitis inmotâ tenebat  
 Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.  
 Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando  
 Enumerare vales, numquam, Regina, negabo  
 Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae, 335  
 Dùm memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.  
 Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere  
 furto

Speravi, ne finge, fugam, nec coniugis umquam  
 Praetendi taedas aut haec in foedera veni.  
 Me si fata meis paterentur ducere vitam 340  
 Auspiciis et sponte mea componere curas,  
 Urbem Troianam primum dulcisque meorum  
 Reliquias colerem, Priami tecta alta manerent,  
 Et recidiva manu posuissem Pergama victis.  
 Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, 345

Italiam Lyciae iussere capessere sortes;  
 Hic amor, haec patriast. Si te Karthaginis arces,  
 Phoenissam, Libycaeque aspectus detinet urbis,  
 Quae tandem, Ausonia Teucros considerare terra,  
 Invidiast? Et nos fas extera quaerere regna. 350  
 Me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris  
 Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,  
 Admonet in somnis et turbida terret imago;  
 Me puer Ascanius capitisque iniuriâ cari,  
 Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis. 355  
 Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso —  
 Testor utrumque caput — celeris mandata per auras  
 Detulit; ipse deum manifesto in lumine vidi  
 Intransem muros, vocemque his auribus hausi.  
 Desine meque tuis incendere teque querellis; 360  
 Italiam non sponte sequor.

Talia dicentem iandudum aversa tuetur,  
 Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat  
 Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:  
 Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, 365  
 Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens  
 Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.  
 Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reservo?  
 Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?  
 Num lacrimas victus dedit, aut miseratus aman-  
 temst? 370  
 Quae quibus anteferam? Iam iam nec maxuma Iuno,  
 Nec Saturnius haec oculis pater aspicit aequis.  
 Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem  
 Excepi et regni demens in parte locavi;  
 Amissam classem, socios a morte reduxi. 375  
 Heu furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,  
 Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso  
 Interpres divom fert horrida iussa per auras.  
 Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos  
 Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello; 380  
 I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Spero equidem mediis, siquid pia numina possunt,  
 Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido  
 Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens,  
 Et, cum frigida mors anima seduxerit artus, 385  
 Omnibus umbra locis adero. Dabis, inprobe, poenas.  
 Audiam, et haec Manis veniet mihi fama sub imos.  
 His medium dictis sermonem abrumpit, et auras  
 Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,  
 Linquens multa metu cunctantem et multa parantem 390  
 Dicere. Suscipiunt famulae, conlapsaque membra  
 Marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.

At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem  
 Solando cupit et dictis avertere curas,  
 Multa gemens magnoque animum labefactus amore, 395  
 Iussa tamen divom exsequitur, classemque revisit.  
 Tum vero Teucri incumbunt et litore celsas  
 Deducunt toto navis. Natat uncta carina,  
 Frondentisque ferunt remos et robora silvis  
 Infabricata, fugae studio. 400  
 Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis,  
 Ac velut ingentem formicae farris acervom  
 Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt :  
 It nigrum campis agmen, praedamque per herbas  
 Convectant calle angusto; pars grandia trudunt 405  
 Obnixae frumenta umeris; pars agmina cogunt  
 Castigantque moras; opere omnis semita fervet.  
 Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus!  
 Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late  
 Prospiceres arce ex summa, totumque videres 410  
 Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!  
 Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis!  
 Ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando  
 Cogitur, et supplex animos submittere amanti,  
 Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat. 415

Anna, vides toto properari litore? Circum  
 Undique convenere; vocat iam carbasus auras,

Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.  
 Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,  
 Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen  
 unum 420

Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille  
 Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;  
 Sola viri mollis aditus et tempora noras.  
 I, soror, adque hostem supplex adfare superbum:  
 Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem 425  
 Aulide iuravi, classemve ad Pergama misi,  
 Nec patris Anchisae cinerem Manisve revelli:  
 Cur mea dicta negat duras demittere in auris?  
 Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti:  
 Exspectet facilemque fugam ventosque ferentis. 430  
 Non iam coniugium anticum, quod prodidit, oro,  
 Nec pulchro ut Latio careat regnumque relinquat;  
 Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,  
 Dum mea me victam doceat fortuna dolere.  
 Extremam hanc oro veniam — miserere sororis —; 435  
 Quam mihi cum dederis, cumulatam morte remittam.

Talibus orabat, talisque miserrima fletus  
 Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur  
 Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;  
 Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris. 440  
 Ac velut annoso validam cum robore quercum  
 Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc  
 Eruere inter se certant; it stridor, et altae  
 Consternunt terram concusso stipite frondes;  
 Ipsa haeret scopulis, et, quantum vertice ad auras 445  
 Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:  
 Haud secus adsiduis hinc adque hinc vocibus heros  
 Tunditur, et magno persentit pectore curas;  
 Mens inmotam manet; lacrimae volvuntur inanes.

Tum vero infelix fati exterrita Dido 450  
 Mortem orat; taedet caeli convexa tueri.  
 Quo magis inceptum peragat lucemque relinquat,

Vidit, turicremis cum dona inponeret aris —  
 Horrendum dictu — latices nigrescere sacros  
 Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem. 455  
 Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.  
 Praeterea fuit in tectis de marmore templum  
 Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,  
 Velleribus niveis et festa fronde revinctum:  
 Hinc exaudiri voces et verba vocantis. 460  
 Visa viri, nox cum terras obscura teneret;  
 Solaque culminibus ferali carmine bubo  
 Saepe queri et longas in fletum ducere voces;  
 Multaque praeterea vatium praedicta piorum  
 Terribili monitu horrificant. Agit ipse furem 465  
 In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui  
 Sola sibi, semper longam incommitata videtur  
 Ire viam et Tyrios deserta quaerere terra.  
 Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,  
 Et solem geminum et duplicis se ostendere Thebas; 470  
 Aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes  
 Armata facibus matrem et serpentibus atris  
 Cum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.

Ergo ubi concepit furias evicta dolore  
 Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque 475  
 Exigit, et, maestam dictis adgressa sororem,  
 Consilium voltu tegit, ac spem fronte serenat:  
 Inveni, germana, viam — gratare sorori —  
 Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.  
 Oceani finem iuxta solemque cadentem 480  
 Ultimus Aethiopum locus est, ubi maxumus Atlans  
 Axem umero torquet stellis ardentibus aptum:  
 Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,  
 Hesperidum templi custos, epulasque draconi  
 Quae dabat et sacros servabat in arbore ramos, 485  
 Spargens umida mella soporiferumque papaver.  
 Haec se carminibus promittit solvere mentes,  
 Quas velit, ast aliis duras inmittere curas;  
 Sistere aquam fluviiis, et vertere sidera retro;

Nocturnosque movet Manis; mugire videbis 490  
 Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.  
 Testor, cara, deos et te, germana, tuumque  
 Dulce caput, magicas invitam accingier artis.  
 Tu secreta pyram tecto interiore sub auras  
 Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit 495  
 Impius, exuviasque omnis, lectumque iugalem,  
 Quo perii, superinponant: abolere nefandi  
 Cuncta viri monumenta iuvat, monstratque sacerdos.  
 Haec effata silet; pallor simul occupat ora.  
 Non tamen Anna novis praetexere funera sacris 500  
 Germanam credit, nec tantos mente furores  
 Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychaei.  
 Ergo iussa parat.

At regina, pyra penetrali in sede sub auras  
 Erecta ingenti taedis adque ilice secta, 505  
 Intenditque locum sertis et fronde coronat  
 Funerea; super exuvias ensemque relictum  
 Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.  
 Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos  
 Ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque 510  
 Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.  
 Sparserat et latices simulatos fontis Averni,  
 Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aenis  
 Pubentes herbae nigri cum lacte veneni;  
 Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus 515  
 Et matri praereptus amor.  
 Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,  
 Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,  
 Testatur moritura deos et conscia fati  
 Sidera; tum, siquod non aequo foedere amantis 520  
 Curae numen habet iustumque memorque, precatur.

Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem  
 Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant  
 Aequora, cum medio volvuntur sidera lapsu,  
 Cum tacet omnis ager, pecudes pictaeque volucres, 525

Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis  
 Rura tenent, somno positae sub nocte silenti.  
 [Lenibant curas, et corda oblita laborum.]  
 At non infelix animi Phoenissa, nec umquam  
 Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem 530  
 Accipit: ingeminant curae, rursusque resurgens  
 Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.  
 Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:  
 En, quid ago? rursusne procos inrisa priores  
 Experiar, Nomadumque petam conubia supplex, 535  
 Quos ego sim totiens iam dedignata maritos?  
 Iliacas igitur classis adque ultima Teucrum  
 Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,  
 Et bene apud memores veteris stat gratia facti?  
 Quis me autem, fac velle, sinet, ratibusve superbis 540  
 Invisam accipiet? nescis heu, perditam, necdum  
 Laomedontaeae sentis periuria gentis?  
 Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?  
 An Tyriis omnique manu stipata meorum  
 Inferar, et, quos Sidonia vix urbe revelli, 545  
 Rursus agam pelago, et ventis dare vela iubebo?  
 Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.  
 Tu lacrimis evicta meis, tu prima furem  
 His, germana, malis oneras adque obicis hosti.  
 Non licuit thalami expertem sine crimine vitam 550  
 Degere, more ferae, talis nec tangere curas!  
 Non servata fides, cineri promissa Sychaeo!  
 Tantos illa suo rumpebat pectore questus.

Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,  
 Carpebat somnos, rebus iam rite paratis. 555  
 Huic se forma dei vultu redeuntis eodem  
 Obtulit in somnis, rursusque ita visa monerest,  
 Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque  
 Et crinis flavos et membra decora iuventa:  
 Nate dea, potes hoc sub cassu ducere somnos, 560  
 Nec, quae te circum stent deinde pericula, cernis?  
 Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?



Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,  
 Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.  
 Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas? 565  
 Iam mare turbari trabibus, saevasque videbis  
 Conlucere faces, iam fervere litora flammis,  
 Si te his attigerit terris Aurora morantem.  
 Heia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper  
 Femina. Sic fatus nocti se immiscuit atrae. 570

Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris,  
 Corripit e somno corpus sociosque fatigat:  
 Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;  
 Solvite vela citi. Deus, aethere missus ab alto  
 Festinare fugam tortosque incidere funis 575  
 Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,  
 Quisquis es, inperioque iterum paremus ovantes.  
 Adsis o placidusque iuves, et sidera caelo  
 Dextra feras. Dixit, vaginaque eripit ensem  
 Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro. 580  
 Idem omnis simul ardor habet, rapiuntque ruuntque;  
 Litora deseruere; latet sub classibus aequor;  
 Adnixa torquent spumas et caerula verrunt.

Et iam prima novo spargebat lumine terras  
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile. 585  
 Regina e speculis ut primum albescere lucem  
 Vidit et aequatis classem procedere velis,  
 Litoraue et vacuos sensit sine remige portus,  
 Terque quaterque manu pectus percussa decorum  
 Flaventisque abscissa comas, Pro Iuppiter! ibit 590  
 Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis?  
 Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,  
 Deripientque rates alii navalibus? Ite,  
 Ferte citi flammis, date tela, inpellite remos! —  
 Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania  
 mutat? 595

Infelix Dido! nunc te facta impia tangunt?  
 Tum decuit, cum sceptras dabas. — En dextra fidesque,

Quem secum patrios aiunt portare Penatis,  
 Quem subiisse umeris confectum aetate parentem ! —  
 Non potui abreptum divellere corpus et undis 600  
 Spargere ? non socios, non ipsum absumere ferro  
 Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis ? —  
 Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset;  
 Quem metui moritura ? Faces in castra tulissem,  
 Inplessemque foros flammis, natumque patremque 605  
 Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —  
 Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,  
 Tuque harum interpret curarum et conscia Iuno,  
 Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,  
 Et Dirae ultrices, et di morientis Elissae, 610  
 Accipite haec, meritumque malis advertite numen,  
 Et nostras audite preces. Si tangere portus  
 Infandum caput ac terris adnare necessest,  
 Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret :  
 At bello audacis populi vexatus et armis, 615  
 Finibus extorris, complexu avolsus Iuli,  
 Auxilium inploret, videatque indigna suorum  
 Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae  
 Tradiderit, regno aut optata luce fruatur ;  
 Sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena. 620  
 Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine  
 fundo.

Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum  
 Exercete odiis, cinerique haec mittite nostro  
 Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunt.  
 Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, 625  
 Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,  
 Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.  
 Litora litoribus contraria, fluctibus undas  
 Inprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.

Haec ait, et partis animum versabat in omnis, 630  
 Invisam quaerens quam primum abrumper lucem.  
 Tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei;  
 Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:

Annam cara mihi nutrix huc siste sororem ;  
 Dic corpus properet fluviali spargere lympa, 635  
 Et pecudes secum et monstrata piacula ducat ;  
 Sic veniat ; tuque ipsa pia tege tempora vitta.  
 Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,  
 Perficerest animus, finemque inponere curis,  
 Dardaniique rogam capitis permittere flammae. 640  
 Sic ait. Illa gradum studio celerabat anilem.  
 At trepida, et coeptis inmanibus effera Dido,  
 Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis  
 Interfusa genas, et pallida morte futura,  
 Interiora domus inrumpit limina, et altos 645  
 Conscondit furibunda rogos, enseque recludit  
 Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.  
 Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile  
 Conspexit, paulum lacrimis et mente morata,  
 Incubuitque toro, dixitque novissima verba : 650  
 Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,  
 Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.  
 Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi ;  
 Et nunc magna mei sub terras ibit imago.  
 Urbem praeclaram statui ; mea moenia vidi ; 655  
 Ulta virum, poenas inimico a fratre recepi ;  
 Felix, heu nimium felix, si litora tantum  
 Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae !  
 Dixit, et, os inpressa toro, Moriemur inultae,  
 Sed moriamur, ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras. 660  
 Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto  
 Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.  
 Dixerat, adque illam media inter talia ferro  
 Conlapsam aspiciunt comites, enseque cruore  
 Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta 665  
 Atria ; concussam bacchatur fama per urbem.  
 Lamentis gemituque et femineo ululatu  
 Tecta fremunt ; resonat magnis plangoribus aether :  
 Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis  
 Karthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes 670  
 Culmina perque hominum volvantur perque deorum.

Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,  
 Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis,  
 Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:  
 Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas? 675  
 Hoc rogos iste mihi, hoc ignes araeque parabant?  
 Quid primum deserta querar? comitemne sororem  
 Sprevisi moriens? Eadem me ad fata vocasses;  
 Idem ambas ferro dolor, adque eadem hora tulisset.  
 His etiam struxi manibus, patriosque vocavi 680  
 Voce deos, sic te ut posita crudelis abessem?  
 Exstincti te meque, soror, populumque patresque  
 Sidonios urbemque tuam. Date, volnera lymphis  
 Abluam, et, extremus siquis super halitus errat,  
 Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos, 685  
 Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat  
 Cum gemitu, adque atros siccabat veste cruores.  
 Illa, gravis oculos conata attollere, rursus  
 Deficit; infixum stridit sub pectore vulnus.  
 Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit; 690  
 Ter revoluta torost, oculisque errantibus alto  
 Quaesivit caelo lucem, ingemuitque reperta.

Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem  
 Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,  
 Quae luctantem animam nexosque resolveret artus. 695  
 Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,  
 Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,  
 Nondum illi flavom Proserpina vertice crinem  
 Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.  
 Ergo Iris croceis per caelum roscida pinnis, 700  
 Mille trahens varios adverso sole colores,  
 Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti  
 Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.  
 Sic ait, et dextra crinem secatur: omnis et una  
 Dilapsus calor, adque in ventos vita recessit. 705

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER QUINTUS.

---

**I**nterea medium Aeneas iam classe tenebat  
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,  
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae  
Conlucent flammis. Quae tantum accenderit ignem,  
Caussa latet; duri magno sed amore dolores 5  
Polluto, notumque, furens quid femina possit,  
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.  
Ut pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla  
Occurrit tellus, maria undique et undique caelum:  
Olli caeruleus supra caput adstitit imber, 10  
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.  
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:  
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?  
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus  
Colligere arma iubet validisque incumbere remis, 15  
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:  
Magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor  
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere caelo.  
Mutati transversa fremunt et vespere ab atro  
Consurgunt venti, adque in nubem cogitur aer. 20  
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum  
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,

Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe  
 Fida reor fraterna Erycis portusque Sicanos,  
 Si modo rite memor servata remetior astra. 25  
 Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos  
 Iandudum et frustra cerno te tendere contra.  
 Flecte viam velis. An sit mihi gravior ulla,  
 Quove magis fessas optem demittere navis,  
 Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten, 30  
 Et patris Anchisae gremio conplectitur ossa?  
 Haec ubi dicta, petunt portus, et vela secundi  
 Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis,  
 Et tandem laeti notae advertuntur harenae.

At procul ex celso miratus vertice montis 35  
 Adventum sociasque rates occurrit Acestes,  
 Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae,  
 Troia Crimiso conceptum flumine mater  
 Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum  
 Gratatur reduces et gaza laetus agresti 40  
 Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

Postera cum primo stellas Oriente fugarat  
 Clara dies, socios in coetum litore ab omni  
 Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:  
 Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom, 45  
 Annuus exactis completur mensibus orbis,  
 Ex quo reliquias divinique ossa parentis  
 Condidimus terra maestasque sacravimus aras.  
 Iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,  
 Semper honoratum — sic di voluistis — habebo. 50  
 Hunc ego, Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,  
 Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae,  
 Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas  
 Exsequerer, strueremque suis altaria donis.  
 Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis, 55  
 Haud equidem sine mente reor, sine numine divom,  
 Adsumus, et portus delati intramus amicos.  
 Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem;

Poscamus ventos, adque haec me sacra quot annis  
 Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis. 60  
 Bina bovom vobis Troia generatus Acestes  
 Dat numero capita in navis; adhibete Penatis  
 Et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.  
 Praeterea, si nona diem mortalibus alnum  
 Aurora extulerit radiisque retexerit orbem, 65  
 Prima citae Teucris ponam certamina classis;  
 Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax  
 Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis,  
 Seu crudo fidit pugnam committere caestu,  
 Cuncti adsint, meritaque expectent praemia pal-  
 mae. 70  
 Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.

Sic fatus velat materna tempora myrto.  
 Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,  
 Hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.  
 Ille e concilio multis cum milibus ibat 75  
 Ad tumulum, magna medius comitante caterva.  
 Hic duo rite mero libans carchesia Baccho  
 Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,  
 Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:  
 Salve, sancte parens, iterum; salvete, recepti 80  
 Nequiquam cineres, animaeque umbraeque paternae.  
 Non licuit finis Italos fataliaque arva,  
 Nec tecum Ausonium, quicumquest, quaerere Thy-  
 brim.  
 Dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis  
 Septem ingens gyros, septena volumina traxit, 85  
 Amplexus placide tumulum lapsusque per aras,  
 Caeruleae cui terga notae maculosus et auro  
 Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus  
 Mille iacit varios adverso sole colores.  
 Opstipuit visu Aeneas. Ille agmine longo 90  
 Tandem inter pateras et levia pocula serpens  
 Libavitque dapes, rursusque innoxius imo  
 Successit tumulo, et depasta altaria liquit.

Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,  
 Incertus, Geniumne loci famulumne parentis 95  
 Esse putet; caedit binas de more bidentis,  
 Totque sues, totidem nigrantis terga iuencos;  
 Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat  
 Anchisae magni Manisque Acheronte remissos.  
 Nec non et socii, quae cuiquest copia, laeti 100  
 Dona ferunt, onerant aras, mactantque iuencos;  
 Ordine aena locant alii, fusique per herbam  
 Subiciunt veribus prunas et viscera torrent.

Exspectata dies aderat nonamque serena  
 Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant, 105  
 Famaque finitimos et clari nomen Acestae  
 Excierat; laeto conplerant litora coetu,  
 Visuri Aeneadas, pars et certare parati.  
 Munera principio ante oculos circoque locantur  
 In medio, sacri tripodes viridesque coronae 110  
 Et palmae pretium victoribus, armaque et ostro  
 Perfusae vestes, argenti aurique talentum;  
 Et tuba commissos medio canit aggere ludos.  
 Prima pares ineunt gravibus certamina remis  
 Quattuor ex omni delectae classe carinae. 115  
 Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim,  
 Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi,  
 Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,  
 Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu  
 Inpellunt, terno consurgunt ordine remi; 120  
 Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,  
 Centauro invehitur magna, Scyllaque Cloanthus  
 Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.

Est procul in pelago saxum spumantia contra  
 Litora, quod tumidis submersum tunditur olim 125  
 Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;  
 Tranquillo silet, inmotaque attollitur unda  
 Campus et apricis statio gratissima mergis.  
 Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam



- Constituit signum nautis pater, unde reverti 130  
 Scirent et longos ubi circumflectere cursus.  
 Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro  
 Ductores longe effulgent ostroque decori;  
 Cetera populea velatur fronde iuventus  
 Nudatosque umeros oleo perfusa nitescit. 135  
 Considunt transtris, intentaque brachia remis;  
 Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit  
 Corda pavor pulsans laudumque arrecta cupido.  
 Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,  
 Haud mora, prosiluire suis; ferit aethera clamor 140  
 Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.  
 Infundunt pariter sulcos, totumque dehiscit  
 Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.  
 Non tam praecipites biûgo certamine campum  
 Corripuere ruuntque effusi carcere currus, 145  
 Nec sic inmissis aurigae undantia lora  
 Concussere iugis pronique in verbera pendent.  
 Tum plausu fremituque virum studiisque faventum  
 Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant  
 Litora, pulsati colles clamore resultant. 150  
 Effugit ante alios primisque elabitur undis  
 Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloan-  
 thus  
 Consequitur, melior remis, sed pondere pinus  
 Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis  
 Centaurusque locum tendunt superare priorem; 155  
 Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens  
 Centaurus, nunc una ambae iunctisque feruntur  
 Frontibus et longa sulcant vada salsa carina.  
 Iamque propinquabant scopulo metamque tenebant,  
 Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor 160  
 Rectorem navis compellat voce Menoeten:  
 Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;  
 Litus ama, et laevas stringat sine palmula cautes;  
 Altum alii teneant. Dixit; sed caeca Menoetes  
 Saxa timens proram pelagi detorquet ad undas. 165  
 Quo diversus abis? iterum, Pete saxa, Menoete!

Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum  
 Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.  
 Ille inter navemque Gyac scopulosque sonantis  
 Radit iter laevom interior, subitoque priorem 170  
 Praeterit et metis tenet aequora tuta relictis.  
 Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens,  
 Nec lacrimis caruere genae, segnemque Menoeten,  
 Oblitus decorisque sui sociumque salutis,  
 In mare praecipitem puppi deturbat ab alta; 175  
 Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,  
 Hortaturque viros, clavomque ad litora torquet.  
 At gravis, ut fundo vix tandem redditus imost,  
 Iam senior madidaque fluens in veste, Menoetes  
 Summa petit scopuli siccaque in rupe resedit. 180  
 Illum et labentem Teucri et risere natantem,  
 Et salsos rident revomentem pectore fluctus.  
 Hic laeta extremis spes est accensa duobus,  
 Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.  
 Sergestus capit ante locum scopuloque propinquat, 185  
 Nec tota tamen ille prior praeceunte carina;  
 Parte prior; partem rostro premit aemula Pristis.  
 At media socios incedens nave per ipsos  
 Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,  
 Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema 190  
 Delegi comites; nunc illas promite viris,  
 Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi  
 Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.  
 Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;  
 Quamquam o! — Sed superent, quibus hoc, Neptune,  
 dedisti; 195  
 Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,  
 Et prohibete nefas. Olli certamine summo  
 Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis,  
 Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus  
 Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis. 200  
 Attulit ipse viris optatum cassus honorem.  
 Namque furens animi dum proram ad saxa suburguet  
 Interior spatioque subit Sergestus iniquo,

Infelix saxis in procurrentibus haesit.  
 Concussae cautes, et acuto in murice remi 205  
 Obnixa crepuere, inlisaque prora pependit.  
 Consurgunt nautae et magno clamore morantur,  
 Ferratasque trudes et acuta cuspide contos  
 Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.  
 At laetus Mnestheus successuque acrior ipso 210  
 Agmine remorum celeri ventisque vocatis  
 Prona petit maria et pelago decurrit aperto.  
 Qualis spelunca subito commota columba,  
 Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,  
 Fertur in arva volans, plausumque exterrita pinnis 215  
 Dat tecto ingentem, mox aere lapsa quieto  
 Radit iter liquidum, celeris neque commovet alas:  
 Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secatur ultima Pristis  
 Aequora, sic illam fert impetus ipse volentem.  
 Et primum in scopulo luctantem deserit alto 220  
 Sergestum brevibusque vadis frustra vocantem  
 Auxilia et fractis discentem currere remis.  
 Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram  
 Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistrost.  
 Solus iamque ipso superest in fine Cloanthus: 225  
 Quem petit, et summis admixus viribus urguet.  
 Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem  
 Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.  
 Hi proprium decus et partum indignantur honorem  
 Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci; 230  
 Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.  
 Et fors aequatis cepissent praemia rostris,  
 Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus  
 Fudissetque preces, divosque in vota vocasset:  
 Di, quibus imperium pelagist, quorum aequora  
 curro, 235  
 Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum  
 Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos  
 Porriciam in fluctus et vina liquentia fundam.  
 Dixit, eumque imis sub fluctibus audit omnis  
 Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo, 240

Et pater ipse manu magna Portunus euntem  
 Impulit: illa Noto citius volucrique sagitta  
 Ad terram fugit, et portu se condidit alto.  
 Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,  
 Victorem magna praeconis voce Cloanthum 245  
 Declarat, viridique advelat tempora lauro;  
 Muneraque in navis ternos optare iuencos  
 Vinaque et argenti magnum dat ferre talentum.  
 Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:  
 Victori chlamydem auratam, quam plurima circum 250  
 Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit,  
 Intextusque puer frondosa regius Ida  
 Velocis iaculo cervos cursuque fatigat,  
 Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida  
 Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis; 255  
 Longaevi palmas nequiquam ad sidera tendunt  
 Custodes, saevitque canum latratus in auras.  
 At qui deinde locum tenuit virtute secundum,  
 Levibus huic hamis consertam auroque trilicem  
 Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse 260  
 Victor apud rapidum Simoenta sub Illo alto,  
 Donat habere viro, decus et tutamen in armis.  
 Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant.  
 Multiplicem, conixi umeris; indutus at olim  
 Demoleos cursu palantis Troas agebat. 265  
 Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,  
 Cymbiaque argento perfecta adque aspera signis.  
 Iamque adeo donati omnes opibusque superbi  
 Puniceis ibant evincti tempora taeniis,  
 Cum saevo e scopulo multa vix arte revolsus, 270  
 Amissis remis adque ordine debilis uno,  
 Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.  
 Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,  
 Aerea quem oblicum rota transiit, aut gravis ictu  
 Seminecem liquit saxo lacerumque viator; 275  
 Nequiquam longos fugiens dat corpore tortus,  
 Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla  
 Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat

Nixantem nodis seque in sua membra plicantem.  
 Tali remigio navis se tarda movebat; 280  
 Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.  
 Sergestum Aeneas promisso munere donat,  
 Servatam ob navem laetus sociosque reductos.  
 Olli serva datur, operum haud ignara Minervae,  
 Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati. 285

Hoc pius Aeneas misso certamine tendit  
 Gramineum in campum, quem collibus undique curvis  
 Cingebant silvae, mediaque in valle theatri  
 Circus erat; quo se multis cum milibus heros  
 Consessu medium tulit exstructoque resedit. 290  
 Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,  
 Invitat pretiis animos, et praemia ponit.  
 Undique conveniunt Teucri mixtique Sicani,  
 Nisus et Euryalus primi,  
 Euryalus forma insignis viridique iuventa, 295  
 Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus  
 Regius egregia Priami de stirpe Diore;  
 Hunc Salius simul et Patron, quorum alter Acarnan,  
 Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;  
 Tum duo Trinacrii juvenes, Helymus Panopesque, 300  
 Adsueti silvis, comites senioris Acestae;  
 Multi praeterea, quos fama obscura recondit.  
 Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:  
 Accipite haec animis, laetasque advertite mentes.  
 Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit. 305  
 Gnosia bina dabo levato lucida ferro  
 Spicula caelatamque argento ferre bipinnem;  
 Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi  
 Accipient, flavaque caput nectentur oliva.  
 Primus ecum phaleris insignem victor habeto; 310  
 Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis  
 Threiciis, lato quam circumplectitur auro  
 Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;  
 Tertius Argolica hac galea contentus abito.  
 Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente 315

Corripiunt spatia audito, limenque relinquant,  
 Effusi nimbo similes; simul ultima signant.  
 Primus abijt longeque ante omnia corpora Nisus  
 Emicat, et ventis et fulminis ocior alis;  
 Proximus huic, longo sed proximus intervallo, 320  
 Insequitur Salius; spatio post deinde relicto  
 Tertius Euryalus;  
 Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso  
 Ecce volat calcemque terit iam calce Dioreas,  
 Incumbens umero; spatia et si plura supersint, 325  
 Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.  
 Iamque fere spatio extremo fessique sub ipsam  
 Finem adventabant, levi cum sanguine Nisus  
 Labitur infelix, caesis ut forte iuvenis  
 Fusus humum viridisque super madefecerat herbas. 330  
 Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso  
 Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso  
 Concidit inmundoque fimo sacroque cruore.  
 Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum;  
 Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens; 335  
 Ille autem spissa iacuit revolutus harena.  
 Emicat Euryalus, et munere victor amici  
 Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.  
 Post Helymus subit, et nunc tertia palma Dioreas.  
 Hic totum caveae consessum ingentis et ora 340  
 Prima patrum magnis Salius clamoribus inplet,  
 Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.  
 Tutatur favor Euryalum, lacrimaeque decorae,  
 Gravior et pulchro veniens in corpore virtus.  
 Adiuvat et magna proclamat voce Dioreas, 345  
 Qui subiit palmae, frustra ad praemia venit  
 Ultima, si primi Salio reddantur honores.  
 Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis  
 Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo;  
 Me liceat cassus miserari insontis amici. 350  
 Sic fatus tergum Gaetuli inmane leonis  
 Dat Salio, villis onerosum adque unguibus aureis.  
 Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt praemia victis,

Et te lapsorum miseret, quae munera Niso  
 Digna dabis? primam merui qui laude coronam, 355  
 Ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset.  
 Et simul his dictis faciem ostentabat et udo  
 Turpia membra fimo. Risit pater optumus olli,  
 Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artis,  
 Neptuni sacro Danaïs de poste refixum. 360  
 Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.

Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:  
 Nunc, sicui virtus animusque in pectore praesens,  
 Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.  
 Sic ait et geminum pugnae proponit honorem, 365  
 Victori velatum auro vittisque iuvenum,  
 Ensem adque insignem galeam solacia victo.  
 Nec mora; continuo vastis cum viribus effert  
 Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit;  
 Solus qui Paridem solitus contendere contra, 370  
 Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat Hector,  
 Victorem Buten inmani corpore, qui se  
 Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,  
 Perculit et fulva moribundum extendit harena.  
 Talis prima Dares caput altum in proelia tollit, 375  
 Ostenditque umeros latos, alternaque iactat  
 Brachia protendens, et verberat ictibus auras.  
 Quaeritur huic alius; nec quisquam ex agmine tanto  
 Audet adire virum manibusque inducere caestus.  
 Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma, 380  
 Aeneae stetit ante pedes, nec plura moratus  
 Tum laeva taurum cornu tenet, adque ita fatur:  
 Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,  
 Quae finis standi? quo me decet usque teneri?  
 Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant 385  
 Dardanidae, reddique viro promissa iuebant.  
 Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,  
 Proxumus ut viridante toro consederat herbae:  
 Entelle, heroum quondam fortissime frustra,  
 Tantane tam patiens nullo certamine tolli 390

Dona sines? ubi nunc nobis deus ille magister,  
 Nequiquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem  
 Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?  
 Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessit  
 Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta 395  
 Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.  
 Si mihi, quae quondam fuerat, quaque inprobus iste  
 Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas,  
 Haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco  
 Venissem, nec dona moror. Sic deinde locutus 400  
 In medium geminos inmani pondere caestus  
 Proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus  
 Ferre manum duroque intendere brachia tergo.  
 Opstipuerunt animi: tantorum ingentia septem  
 Terga bovum plumbo insuto ferroque rigeant. 405  
 Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recussat;  
 Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa  
 Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.  
 Tum senior talis referebat pectore voces:  
 Quid, si quis caestus ipsius et Herculis arma 410  
 Vidisset tristemque hoc ipso in litore pugnam?  
 Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat; —  
 Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro; —  
 His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,  
 Dum melior viris sanguis dabat, aemula necdum 415  
 Temporibus geminis canebar sparsa senectus.  
 Sed si nostra Dares haec Troius arma recussat,  
 Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes,  
 Aequemus pugnās. Erycis tibi terga remitto;  
 Solve metus; et tu Troianos exue caestus. 420  
 Haec fatus duplicem ex umeris reiecit amictum,  
 Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque  
 Exiit, adque ingens media consistit harena.  
 Tum satus Anchisa caestus pater extulit aequos,  
 Et paribus palmas amborum innexuit armis. 425  
 Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,  
 Brachiaque ad superas interritus extulit auras.  
 Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,



Inmiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.  
 Ille pedum melior motu, fretusque iuventa, 430  
 Hic membris et mole valens; sed tarda trementi  
 Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.  
 Multa viri nequiquam inter se volnera iactant,  
 Multa cavo lateri ingeminant et pectore vastos  
 Dant sonitus, erratque auris et tempora circum 435  
 Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malae.  
 Stat gravis Entellus nisuque inmotus eodem,  
 Corpore tela modo adque oculis vigilantibus exit.  
 Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,  
 Aut montana sedet circum castella sub armis, 440  
 Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat  
 Arte locum, et variis adsultibus inritus urguet.  
 Ostendit dextram insurgens Entellus et alte  
 Extulit: ille ictum venientem a vertice velox  
 Praevидit; celerique elapsus corpore cessit; 445  
 Entellus viris in ventum effudit, et ultro  
 Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto  
 Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,  
 Aut Ida in magna, radicibus eruta pinus.  
 Consurgunt studiis Teucris et Trinacria pubes; 450  
 It clamor caelo, primusque accurrit Acestes,  
 Aequaevoque ab humo miserans attollit amicum.  
 At non tardatus cassu neque territus heros  
 Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitāt ira.  
 Tum pudor incendit viris et conscia virtus, 455  
 Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,  
 Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra;  
 Nec mora, nec requies: quam multa grandine nimbi  
 Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros  
 Creber utraque manu pulsāt versatque Dareta. 460  
 Tum pater Aeneas procedere longius iras  
 Et saevire animis Entellum haud passus acerbis;  
 Sed finem inposuit pugnae, fessumque Dareta  
 Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:  
 Infelix, quae tanta animum dementia cepit? 465  
 Non viris alias conversaеque numina sentis?

Cede deo. Dixitque et proelia voce diremit.  
 Ast illum fidi aequales, genua aegra trahentem,  
 Iactantemque utroque caput, crassumque cruorem  
 Ore eiectantem mixtosque in sanguine dentes, 470  
 Ducunt ad navis; galeamque ensemque vocati  
 Accipiunt; palmam Entello taurumque relinunt.  
 Hic victor, superans animis tauroque superbus:  
 Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucris,  
 Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires, 475  
 Et qua servetis revocatum a morte Daretæ.  
 Dixit, et adversi contra stetit ora iuveni,  
 Qui donum adstabat pugnae, duosque reducta  
 Libravit dextra media inter cornua caestus,  
 Arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro. 480  
 Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.  
 Ille super talis effundit pectore voces:  
 Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis  
 Persolvo; hic victor caestus artemque repono.

Protinus Aeneas celeri certare sagitta 485  
 Invitat qui forte velint, et praemia ponit,  
 Ingentique manu malum de nave Seresti  
 Erigit, et volucrem traiecto in fune columbam,  
 Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.  
 Convenere viri, deiectamque aerea sortem 490  
 Accepit galea; et primus clamore secundo  
 Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;  
 Quem modo navali Mnestheus certamine victor  
 Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.  
 Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater, 495  
 Pandare, qui quondam, iussus confundere foedus,  
 In medios telum torsisti primus Achivos.  
 Extremus galeaque ima subsedit Acestes,  
 Ausus et ipse manu iuvenum temptare laborem.  
 Tum validis flexos incurvant viribus arcus 500  
 Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.  
 Primaque per caelum nervo stridente sagitta  
 Hyrtacidae juvenis volucris diverberat auras;

Et venit, adversique infigitur arbore mali.  
 Intremuit malus, timuitque exterrita pinnis 505  
 Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.  
 Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,  
 Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.  
 Ast ipsam miserandus avem contingere ferro  
 Non valuit; nodos et vincula linea rupit, 510  
 Quis innexa pedem malo pendebat ab alto;  
 Illa notos adque atra volans in nubila fugit.  
 Tum rapidus, iandudum arcu contenta parato  
 Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,  
 Iam vacuo laetam caelo speculatus, et alis 515  
 Plaudentem nigra figit sub nube columbam.  
 Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris  
 Aetheriis, fixamque refert delapsa sagittam.  
 Amissa solus palma superabat Acestes;  
 Qui tamen aerias telum contendit in auras, 520  
 Ostentans artemque pater arcumque sonantem.  
 Hic oculis subitum obicitur magnoque futurum  
 Augurio monstrum; docuit post exitus ingens,  
 Seraque terrifici cecinerunt omina vates.  
 Namque volans liquidis in nubibus arsit harundo, 525  
 Signavitque viam flammis, tenuisque recessit  
 Consumpta in ventos: caelo ceu saepe refixa  
 Transcurren crinemque volantia sidera ducunt.  
 Attonitis haesere animis, Superosque precati  
 Trinacrii Teucrique viri; nec maxumus omen 530  
 Abnuat Aeneas; sed laetum amplexus Acesten  
 Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:  
 Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi  
 Talibus auspiciis exsortem ducere honorem.  
 Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis, 535  
 Cratera inpressum signis, quem Thracius olim  
 Anchisae genitori in magno munere Cisseus  
 Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.  
 Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,  
 Et primum ante omnis victorem appellat Acesten. 540  
 Nec bonus Eurytion praelato invidit honori,

Quamvis solus avem caelo deiecit ab alto.  
 Proxumus ingreditur donis, qui vincula rupit,  
 Extremus, volucris qui fixit harundine malum.

At pater Aeneas, nondum certamine misso, 545  
 Custodem ad sese comitemque inpubis Iuli  
 Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:  
 Vade age, et Ascanio, si iam puerile paratum  
 Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,  
 Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis, 550  
 Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo  
 Infusum populum, et campos iubet esse patentis.  
 Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum  
 Frenatis lucent in equis, quos omnis euntis  
 Trinacriae mirata fremit Troiaequae iuventus. 555  
 Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;  
 Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro;  
 Pars levis umero pharetras; it pectore summo  
 Flexilis obtorti per collum circulus auri.  
 Tres equitum numero turmae, ternique vagantur 560  
 Ductores; pueri bis seni quemque secuti  
 Agmine partito fulgent paribusque magistris.  
 Una acies iuvenum, ducit quam parvos ovantem  
 Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,  
 Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis 565  
 Portat ecus bicolor maculis, vestigia primi  
 Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.  
 Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,  
 Parvos Atys, pueroque puer dilectus Iulo.  
 Extremus, formaque ante omnis pulcher, Iulus 570  
 Sidonios invecus equo, quem candida Dido  
 Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.  
 Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae  
 Fertur equis.  
 Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes 575  
 Dardanidae, veterumque agnoscunt ora parentum.  
 Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum  
 Lustravere in equis, signum clamore paratis

Epytides longe dedit insonuitque flagello.  
 Olli discurrere pares, adque agmina terni 580  
 Diductis solvere choris, rursusque vocati  
 Convertere vias infestaque tela tulere.  
 Inde alios ineunt cursus aliosque recursus  
 Adversi spatiis, alternosque orbibus orbis  
 Inpediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis; 585  
 Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt  
 Infensi, facta pariter nunc pace feruntur.  
 Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta  
 Parietibus textum caecis iter, ancipitemque  
 Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi 590  
 Falleret indeprentus et inremeabilis error;  
 Haud alio Teucrum nati vestigia cursu  
 Inpediunt, texuntque fugas et proelia ludo,  
 Delphinum similes, qui per maria umida nando  
 Carpathium Libycumque secant, [luduntque per un-  
 das.] 595  
 Hunc morem cursus adque haec certamina primus  
 Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,  
 Rettulit et priscos docuit celebrare Latinos,  
 Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes;  
 Albani docuere suos; hinc maxuma porro 600  
 Accepit Roma, et patrium servavit honorem;  
 Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.  
 Hac celebrata tenus sancto certamina patri.

Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.  
 Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis, 605  
 Irim de caelo misit Saturnia Iuno  
 Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,  
 Multa movens, necdum anticum saturata dolorem.  
 Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,  
 Nulli visa cito decurrit tramite virgo. 610  
 Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,  
 Desertosque videt portus classemque relictam.  
 At procul in sola secretae Troades acta  
 Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum

Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis 615  
 Et tantum superesse maris! vox omnibus una.  
 Urbem orant; taedet pelagi perferre laborem.  
 Ergo inter medias sese haud ignara nocendi  
 Conicit, et faciemque deae vestemque reponit;  
 Fit Beroe, Tmarii coniunx longaeva Dorycli, 620  
 Cui genus et quondam nomen natiue fuissent;  
 Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:  
 O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello  
 Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens  
 Infelix, cui te exitio Fortuna reservat? 625  
 Septuma post Troiae excidium iam vertitur aestas,  
 Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa  
 Sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum  
 Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.  
 Hic Erycis fines fraterni, adque hospes Acestes: 630  
 Quis prohibet muros iacere et dare civibus urbem?  
 O patria et rapti nequiquam ex hoste Penates,  
 Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam  
 Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbò?  
 Quin agite et mecum infaustas exurite puppis. 635  
 Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago  
 Ardentis dare visa faces: Hic quaerite Troiam;  
 Hic domus est, inquit, vobis. Iam tempus agi res,  
 Nec tantis mora prodigiis. En quattuor. arae  
 Neptuno; deus ipse faces animumque ministrat. 640  
 Haec memorans prima infensum vi corripit ignem,  
 Sublataque procul dextra conixa coruscat,  
 Et iacit. Arrectae mentes stupefactaque corda  
 Iliadum. Hic una e multis, quae maxuma natu,  
 Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix: 645  
 Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,  
 Est Dorycli coniunx; divini signa decoris  
 Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,  
 Quis voltus, vocisque sonus, vel gressus eunti.  
 Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui 650  
 Aegram, indignantem, tali quod sola careret  
 Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.

Haec effata.

At matres primo ancipites oculisque malignis  
Ambiguae spectare rates miserum inter amorem 655

Praesentis terrae fatisque vocantia regna:

Cum dea se paribus per caelum sustulit alis

Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.

Tum vero attonitae monstribus actaeque furore

Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem; 660

Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque

Coniciunt. Furit inmissis Volcanus habenis

Transtra per et remos et pictas abiete puppis.

Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri

Incensas perfert navis Eumelus, et ipsi 665

Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.

Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris

Ducebat, sic acer equo turbata petivit

Castra, nec exanimes possunt retinere magistri.

Quis furor iste novos? quo nunc, quo tenditis, in-  
quit, 670

Heu miserae cives? non hostem inimicaque castra

Argivom, vestras spes uritis. En, ego vester

Ascanius! galeam ante pedes proiecit inanem,

Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.

Adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum. 675

Ast illae diversa metu per litora passim

Diffugiunt, silvasque, et sicubi concava furtim

Saxa, petunt; piget incepti lucisque, suosque

Mutatae adgnoscent, excussa pectore Iunost.

Sed non idcirco flammae adque incendia viris 680

Indomitas posuere; udo sub robore vivit

Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas

Est vapor, et toto descendit corpore pestis,

Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.

Tum pius Aeneas umeris abscindere vestem, 685

Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:

Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum

Troianos, siquid pietas antiqua laboris

Respicit humanos, da flammam evadere classi

Nunc, Pater, et tenuis Teucrum res eripe leto. 690  
 Vel tu, quod superest, infesto fulmine Morti,  
 Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.  
 Vix haec ediderat, cum effusis imbribus atra  
 Tempestas sine more furit, tonitruque tremescunt  
 Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto 695  
 Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;  
 Implenturque super puppes; semiusta madescent  
 Robora; restinctus donec vapor omnis, et omnes,  
 Quattuor amissis, servatae a peste carinae.

At pater Aeneas, cassu concussus acerbo, 700  
 Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas  
 Mutabat versans, Siculisne resideret arvis,  
 Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.  
 Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas  
 Quem docuit multaque insignem reddidit arte, 705  
 Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira  
 Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo;  
 Isque his Aenean solatus vocibus infit:  
 Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur;  
 Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendost. 710  
 Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:  
 Hunc cape consiliis socium et coniunge volentem;  
 Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos  
 Pertaesum magni incepti rerumque tuarumst;  
 Longaevosque senes ac fessas aequore matres, 715  
 Et quidquid tecum invalidum metuensque periclist,  
 Delige, et his habeant terris sine moenia fessi;  
 Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Talibus incensus dictis senioris amici,  
 Tum vero in curas animum diducitur omnis. 720  
 Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat:  
 Visa dehinc caelo facies delapsa parentis  
 Anchisae subito talis effundere voces:  
 Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,  
 Care magis, nate, Iliacis exercite fatis, 725



Inperio Iovis huc venio, qui classibus ignem  
 Depulit, et caelo tandem miseratus ab altost.  
 Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Nautes  
 Dat senior; lectos iuvenes, fortissima corda,  
 Defer in Italiam. Gens dura adque aspera cultu 730  
 Debellanda tibi Latiost. Ditis tamen ante  
 Infernas accede domos, et Aversa per alta  
 Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque  
 Tartara habent tristesve umbrae, sed amoena piorum  
 Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla 735  
 Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.  
 Tum genus omne tuum, et quae dentur moenia, disces.  
 Iamque vale; torquet medios Nox umida cursus,  
 Et me saevos equis Oriens adflavit anhelis.  
 Dixerat, et tenuis fugit, ceu fumus, in auras. 740  
 Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,  
 Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?  
 Haec memorans cinerem et sopitos suscitât ignis,  
 Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae  
 Farre pio et plena supplex veneratur acerra. 745

Extemplo socios primumque arcessit Acesten,  
 Et Iovis inperium et cari praecepta parentis  
 Edocet, et quae nunc animo sententia constet.  
 Haud mora consiliis, nec iussa recussat Acestes.  
 Transcribunt urbi matres, populumque volentem 750  
 Deponunt, animos nil magnae laudis egentis.  
 Ipsi transtra novant, flammisque ambessa reponunt  
 Robora navigiis, aptant remosque rudentisque,  
 Exigui numero, sed bello vivida virtus.  
 Interea Aeneas urbem designat aratro 755  
 Sortiturque domos; hoc Ilium et haec loca Troiam  
 Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes,  
 Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.  
 Tum vicina astris Erycino in vertice sedes  
 Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos 760  
 Ac lucus late sacer additur Anchiseo.  
 Iamque dies epulata novem gens omnis, et aris

Factus honos : placidi straverunt aequora venti,  
 Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.  
 Exoritur procurva ingens per litora fletus ; 765  
 Complexi inter se noctemque diemque morantur.  
 Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam  
 Visa maris facies et non tolerabile numen,  
 Ire volunt, omnemque fugae perferre laborem.  
 Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis, 770  
 Et consanguineo lacrimans commendat Acestae.  
 Tris Eryci vitulos et Tempestatibus agnam  
 Caedere deinde iubet, solvique ex ordine funem.  
 Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,  
 Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos 775  
 Porricit in fluctus ac vina liquentia fundit.  
 Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.  
 Certatim socii feriunt mare et aequora verrunt.

At Venus interea Neptunum exercita curis  
 Adloquitur, talisque effundit pectore questus : 780  
 Iunonis gravis ira nec exsaturabile pectus  
 Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis ;  
 Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,  
 Nec Iovis imperio fatisque infracta quiescit.  
 Non media de gente Phrygum exedissee nefandis 785  
 Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem :  
 Reliquias Troiae, cineres adque ossa peremptae  
 Insequitur. Causas tanti sciat illa furoris.  
 Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,  
 Quam molem subito excierit : maria omnia caelo 790  
 Miscuit, Aeoliis nequiquam freta procellis,  
 In regnis hoc ausa tuis.  
 Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis  
 Exussit foede puppis, et classe subegit  
 Amissa socios ignotae linquere terrae. 795  
 Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas  
 Vela tibi, liceat Laurentem attingere Thybrim,  
 Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.  
 Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti :

Fas omnest, Cytherea, meis te fidere regnis, 800  
 Unde genus ducis. Merui quoque; saepe furores  
 Compressi et rabiem tantam caelique marisque.  
 Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,  
 Aeneae mihi cura tui. Cum Troia Achilles  
 Exanimata sequens inpingeret agmina muris, 805  
 Milia multa daret leto, gementque repleti  
 Amnes, nec reperire viam adque evolvere posset  
 In mare se Xanthus, Pelidae tunc ego forti  
 Congressum Aenean nec dis nec viribus aequis  
 Nube cava rapui, cuperem cum vertere ab imo 810  
 Structa meis manibus periurae moenia Troiae.  
 Nunc quoque mens eadem perstat mihi; pelle timorem.  
 Tutus, quos optas, portus accedet Averni.  
 Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret;  
 Unum pro multis dabitur caput. 815  
 His ubi laeta deae permulsit pectora dictis,  
 Iungit equos auro Genitor, spumantiaque addit  
 Frena feris, manibusque omnis effundit habenas.  
 Caeruleo per summa levis volat aequora curru;  
 Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti 820  
 Sternitur aequor aquis, fugiuntque ex aethere nimbi.  
 Tum variae comitum facies, inmania cete,  
 Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,  
 Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis;  
 Laeva tenet Thetis, et Melite, Panopeaque virgo, 825  
 Nesaeae, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.

Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim  
 Gaudia pertemptant mentem; iubet ocus omnis  
 Attolli malos, intendi bracchia velis.  
 Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros, 830  
 Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent  
 Cornua detorquentque; ferunt sua flamina classem.  
 Princeps ante omnis densum Palinurus agebat  
 Agmen; ad hunc alii cursum contendere iussi.  
 Iamque fere mediam caeli Nox umida metam 835  
 Contigerat; placida laxarant membra quiete

Sub remis fusi per dura sedilia nautae:  
 Cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris  
 Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras,  
 Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans 840  
 Insonti; puppique deus consedit in alta,  
 Phorbanti similis, funditque has ore loquellas:  
 Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem;  
 Aequatae spirant aerae; datur hora quieti.  
 Pone caput, fessosque oculos furare labori. 845  
 Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.  
 Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:  
 Mene salis placidi voltum fluctusque quietos  
 Ignorare iubes? mene huic confidere monstro?  
 Aenean credam quid enim fallacibus auris, 850  
 Et caeli totiens deceptus fraude sereni?  
 Talia dicta dabat, clavomque affixus et haerens  
 Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.  
 Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem  
 Vique soporatum Stygia super utraque quassat 855  
 Tempora, cunctantique natantia lumina solvit.  
 Vix primos inopina quies laxaverat artus:  
 Et superincumbens cum puppis parte revolsa  
 Cumque gubernaculo liquidas proiecit in undas  
 Praecipitem ac socios nequiquam saepe vocantem; 860  
 Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.  
 Currit iter tutum non setius aequore classis,  
 Promissisque patris Neptuni interrita fertur.  
 Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,  
 Difficilis quondam multorumque ossibus albos, 865  
 Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:  
 Cum pater amisso fluitantem errare magistro  
 Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,  
 Multa gemens, cassuque animum concussus amici.  
 O nimium caelo et pelago confise sereno, 870  
 Nudus in ignota, Palinure, iacebis harena.

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER SEXTUS.

---

Sic fatur lacrimans, classicae inmittit habenas,  
Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.  
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci  
Ancora fundabat navis, et litora curvae  
Praetexunt puppes. Iuvenum manus emicat ardens 5  
Litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae  
Abstrusa in venis silicis, pars densa ferarum  
Tecta rapit silvas, inventaque flumina monstrat.  
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo  
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae, 10  
Antrum inmane, petit, magnam cui mentem ani-  
mumque  
Delius inspirat vates aperitque futura.  
Iam subeunt Triviae lucos adque aurea tecta.

Daedalus, ut famast, fugiens Minoia regna,  
Praepetibus pinnis ausus se credere caelo, 15  
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,  
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.  
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit  
Remigium alarum, posuitque inmania templa.  
In foribus letum Androgeo; tum pendere poenas 20

Cecropidae iussi — miserum! — septena quot annis  
 Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.  
 Contra elata mari respondet Gnosia tellus:  
 Hic crudelis amor tauri, suppositaque furto  
 Pasiphae, mixtumque genus prolesque biformis 25  
 Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;  
 Hic labor ille domus et inextricabilis error;  
 Magnum reginae sed enim miseratus amorem  
 Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,  
 Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam 30  
 Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.  
 Bis conatus erat cassus effingere in auro;  
 Bis patriae cecidere manus. Quin protinus omnia  
 Perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates  
 Adforet adque una Phoebi Triviaeque sacerdos, 35  
 Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:  
 Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit;  
 Nunc grege de intacto septem mactare iuencos  
 Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.  
 Talibus adfata Aenean — nec sacra morantur 40  
 Iussa viri — Teucros vocat alta in templa sacerdos.

Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum,  
 Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;  
 Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.  
 Ventum erat ad limen, cum virgo, Poscere fata 45  
 Tempus, ait; deus, ecce, deus! Cui talia fanti  
 Ante fores subito non voltus, non color unus,  
 Non comptae mansere comae; sed pectus anhelum,  
 Et rabie fera corda tument; maiorque videri,  
 Nec mortale sonans, adflatast numine quando 50  
 Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,  
 Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscunt  
 Attonitae magna ora domus. Et talia fata  
 Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit  
 Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo: 55  
 Phoebe, gravis Troiae semper miserate laboris,  
 Dardana qui Paridis direxti tela manusque

Corpus in Aeacidæ; magnas obeuntia terras  
 Tot maria intravi duce te penitusque repostas  
 Massylum gentis prætentæque Syrtibus arva, 60  
 Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras;  
 Hac Troiana tenus fuerit Fortuna secuta.  
 Vos quoque Pergameæ iam fas est parcere genti,  
 Dique deæque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens  
 Gloria Dardaniæ. Tuque, o sanctissima vates, 65  
 Præscia venturi, da, non indebita posco  
 Regna meis fatis, Latio considerare Teucros  
 Errantisque deos agitataque numina Troiæ.  
 Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum  
 Instituam, festosque dies de nomine Phoebi. 70  
 Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.  
 Hic ego namque tuas sortes arcanæque fata,  
 Dicta meæ genti, ponam, lectosque sacrabo,  
 Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda,  
 Ne turbata volent rapidis ludibria ventis; 75  
 Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.

At, Phoebi nondum patiens, inmanis in antro  
 Bacchatur vates, magnum si pectore possit  
 Excussisse deum; tanto magis ille fatigat  
 Os rabidum, fera corda domans, fingitque premen- 80  
 do.

Ostia iamque domus patuere ingentia centum  
 Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:  
 O tandem magnis pelagi defuncte periclis!  
 Sed terræ graviora manent. In regna Lavini 85  
 Dardanidæ venient; mitte hanc de pectore curam;  
 Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,  
 Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.  
 Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra  
 Defuerint; alius Latio iam partus Achilles, 90  
 Natus et ipse dea; nec Teucris addita Iuno  
 Usquam aberit. Cum tu supplex in rebus egenis  
 Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbes!  
 Causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris,

Externique iterum thalami.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, 95  
Quam tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,  
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.

Talibus ex adyto dictis Cymaea Sibylla  
Horrendas canit ambages antroque remugit,  
Obscuris vera involvens: ea frena furenti 100  
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.  
Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt,  
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,  
O virgo, nova mi facies inopinave surgit;  
Omnia praecepi adque animo mecum ante peregi. 105  
Unum oro: quando hic inferni ianua regis  
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso,  
Ire ad conspectum cari genitoris et ora  
Contingat; doceas iter et sacra ostia pandas.  
Illum ego per flammās et mille sequentia tela 110  
Eripui his umeris, medioque ex hoste recepi;  
Ille meum comitatus iter maria omnia mecum  
Adque omnis pelagique minas caelique ferebat,  
Invalidus, viris ultra sortemque senectae.  
Quin, ut te supplex peterem et tua limina adirem, 115  
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,  
Alma, precor, miserere; — potes namque omnia, nec te  
Nequiquam lucis Hecate praefecit Avernis; —  
Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus,  
Threicia fretus cithara fidibusque canoris, 120  
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,  
Itque reditque viam totiens. Quid Thesea magnum,  
Quid memorem Alciden? et mi genus ab Iove summo.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat,  
Cum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom, 125  
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;  
Noctes adque dies patet atri ianua Ditis;  
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,  
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aecus amavit  
Iuppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus, 130



Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae,  
 Cocytosque sinu labens circumvenit atro.  
 Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,  
 Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre  
 Tartara, et insano iuvat indulgere labori, 135  
 Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca  
 Aureus et foliis et lento vimine ramus,  
 Iunoni infernae dictus sacer; hunc tegit omnis  
 Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.  
 Sed non ante datur telluris operta subire, 140  
 Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.  
 Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus  
 Instituit. Primo avolso non deficit alter  
 Aureus, et simili frondescit virga metallo.  
 Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum 145  
 Carpe manu; namque ipse volens facilisque sequetur,  
 Si te fata vocant; aliter non viribus ullis  
 Vincere, nec duro poteris convellere ferro.  
 Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici —  
 Heu nescis — totamque incestat funere classem, 150  
 Dum consulta petis nostroque in limine pendes.  
 Sedibus hunc refer ante suis et conde sepulchro.  
 Duc nigras pecudes; ea prima piacula sunt.  
 Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis  
 Aspicias. Dixit, pressoque obmutuit ore. 155

Aeneas maesto defixus lumina voltu  
 Ingreditur, linquens antrum, caecosque volutat  
 Eventus animo secum. Cui fidus Achates  
 It comes, et paribus curis vestigia figit.  
 Multa inter sese vario sermone serebant, 160  
 Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum  
 Diceret. Adque illi Misenum in litore sicco,  
 Ut venere, vident indigna morte peremptum,  
 Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter  
 Aere ciere viros, Martemque accendere cantu. 165  
 Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum  
 Et lituo pugnans insignis obibat et hasta.

Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,  
 Dardanio Aeneae sese fortissimus heros  
 Addiderat socium, non inferiora secutus. 170  
 Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,  
 Demens, et cantu vocat in certamina divos,  
 Aemulus exceptum Triton, si credere dignumst,  
 Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.  
 Ergo omnes magno circum clamore fremebant, 175  
 Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,  
 Haud mora, festinant flentes, aramque sepulchri  
 Congerere arboribus caeloque educere certant.  
 Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum,  
 Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex, 180  
 Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur  
 Scinditur, advolvont ingentis montibus ornos.  
 Nec non Aeneas opera inter talia primus  
 Hortatur socios, paribusque accingitur armis.  
 Adque haec ipse suo tristi cum corde volutat, 185  
 Adspectans silvam immensam, et sic forte precatur:  
 Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus  
 Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere  
 Heu nimium de te vates, Misene, locutast.  
 Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae 190  
 Ipsa sub ora viri caelo venere volantes,  
 Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros  
 Maternas adgnoscit aves, laetusque precatur:  
 Este duces, o, siqua viast, cursumque per auras  
 Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat 195  
 Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,  
 Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,  
 Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.  
 Pascentes illae tantum prodire volando,  
 Quantum acie possent oculi servare sequentum. 200  
 Inde ubi venere ad fauces graveolentis Avernī,  
 Tollunt se celeres, liquidumque per aera lapsae  
 Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,  
 Discolor unde auri per ramos aura refulsit.  
 Quale solet silvis brumali frigore viscum 205

Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,  
 Et croceo fetu teretis circumdare truncos:  
 Talis erat species auri frondentis opaca  
 Illice, sic leni crepitabat bractea vento.  
 Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit 210  
 Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllae.

Nec minus interea Misenum in litore Teucri  
 Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.  
 Principio pinguem taedis et robore secto  
 Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris 215  
 Intexunt latera, et feralis ante cupressos  
 Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.  
 Pars calidos latices et aena undantia flammis  
 Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.  
 Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt, 220  
 Purpureasque super vestes, velamina nota,  
 Coniciunt. Pars ingenti subiere feretro,  
 Triste ministerium, et subiectam more parentum  
 Aversi tenuere facem. Congesta cremantur  
 Turea dona, dapes, fuso crateres olivo. 225  
 Postquam conlapsi cineres et flamma quievit,  
 Reliquias vino et bibulam lavere favillam,  
 Ossaue lecta cado texit Corynaeus aeno.  
 Idem ter socios pura circumtulit unda,  
 Spargens rore levi et ramo felicis olivae, 230  
 Lustravitque viros, dixitque novissima verba.  
 At pius Aeneas ingenti mole sepulchrum  
 Inponit, suaque arma viro remumque tubamque,  
 Monte sub aereo, qui nunc Misenus ab illo  
 Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen. 235

His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.  
 Spelunca alta fuit vastoque inmanis hiatu,  
 Scrupea, tuta lacu nigro-nemorumque tenebris,  
 Quam super haud ullae poterant inpune volantes  
 Tendere iter pinnis: talis sese halitus atris 240  
 Faucibus effundens supera ad convexa ferebat:  
 [Unde locum Grai dixerunt nomine Aornon.]

Quattuor hic primum nigrantis terga iuvenco  
 Constituit frontique invergit vina sacerdos,  
 Et summas carpens media inter cornua saetas 245  
 Ignibus inponit sacris, libamina prima,  
 Voce vocans Hecaten, Caeloque Ereboque potentem.  
 Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem  
 Succipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam  
 Aeneas matri Eumenidum magnaëque sorori 250  
 Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.  
 Tum Stygio regi nocturnas incohat aras,  
 Et solida inponit taurorum viscera flammis,  
 Pingue super oleum infundens ardentibus extis.  
 Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus 255  
 Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri  
 Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,  
 Adventante dea. Procul o, procul este, profani,  
 Conclamat vates, totoque absistite luo;  
 Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum; 260  
 Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.  
 Tantum effata, furens antro se innisit aperto;  
 Ille ducem haud timidus vadentem passibus aequat.

Di, quibus imperiumst animarum, Umbraëque si-  
lentes,

Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late, 265  
 Sit mihi fas audita loqui; sit numine vestro  
 Pandere res alta terra et caligine mersas.

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,  
 Perque domos Ditis vacuas et inania regna:  
 Quale per incertam Lunam sub luce maligna 270  
 Est iter in silvis, ubi caelum condidit umbra  
 Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.  
 Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci  
 Luctus et ultrices posuere cubilia Curae;  
 Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus, 275  
 Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas,  
 Terribiles visu formae, Letumque, Labosque;  
 Tum consanguineus Leti Sopor, et mala mentis

**Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,  
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia de-  
mens, 280  
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.**

In medio ramos annosaque brachia pandit  
Ulmus opaca, ingens, quam sedem Somnia volgo  
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.  
Multaque praeterea variarum monstra ferarum 285  
Centauri in foribus stabulant Scyllaeque bifformes  
Et centumgeminus Briareus ac belua Lernae,  
Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,  
Gorgones Harpyiaeque et forma tricorporis umbrae.  
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum 290  
Aeneas, strictamque aciem venientibus offert,  
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas  
Admoneat volitare cava sub imagine formae,  
Inruat, et frustra ferro diverberet umbras.

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas. 295

Turbidus hic caeno vastaque voragine gurgēs  
Aestuāt adque omnem Coccyto eructat harenam.  
Portitor has horrendus aquas et flumina servat  
Terribili squalore Charon, cui plurima mento  
Canities inculta iacet, stant lumina flamma,  
Sordidus ex umeris nodo dependet amictus.  
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,  
Et ferruginea subvectat corpora cumba,  
Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.  
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,  
Matres adque viri, defunctaque corpora vita  
Magnanimū heroum, pueri innuptaeque puellae,  
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum:  
Quam multa in silvis autumnī frigore primo  
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto  
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus anas  
Trans pontum fugat et terris inmittit apricis.

Stabant orantes primi transmittere cursum,  
 Tendebantque manus ripae ulterioris amore.  
 Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos, 315  
 Ast alios longe submotos arcet harena.  
 Aeneas, miratus enim motusque tumultu,  
 Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?  
 Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas  
 Hae lincunt, illae remis vada livida verrunt? 320  
 Olli sic breviter fatast longaeva sacerdos:  
 Anchisa generate, deum certissima proles,  
 Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,  
 Di cuius iurare timent et fallere numen.  
 Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque tur-  
 bast; 325  
 Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.  
 Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta  
 Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.  
 Centum errant annos volitantque haec litora circum;  
 Tum demum admissi stagna exoptata revisunt. 330  
 Constitit Anchisa satus et vestigia pressit,  
 Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.  
 Cernit ibi maestos et mortis honore carentis  
 Leucaspim et Lyciae ductorem classis Oronten,  
 Quos simul, a Troia ventosa per aequora vectos, 335  
 Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque.

Ecce gubernator sese Palinurus agebat,  
 Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,  
 Exciderat puppi mediis effusus in undis.  
 Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra, 340  
 Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum  
 Eripuit nobis, medioque sub aequore mersit?  
 Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,  
 Hoc uno responso animum delusit Apollo,  
 Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat 345  
 Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?  
 Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,  
 Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.

Namque gubernaculum multa vi forte revolsum,  
 Cui datus haerebam custos cursusque regebam, 350  
 Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro  
 Non ullum pro me tantum cepisse timorem,  
 Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,  
 Deficeret tantis navis surgentibus undis.  
 Tris Notus hibernas immensa per aequora noctes 355  
 Vexit me violentus aqua; vix lumine quarto  
 Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.  
 Paulatim adnabam terrae; iam tuta tenebam,  
 Ni gens crudelis madida cum veste gravatum  
 Prensantemque uncis manibus capita aspera montis 360  
 Ferro invasisset, praedamque ignara putasset.  
 Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.  
 Quod te per caeli iucundum lumen et auras,  
 Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,  
 Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram 365  
 Inice, namque potes, portusque require Velinos;  
 Aut tu, siqua viast, siquam tibi diva creatrix  
 Ostendit — neque enim, credo, sine numine divom  
 Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem —  
 Da dextram misero, et tecum me tolle per undas, 370  
 Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.  
 Talia fatus erat, coepit cum talia vates:  
 Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?  
 Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum  
 Eumenidum aspicies, ripamve iniussus adibis? 375  
 Desine fata deum flecti sperare precando.  
 Sed cape dicta memor, duri solacia cassus.  
 Nam tua finitimi, longe lateque per urbes  
 Prodigiiis acti caelestibus, ossa piabunt,  
 Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent, 380  
 Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.  
 His dictis curae emotae, pulsusque parumper  
 Corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.

Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.  
 Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda 385

Per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,  
 Sic prior adgreditur dictis, adque increpat ultro:  
 Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,  
 Fare age, quid venias; iam istinc; et comprime  
 gressum.

Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae; 390  
 Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

Nec vero Alciden me sum laetatus euntem

Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,

Dis quamquam geniti adque invicti viribus essent.

Tartareum ille manu custodem in vincla petivit, 395

Ipsius a solio regis, traxitque trementem;

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Quae contra breviter fatast Amphrysia vates:

Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;

Nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro 400

Aeternum latrans exsanguis terreat umbras,

Casto licet patriui servet Proserpina limen.

Troius Aeneas, pietate insignis et armis,

Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.

Si te nulla movet tantae pietatis imago, 405

At ramum hunc — aperit ramum, qui veste latebat —

Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.

Nec plura his. Ille admirans venerabile donum

Fatalis virgae, longo post tempore visum,

Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat. 410

Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,

Deturbat, laxatque foros; simul accipit alveo

Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cumba

Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.

Tandem trans fluvium incolumis vatemque virum-  
 que 415

Informi limo glaucaque exponit in ulva.

Cerberus haec ingens latratu regna trifauci

Personat, adverso recubans inmanis in antro.

Cui vates, horrere videns iam colla colubris,

Melle soporatam et medicatis frugibus offam 420



Obicit. Ille fame rabida tria guttura pandens  
 Corripit obiectam, adque inmania terga resolvit  
 Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.  
 Occupat Aeneas aditum custode sepulto,  
 Evaditque celer ripam inremeabilis undae.

425

Continuo auditae voces vagitus et ingens  
 Infantumque animae flentes in limine primo,  
 Quos dulcis vitae exsortis et ab ubere raptos  
 Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.  
 Hos iuxta falso damnati crimine mortis. 430  
 Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:  
 Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum  
 Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.  
 Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum  
 Insones peperere manu, lucemque perosi 435  
 Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto  
 Nunc et pauperiem et duros perferre laboris!  
 Fas obstat, tristisque palus inamabilis unda  
 Alligat, et noviens Styx interfusa coercet.  
 Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem 440  
 Lugentes campi; sic illos nomine dicunt.  
 Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,  
 Secreti celant calles et myrtea circum  
 Silva tegit; curae non ipsa in morte relinquant.  
 His Phaedram Procrimque locis, maestamque Eri-  
 phylum, 445

Crudelis nati monstrantem volnera, cernit,  
 Euhadnenque et Pasiphaen; his Laodamia  
 It comes, et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus,  
 Rursus et in veterem fato revoluta figuram.  
 Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido 450  
 Errabat silva in magna; quam Troius heros  
 Ut primum iuxta stetit adgnovitque per umbram  
 Obscuram, qualem primo qui surgere mense  
 Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam,  
 Demisit lacrimas, dulcique adfatus amore: 455  
 Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo

Venerat extinctam, ferroque extrema secutam?  
 Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,  
 Per superos, et, siqua fides tellure sub imast,  
 Invitus, regina, tuo de litore cessi. 460  
 Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,  
 Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,  
 Inperiis egere suis; nec credere quivi  
 Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.  
 Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro. 465  
 Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor,  
 hoc est.

Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem  
 Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.  
 Illa solo fixos oculos aversa tenebat,  
 Nec magis incepto voltum sermone movetur, 470  
 Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.  
 Tandem corripuit sese, adque inimica refugit  
 In nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi  
 Respondet curis aequatque Sychaeus amorein.  
 Nec minus Aeneas, cassu percussus iniquo, 475  
 Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.

Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant  
 Ultima, quae bello clari secreta frequentant.  
 Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis  
 Parthenopaeus et Adrasti pallentis imago; 480  
 Hic multum fleti ad superos belloque caduci  
 Dardanidae, quos ille omnis longo ordine cernens  
 Ingemuit, Glaucumque Medontaque Thersilochum-  
 que,  
 Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polyphoeten,  
 Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem. 485  
 Circumstant animae dextra laevaue frequentes.  
 Nec vidisse semel satis est; iuvat usque morari,  
 Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.  
 At Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges  
 Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras, 490  
 Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,

Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem  
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.

Adque hic Priamiden laniatum corpore toto  
Deiphobum videt et lacerum crudeliter ora, 495  
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis  
Auribus, et trucas inhonesto vulnere naris.  
Vix adeo adgnovit pavitantem et dira tegentem  
Supplicia, et notis compellat vocibus ultro:  
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucris, 500  
Quis tam crudelis optavit sumere poenas?  
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema  
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum  
Procubuisse super confusae stragis acervom.  
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem 505  
Constitui, et magna Manis ter voce vocavi.  
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi  
Conspicere et patria decedens ponere terra.  
Ad quae Priamides: Nihil o tibi amice relictum;  
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris. 510  
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae  
His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.  
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem  
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necessest.  
Cum fatalis ecus saltu super ardua venit 515  
Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo,  
Illa, chorum simulans, euhantis orgia circum  
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat  
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.  
Tum me, confectum curis somnoque gravatum, 520  
Infelix habuit thalamus, pressitque iacentem  
Dulcis et alta quies placidaeque simillima morti.  
Egregia interea coniunx arma omnia tectis  
Amovet, et fidum capiti subduxerat ensem;  
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit, 525  
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,  
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.  
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additur una

**Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Grais**  
**Instaurate, pio si poenas ore reposco.** 530

**Sed te qui vivom cassus, age fare vicissim,**  
**Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,**  
**An monitu divom? an quae te Fortuna fatigat,**  
**Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?**  
**Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis** 535

**Iam medium aetherio cursu traiecerat axem;**  
**Et fors omne datum traherent per talia tempus;**  
**Sed comes admonuit breviterque adfata Sibyllast:**  
**Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.**

**Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:** 540

**Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,**  
**Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum**  
**Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit.**

**Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;**  
**Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.** 545

**I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.**  
**Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.**

**Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra**  
**Moenia lata videt, triplici circumdata muro,**  
**Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis,** 550

**Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.**  
**Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae,**

**Vis ut nulla virum, non ipsi excindere ferro**  
**Caelicolae valeant; stat ferrea turris ad auras,**

**Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,** 555  
**Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.**

**Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare**  
**Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.**

**Constitit Aeneas, strepituque exterritus haesit.**  
**Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve** 560

**Urguentur poenis? quis tantus plangor ad auras?**

**Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,**

**Nulli fas casto sceleratum insistere limen;**

**Sed me cum lucis Hecate praefecit Avernus,**

**Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit.** 565

Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna,  
 Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,  
 Quae quis apud superos, furto laetatus inani,  
 Distulit in seram commissa piacula mortem.  
 Continuo sontis ultrix accincta flagello 570  
 Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra  
 Intentans anguis vocat agmina saeva sororum.  
 Tum demum horrissono stridentes cardine sacrae  
 Panduntur portae. Cernis, custodia qualis  
 Vestibulo sedeat? facies quae limina servet? 575  
 Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra  
 Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse  
 Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras,  
 Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.  
 Hic genus anticum Terrae, Titania pubes, 580  
 Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo.  
 Hic et Aloidas geminos inmania vidi  
 Corpora, qui manibus magnum rescindere caelum  
 Adgressi, superisque Iovem detrudere regnis.  
 Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas, 585  
 Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.  
 Quattuor hic invectus equis et lampada quassans  
 Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem  
 Ibat ovans, divomque sibi poscebat honorem,  
 Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen 590  
 Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.  
 At pater omnipotens densa inter nubila telum  
 Contorsit, non ille faces nec fumea taedis  
 Lumina, praecipitemque inmani turbine adegit.  
 Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum, 595  
 Cernere erat, per tota novem cui iugera corpus  
 Porrigitur, rostroque inmanis voltur obunco  
 Immortale iecur tondens fecundaque poenis  
 Viscera rimaturque epulis habitatque sub alto  
 Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis. 600  
 Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque?  
 Quos super atra silex iam iam lapsura cadentique  
 Imminet adsimilis; lucent genialibus altis

Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae  
 Regifico luxu; Furiarum maxuma iuxta 605  
 Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,  
 Exsurgitque facem attollens, adque intonat ore.  
 Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,  
 Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;  
 Aut qui divitiis soli incubuere repertis, 610  
 Nec partem posuere suis, quae maxuma turbast;  
 Quique ob adulterium caesi, quique arma secuti  
 Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,  
 Inclusi poenam expectant. Ne quaere doceri,  
 Quam poenam, aut quae forma viros fortunave mer-  
 sit. 615

Saxum ingens volvont alii, radiisque rotarum  
 Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit,  
 Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis  
 Admonet et magna testatur voce per umbras:  
 „Discite iustitiam moniti, et non temnere divos.“ 620  
 Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem  
 Inposuit; fixit leges pretio adque refixit;  
 Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos;  
 Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.  
 Non, mihi si linguae centum sint oraque centum, 625  
 Ferrea vox, omnis scelerum comprehendere formas,  
 Omnia poenarum percurrere nomina possim.

Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:  
 Sed iam age, carpe viam et susceptum perface munus;  
 Adceleremus, ait; Cyclopum educta caminis 630  
 Moenia conspicio adque adverso fornice portas,  
 Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.  
 Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,  
 Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.  
 Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti 635  
 Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.

His demum exactis, perfecto munere divae,  
 Devenere locos laetos et amoena virecta

Fortunatorum nemorum sedesque beatas.  
 Largior hic campos aether et lumine vestit . 640  
 Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.  
 Pars in gramineis exercent membra palaestris,  
 Contendunt ludo et fulva luctantur harena;  
 Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.  
 Nec non Threicius longa cum veste sacerdos 645  
 Obloquitur numeris septem discrimina vocum,  
 Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.  
 Hic genus anticum Teucris, pulcherrima proles,  
 Magnanimi heroes, nati melioribus annis,  
 Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor. 650  
 Arma procul currusque virum miratur inanis.  
 Stant terra defixae hastae, passimque soluti  
 Per campum pascuntur equi. Quae gratia curruum  
 Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis.  
 Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. 655  
 Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam  
 Vescentis laetumque choro Paeana canentis  
 Inter odoratum lauri nemus, unde superne  
 Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.  
 Hic manus ob patriam pugnando volnera passi, 660  
 Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,  
 Quique pii vates et Phoebæ digna locuti,  
 Inventas aut qui vitam excoluere per artis,  
 Quique sui memores alios fecere merendo;  
 Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta. 665  
 Quos circumfusus sic est adfata Sibylla,  
 Musaeum ante omnis; medium nam plurima turba  
 Hunc habet, adque umeris exstantem suspicit altis:  
 Dicite, felices animae, tuque, optime vates,  
 Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo 670  
 Venimus et magnos Erebi tranavimus amnis.  
 Adque huic responsum paucis ita reddidit heros:  
 Nulli certa domus; lucis habitamus opacis,  
 Riparumque toros et prata recentia rivis  
 Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas, 675  
 Hoc superate iugum; et facili iam tramite sistam.

Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentis  
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina lincunt.

At pater Anchises penitus convalle virenti  
Inclusas animas superumque ad lumen ituras 680  
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum  
Forte recensebat numerum carosque nepotes,  
Fataque fortunasque virum moresque manusque.  
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit  
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit, 685  
Effusaeque genis lacrimae, et vox excidit ore:  
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti  
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,  
Nate, tua, et notas audire et reddere voces?  
Sic equidem ducebam animo rebarque futurum, 690  
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.  
Quas ego te terras et quanta per aequora vectum  
Accipio! quantis iactatum, nate, periclis!  
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!  
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago, 695  
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit;  
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,  
Da, genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.  
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.  
Ter conatus ibi collo dare bracchia circum, 700  
Ter frustra compresa manus effugit imago,  
Par levibus ventis volucrique simillima somno.

Interea videt Aeneas in vallé reducta  
Seclusum nemus et virgulta sonantia silvis,  
Lethaeumque, domos placidas qui praeonat, am-  
nem. 705

Hunc circum innumerae gentes populique volabant;  
Ac velut in pratis ubi apes aestate serena  
Floribus insidunt variis, et candida circum  
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus.  
Horrescit visu subito, caussasque requirit 710  
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,



Quive viri tanto conplerint agmine ripas.  
 Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato  
 Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam  
 Securos latices et longa oblivia potant. 715  
 Has equidem memorare tibi adque ostendere coram,  
 Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum,  
 Quo magis Italia mecum laetere reperta.  
 O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandumst  
 Sublimis animas, iterumque ad tarda reverti 720  
 Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?  
 Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo;  
 Succipit Anchises, adque ordine singula pandit.

Principio caelum ac terras camposque liquentis  
 Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra 725  
 Spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
 Mens agitat molem et magno se corpore miscet.  
 Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum  
 Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.  
 Igneus est ollis vigor et caelestis origo 730  
 Seminibus, quantum non noxia corpora tardant  
 Terrenique hebetant artus moribundaque membra.  
 Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, neque  
 auras

Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.  
 Quin et supremo cum lumine vita relinquit, 735  
 Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes  
 Corporeae excedunt pestes, penitusque necessest  
 Multa diu concreta modis inolescere miris.  
 Ergo exercentur poenis, veterumque malorum  
 Supplicia expendunt: aliae panduntur inanis 740  
 Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto  
 Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.  
 Quisque suos patimur Manis; exinde per amplum  
 Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus;  
 Donec longa dies, perfecto temporis orbe, 745  
 Concretam exemit labem, purumque relinquit  
 Aetherium sensum adque aurai simplicis ignem.

Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,  
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,  
Scilicet inmemores supera ut convexa revisant 750  
Rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam  
Conventus trahit in medios turbamque sonantem,  
Et tumultum capit, unde omnis longo ordine posset  
Adversos legere, et venientum discere voltus. 755

Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde se-  
quatur  
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,  
Inlustris animas nostrumque in nomen ituras,  
Expedit dictis, et te tua fata docebo.  
Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta, 760  
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras  
Aetherias Italo commixtus sanguine surget,  
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles,  
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx  
Educat silvis regem regumque parentem, 765  
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.  
Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,  
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet  
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis  
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam. 770  
Qui iuvenes! quantas ostentant, aspice, viris!  
Adque umbrata gerunt civili tempora quercu:  
Hi tibi Nomentum et Gabios urbemque Fidenam,  
Hi Collatinas imponent montibus arces,  
[Laude pudicitiae celebris, addentque superbos] 775  
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque.  
Haec tum nomina erant, nunc sunt sine nomine  
terrae.

Quin et avo comitem sese Mavortius addet  
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater  
Educat. Vident, ut geminae stant vertice cristae, 780  
Et pater ipse suo superum iam signat honore?

En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma  
 Inperium terris, animos aequabit Olympo,  
 Septemque una sibi muro circumdabit arces,  
 Felix prole virum: qualis Berecynthia mater 785  
 Invehitur curru Phrygias turrata per urbes,  
 Laeta deum partu, centum complexa nepotes,  
 Omnis caelicolas, omnis supera alta tenentis.  
 Huc geminas nunc flecte acies, hanc aspice gentem  
 Romanosque tuos. Hic Caesar et omnis Iuli 790  
 Progenies, magnum caeli ventura sub axem.  
 Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,  
 Augustus Caesar, Divi genus, aurea condet  
 Saecula qui rursus Latîo regnata per arva  
 Saturno quondam, super et Garamantas et Indos 795  
 Proferet inperium; iacet extra sidera tellus,  
 Extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlans  
 Axem umero torquet stellis ardentibus aptum.  
 Huius in adventum iam nunc et Caspia regna  
 Responsis horrent divom et Maeotia tellus, 800  
 Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.  
 Nec vero Alcides tantum telluris obivit,  
 Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi  
 Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu;  
 Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis, 805  
 Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.  
 Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis,  
 Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?  
 „Quis procul ille autem ramis insignis olivae  
 Sacra ferens?“ Nosco crinis incanaeque menta 810  
 Regis Romani, primam qui legibus urbem  
 Fundabit, Curibus parvis et paupere terra  
 Missus in inperium magnum. Cui deinde subibit,  
 Otia qui rumpet patriae residesque movebit  
 Tullus in arma viros et iam desueta triumphis 815  
 Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,  
 Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.  
 Vis et Tarquinius reges, animamque superbam  
 Ultoris Bruti, fascesque videre receptos?

**Consulis inperium hic primus saevasque secures** 820  
 Accipiet, natosque pater nova bella moventis  
 Ad poenam pulchra pro libertate vocabit,  
 Infelix! Utcumque ferent ea facta minores,  
 Vincet amor patriae laudumque immensa cupido.  
**Quin Decios Drusosque procul saevomque securi** 825  
 Aspice Torquatum et referentem signa Camillum.  
 Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,  
 Concordes animae nunc et dum nocte premuntur,  
 Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae  
 Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt! 830  
 Aggeribus socer Alpinis adque arce Monoeci  
 Descendens, gener adversis instructus Eois.  
 Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella,  
 Neu patriae validas in viscera vertite viris;  
 Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo, 835  
 Proice tela manu, sanguis meus! —  
 Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho  
 Victor aget currum, caesis insignis Achivis.  
 Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenae,  
 Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli, 840  
 Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae.  
 Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relin-  
 quat?  
 Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina  
 belli,  
 Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem  
 Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem? 845  
 Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maxumus ille es,  
 Unus qui nobis cunctando restituis rem.  
 Excudent alii spirantia mollius aera,  
 Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus,  
 Orabunt caussas melius, caelique meatus 850  
 Describent radio et surgentia sidera dicent:  
 Tu regere inperio populos, Romane, memento;  
 Hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,  
 Parcere subiectis, et debellare superbos.

Sic pater Anchises, adque haec mirantibus addit : 855

Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis  
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!  
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,  
Sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem,  
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino. 860

Adque hic Aeneas; una namque ire videbat  
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,  
Sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:  
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?  
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum? 865

Quis strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!  
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.

Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis;  
O gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;  
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra 870

Esse sinent. Nimium vobis Romana propago  
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.  
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem  
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis  
Funera, cum tumulum praeterlabere recentem! 875

Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos  
In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam  
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.

Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello  
Dextera! non illi se quisquam inpune tulisset 880

Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,  
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos,  
Heu, miserande puer! siqua fata aspera rumpas,  
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,  
Purpureos spargam flores, animamque nepotis 885

His saltem accumulem donis, et fungar inani  
Munere. Sic tota passim regione vagantur  
Aeris in campis latis, adque omnia lustrant.  
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,  
Incenditque animum famae venientis amore, 890  
Exim bella viro memorat quae deinde gerenda,

Laurentisque docet populos urbemque Latini,  
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.

Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur  
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris; 895  
Altera candenti perfecta nitens elephanto,  
Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.  
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam  
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna,  
Ille viam secat ad navis sociosque revisit; 900  
Tum se ad Caietae recto fert litore portum.  
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER SEPTIMUS.

---

**T**u quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix,  
Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti;  
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen  
Hesperia in magna, siquast ea gloria, signat. 5  
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,  
Aggere conposito tumuli, postquam alta quierunt  
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.  
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus  
Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.  
Proxima Circaeae raduntur litora terrae, 10  
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos  
Adsiduo resonat cantu, tectisque superbis  
Urit odoratam nocturna in lumina caedrum,  
Arguto tenuis percurrrens pectine telas.  
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum, 15  
Vincla recussantum et sera sub nocte rudentum,  
Saetigerique sues adque in praesepibus ursi  
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum,  
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis  
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum. 20  
Quae ne monstra pii paterentur talia Troes  
Delati in portus, neu litora dira subirent,

Neptunus ventis inplevit vela secundis,  
Adque fugam dedit, et praeter vada fervida vexit.

Iamque rubescebat radiis mare, et aethere ab  
alto 25

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:  
Cum venti posuere, omnisque repente resedit  
Flatus, et in lento luctantur marmore tonsae.  
Adque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum  
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoenus, 30  
Verticibus rapidis, et multa flavos harena,  
In mare prorumpit. Varias circumque supraque  
Adsuetae ripis volucres et fluminis alveo  
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.  
Flectere iter sociis terraeque advertere proras 35  
Inperat, et laetus fluvio succedit opaco.

Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,  
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem  
Cum primum Ausoniis exercitus adpulit oris,  
Expediam, et primae revocabo exordia pugnae. 40  
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella,  
Dicam acies, actosque animis in funera reges,  
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam  
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo,  
Maius opus moveo. Rex arva Latinus et urbes 45  
Iam senior longa placidas in pace regebat.  
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica  
Accipimus; Fauno Picus pater; isque parentem  
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.  
Filius huic fato divom prolesque virilis 50  
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuventast.  
Sola domum et tantas servabat filia sedes,  
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.  
Multi illam magno e Latio totaque petebant  
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnis 55  
Turnus, avis atavisque potens, quem regia coniunx  
Adiungi generum miro properabat amore;



Sed variis portenta deum terroribus obstant.  
 Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,  
 Sacra comam, multosque metu servata per annos, 60  
 Quam pater inventam, primas cum conderet arces,  
 Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,  
 Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.  
 Huius apes summum densae — mirabile dictu —  
 Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae, 65  
 Obsedere apicem, et, pedibus per mutua nexis,  
 Examen subitum ramo frondente pependit.  
 Continuo vates, Externum cernimus, inquit,  
 Adventare virum, et partis petere agmen easdem  
 Partibus ex isdem, et summa dominarier arce. 70  
 Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,  
 Ut iuxta genitorem adstat Lavinia virgo,  
 Visa, nefas, longis comprehendere crinibus ignem,  
 Adque omnem ornatum flamma crepitante cremari,  
 Regalisque accensa comas, accensa coronam, 75  
 Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo  
 Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.  
 Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:  
 Namque fore inlustrem fama fatisque canebant  
 Ipsam, sed populo magnum portendere bellum. 80  
 At rex sollicitus monstros, oracula Fauni,  
 Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta  
 Consulit Albunea, nemorum quae maxuma sacro  
 Fonte sonat, saevamque exhalat opaca mephitim.  
 Hinc Italiae gentes omnisque Oenotria tellus 85  
 In dubiis responsa petunt; huc dona sacerdos  
 Cum tulit et caesarum ovium sub nocte silenti  
 Pellibus incubuit stratis somnosque petivit,  
 Multa modis simulacra videt volitantia miris,  
 Et varias audit voces, fruiturque deorum 90  
 Conloquio, adque imis Acheronta adfatur Avernis.  
 Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus  
 Centum lanigeras mactabat rite bidentis,  
 Adque harum effultus tergo stratisque iacebat  
 Velleribus: subita ex alto vox reddita luco: 95

Ne pete conubiis natam sociare Latinis,  
 O mea progenies, thalamis neu crede paratis;  
 Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum  
 Nomen in astra ferant, quorumque ab stirpe nepotes  
 Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens 100  
 Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.  
 Haec responsa patris Fauni monitusque silenti  
 Nocte datos non ipse suo premit ore Latinus,  
 Sed circum late volitans iam Fama per urbes  
 Ausonias tulerat, cum Laomedontia pubes 105  
 Gramineo ripae religavit ab aggere classem.

Aeneas primique duces et pulcher Iulus  
 Corpora sub ramis deponunt arboris altae,  
 Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam  
 Subiciunt epulis, — sic Iuppiter ille monebat — 110  
 Et Cereale solum pomis agrestibus augent.  
 Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus  
 Exiguam in Cererem penuria adegit edendi  
 Et violare manu malisque audacibus orbem  
 Fatalis crusti patulis nec parcere quadris: 115  
 Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus;  
 Nec plura adludens. Ea vox audita laborum  
 Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore  
 Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.  
 Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus, 120  
 Vosque, ait, o fidi Troiae salvet Penates:  
 Hic domus, haec patriast. Genitor mihi talia namque,  
 Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:  
 Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum  
 Accisis coget dapibus consumere mensas, 125  
 Tum sperare domos defessus ibique memento  
 Prima locare manu molirique aggere tecta.  
 Haec erat illa fames; haec nos suprema manebat,  
 Exitis positura modum.  
 Quare agite et primo laeti cum lumine solis, 130  
 Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,  
 Vestigemus, et a portu diversa petamus.

Nunc pateras libate Iovi, precibusque vocate  
 Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.  
 Sic deinde effatus frondenti tempora ramo 135  
 Implicat, et Geniumque loci primamque deorum  
 Tellurem Nymphasque et adhuc ignota precatur  
 Flumina, tum Noctem Noctisque orientia Signa  
 Idaeumque Iovem Phrygiamque ex ordine Matrem  
 Invocat, et duplicis Caeloque Ereboque parentes. 140  
 Hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto  
 Intonuit, radiisque ardentem lucis et auro  
 Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.  
 Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,  
 Advenisse diem, quo debita moenia condant. 145  
 Certatim instaurant epulas, adque omine magno  
 Crateras laeti statuunt et vina coronant.

Postera cum prima lustrabat lampade terras  
 Orta dies, urbem et finis et litora gentis  
 Diversi explorant; haec fontis stagna Numici, 150  
 Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.  
 Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni  
 Centum oratores augusta ad moenia regis  
 Ire iubet, ramis velatos Palladis omnis,  
 Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris. 155  
 Haud mora, festinant iussi rapidisque feruntur  
 Passibus. Ipse humili designat moenia fossa,  
 Moliturque locum, primasque in litore sedes  
 Castrorum in morem pinnis adque aggere cingit.  
 Iamque iter emensi turris ac tecta Latinorum 160  
 Ardua cernebant iuvenes, muroque subibant.  
 Ante urbem pueri et primaevae flore iuventus  
 Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,  
 Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis  
 Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt: 165  
 Cum praevectus equo longaevi regis ad auris  
 Nuntius ingentis ignota in veste reportat  
 Advenisse viros. Ille intra tecta vocari  
 Inperat, et solio medius consedit avito.

Tectum augustum, ingens, centum sublime co-  
lumnis, 170

Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,

Horrendum silvis et religione parentum.

Hic sceptrata accipere et primos attollere fasces

Regibus omen erat; hoc illis curia templum,

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso 175

Perpetuis soliti patres considerare mensis.

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum

Antiqua e caedro, Italusque paterque Sabinus

Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,

Saturnusque senex Ianique bifrontis imago, 180

Vestibulo adstabant, alique ab origine reges,

Martiaque ob patriam pugnando volnera passi.

Multaque praeterea sacris in postibus arma,

Captivi pendent currus, curvaeque secures,

Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra, 185

Spiculaque clipeique ereptaque rostra carinis.

Ipsa Quirinali lituo, parvaque sedebat

Succinctus trabea, laevaue ancile gerebat

Picus, eum domitor; quem capta cupidine coniunx

Aurea percutsum virga versumque venenis 190

Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.

Tali intus templo divom patriaque Latinus

Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;

Adque haec ingressis placido prior edidit ore:

Dicite, Dardanidae, neque enim nescimus et ur-  
bem 195

Et genus, auditique advertitis aequore cursum,

Quid petitis? quae caussa rates, aut cuius egentis

Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?

Sive errore viae, seu tempestatibus acti,

Qualia multa mari nautae patiuntur in alto, 200

Fluminis intrastis ripas portuque sedetis,

Ne fugite hospitium, neve ignorete Latinos

Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,

Sponte sua veterisque dei se more tenentem.

Adque equidem memini — famast obscurior annis — 205  
 Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris  
 Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes  
 Threiciamque Samon, quae nunc Samothracia fertur.  
 Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum  
 Aurea nunc solio stellantis regia caeli 210  
 Accipit et numerum divorum altaribus addit.

Dixerat; et dicta Ilioneus sic voce secutus:  
 Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos  
 Atra subegit hiemps vestris succedere terris,  
 Nec sidus regione viae litusve sefellit; 215  
 Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem  
 Adferimur, pulsī regnis, quae maxuma quondam  
 Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.  
 Ab Iove principium generis; Iove Dardana pubes  
 Gaudet avo; rex ipse Iovis de gente suprema, 220  
 Troius Aeneas, tua nos ad limina misit.  
 Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis  
 Tempestas ierit campos, quibus actus uterque  
 Europae adque Asiae fatis concurrerit orbis,  
 Audiit, et siquem tellus extrema refuso 225  
 Submovet Oceano, et siquem extenta plagarum  
 Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.  
 Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti  
 Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus  
 Innocuum et cunctis undamque auramque paten-  
 tem. 230

Non erimus regno indecores, nec vestra feretur  
 Fama levis, tantive aboleſcet gratia facti,  
 Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.  
 Fata per Aeneae iuro dextramque potentem  
 Sive fide seu quis bellost expertus et armis: 235  
 Multi nos populi, multae — ne temne, quod ultro  
 Praeferimus manibus vittas ac verba precantis —  
 Et petiere sibi et voluere adiungere gentes;  
 Sed nos fata deum vestras exquirere terras  
 Inperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus; 240

Huc repetit iussisque ingentibus urguet Apollo  
 Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici.  
 Dat tibi praeterea Fortunae parva prioris  
 Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.  
 Hoc pater Anchises auro libabat ad aras; 245  
 Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis  
 More daret populis, sceptrumque sacerque tiaras  
 Iliadumque labor vestes.

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus  
 Optutu tenet ora, soloque immobilis haeret, 250  
 Intentos volvens oculos. Nec purpura regem  
 Picta movet, nec sceptrum movent Priameia tantum,  
 Quantum in conubio natae thalamoque moratur;  
 Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem:  
 Hunc illum fatis externa ab sede profectum 255  
 Portendi generum, paribusque in regna vocari  
 Auspiciis; huic progeniem virtute futuram  
 Egregiam, et totum quae viribus occupet orbem.  
 Tandem laetus ait: Di nostra incepta secundent  
 Auguriumque suum! Dabitur, Troiane, quod optas. 260  
 Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,  
 Divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.  
 Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupidost,  
 Si iungi hospitio properat sociusque vocari,  
 Adveniat, voltus neve exhorrescat amicos. 265  
 Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.  
 Vos contra regi mea nunc mandata referte.  
 Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostrae  
 Non patrio ex adyto sortes, non plurima caelo  
 Monstra sinant; generos externis adfore ab oris, 270  
 Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum  
 Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata  
 Et reor, et, siquid veri mens augurat, opto.  
 Haec effatus equos numero pater eligit omni.  
 Stabant ter centum nitidi in praeseptis altis. 275  
 Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci  
 Instratos ostro alipedes pictisque tapetis;

Aurea pectoribus demissa monilia pendent;  
 Tecti auro, fulvom mandunt sub dentibus aurum;  
 Absenti Aeneae currum geminosque iugalis 280  
 Semine ab aethereo, spirantis naribus ignem,  
 Illorum de gente, patri quos daedala Circe  
 Supposita de matre nothos furata creavit.  
 Talibus Aeneadae donis dictisque Latini  
 Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant. 285

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis  
 Saeva Iovis coniunx, aurasque invecta tenebat,  
 Et laetum Aenean classemque ex aethere longe  
 Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.  
 Moliri iam tecta videt, iam fidere terrae, 290  
 Deservisse rates. Stetit acri fixa dolore.  
 Tum quassans caput haec effundit pectore dicta:  
 Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris  
 Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,  
 Num capti potuere capi? num incensa cremavit 295  
 Troia viros? medias acies mediosque per ignis  
 Invenere viam. At, credo, mea numina tandem  
 Fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —  
 Quin etiam patria excussos infesta per undas  
 Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto. 300  
 Absumptae in Teucros vires caelique marisque.  
 Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis  
 Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,  
 Securi pelagi adque mei. Mars perdere gentem  
 Inmanem Lapithum valuit; concessit in iras 305  
 Ipse deum antiquam genitor Calydonia Dianae;  
 Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydonia me-  
 rentem?

Ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum  
 Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,  
 Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt 310  
 Magna satis, dubitem haud equidem inplorare quod  
 usquamst.

Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,  
 Adque inmotā manet fatīs Lavinia coniūnx:  
 At trahere, adque moras tantis licet addere rebus; 315  
 At licet amborum populos exscindere regum.  
 Hac gener adque socer coeant mercede suorum.  
 Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo,  
 Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum  
 Cisseis praegnas ignis enixa iugalis; 320  
 Quin idem Veneri partus suus et Paris alter,  
 Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae.

Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit;  
 Luctificam Allecto dirarum ab sede dearum  
 Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella 325  
 Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.  
 Odit et ipse pater Pluton, odere sorores  
 Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,  
 Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.  
 Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur: 330  
 Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,  
 Hanc operam, ne noster honos infractave cedat  
 Fama loco, neu conubiis ambire Latinum  
 Aeneadae possint, Italosve obsidere finis.  
 Tu potes unanimos armare in proelia fratres 335  
 Adque odiis versare domos, tu verbera tectis  
 Funereasque inferre faces, tibi nomina mille,  
 Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,  
 Disice conpositam pacem, sere crimina belli;  
 Arma velit poscatque simul, rapiatque iuventus. 340

Exim Gorgoneis Allecto infecta venenis  
 Principio Latium et Laurentis tecta tyranni  
 Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae,  
 Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis  
 Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant. 345  
 Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem  
 Conicit inque sinum praecordia ad intuma subdit,  
 Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.



Ille, inter vestes et levia pectora lapsus,  
 Volvitur attactu nullo, fallitque furem, 350  
 Vipeream inspirans animam; fit tortile collo  
 Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,  
 Innectitque comas, et membris lubricus errat.  
 Ac dum prima lues udo sublapsa veneno  
 Pertemptat sensus adque ossibus implicat ignem 355  
 Necdum animus toto percepit pectore flammam,  
 Mollius, et solito matrum de more, locutast,  
 Multa super natae lacrimans Phrygiisque hymenaeis:  
 Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,  
 O genitor? nec te miseret gnataeque tuique? 360  
 Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet  
 Perfidus, alta petens abducta virgine praedo?  
 At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor  
 Ledaemque Helenam Troianas vexit ad urbes.  
 Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum 365  
 Et consanguineo totiens data dextera Turno?  
 Si gener externa petitur de gente Latinis,  
 Idque sedet, Faunisque premunt te iussa parentis,  
 Omnem equidem sceptris terram quae libera nostris  
 Dissidet, externam reor, et sic dicere divos. 370  
 Et Turno, si prima domus repetatur origo,  
 Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.

His ubi nequiquam dictis experta Latinum  
 Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum  
 Serpentis furiale malum, totamque pererrat, 375  
 Tum vero infelix, ingentibus excita monstis,  
 Immensam sine more furit lymphata per urbem:  
 Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,  
 Quem pueri magno in gyro vacua atria circum  
 Intenti ludo exercent; ille actus habena 380  
 Curvatis fertur spatii; stupet inscia supra  
 Impubesque manus, mirata volubile buxum;  
 Dant animos plagae. Non cursu segnior illo  
 Per medias urbes agitur populosque ferocis.  
 Quin etiam in silvas, simulato numine Bacchi, 385

Maius adorta nefas maioremque orsa furorem,  
 Evolat, et natam frondosis montibus abdit,  
 Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur,  
 Euhoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum  
 Vociferans; etenim mollis tibi sumere thyrsos, 390  
 Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.  
 Fama volat, furiisque accensas pectore matres  
 Idem omnis simul ardor agit, nova quaerere tecta.  
 Deseruere domos, ventis dant colla comasque;  
 Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent, 395  
 Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.  
 Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum  
 Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,  
 Sanguineam torquens aciem, torvomque repente  
 Clamat: Io matres, audite, ubi quaeque, Latinae: 400  
 Siqua piis animis manet infelicis Amatae  
 Gratia, si iuris materni cura remordet,  
 Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.  
 Talem inter silvas, inter deserta ferarum,  
 Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi. 405

Postquam visa satis primos acuisse furores,  
 Consiliumque omnemque domum vertisse Latini,  
 Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis  
 Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur urbem  
 Acrisioneis Danae fundasse colonis, 410  
 Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam  
 Dictus avis; et nunc magnum tenet Ardea nomen;  
 Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis  
 Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.  
 Allecto torvam faciem et furialia membra 415  
 Exiit; in voltus sese transformat anilis  
 Et frontem obscenam rugis arat; induit albos  
 Cum vitta crinis; tum ramum innaectit olivæ;  
 Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos;  
 Et iuveni ante oculos his se cum vocibus offert: 420  
 Turne, tot incassum fusos pati laboris,  
 Et tua Dardaniis transscribi sceptrum colonis?

Rex tibi coniugium et quaesitas sanguine dotes  
 Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.  
 I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis; 425  
 Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.  
 Haec adeo tibi me, placida cum nocte iaceres,  
 Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.  
 Quare age, et armari pubem portisque moveri  
 Laetus in arma para, et Phrygios, qui flumine pul- 430  
 chro  
 Consedere, duces pictasque exure carinas.  
 Caelestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,  
 Ni dare coniugium et dicto parere fatetur,  
 Sentiat et tandem Turnum experiatur in armis.

Hic iuvenis, vatem inridens, sic orsa vicissim 435  
 Ore refert: Classis invectas Thybridis undam  
 Non, ut rere, meas effugit nuntius auris.  
 Ne tantos mihi finge metus; nec regia Iuno  
 Inmemor est nostri.  
 Sed te victa situ verique effeta senectus, 440  
 O mater, curis nequiquam exercet, et arma  
 Regum inter falsa vatem formidine ludit.  
 Cura tibi, divom effigies et templa tueri;  
 Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda.

Talibus Allecto dictis exarsit in iras. 445  
 At iuveni oranti subitus tremor occupat artus;  
 Deriguere oculi: tot Erinys sibilat hydrys,  
 Tantaque se facies aperit; tum flammea torquens  
 Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura  
 Reppulit, et geminos erexit crinibus anguis, 450  
 Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore:  
 En ego victa situ, quam veri effeta senectus  
 Arma inter regum falsa formidine ludit;  
 Respice ad haec: adsum dirarum ab sede sororum;  
 Bella manu letumque gero. 455  
 Sic effata facem iuveni coniecit, et atro  
 Lumine fumantis fixit sub pectore taedas.

Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus  
 Perfudit toto proruptus corpore sudor.  
 Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit; 460  
 Saevit amor ferri et scelerata insania belli,  
 Ira super: magno veluti cum flamma sonore  
 Virgea suggeritur costis undantis aeni,  
 Exsultantque aestu latices; furit intus aquai  
 Fumidus adque alte spumis exuberat amnis; 465  
 Nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.  
 Ergo iter ad regem polluta pace Latinum  
 Indicit primis iuvenum, et iubet arma parari,  
 Tutari Italiam, detrudere finibus hostem;  
 Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque. 470  
 Haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit,  
 Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.  
 Hunc decus egregium formae movet adque iuventae,  
 Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.

Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet, 475  
 Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis.  
 Arte nova speculata locum, quo litore pulcher  
 Insidiis cursuque feras agitabat Iulus,  
 Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo  
 Obicit et noto naris contingit odore, 480  
 Ut cervom ardentes agerent; quae prima laborum  
 Causa fuit belloque animos accendit agrestis.  
 Cervos erat forma praestanti et cornibus ingens,  
 Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum  
 Nutribant Tyrrheusque pater, cui regia parent 485  
 Armenta, et late custodia credita campi.  
 Adsuetum inperiis soror omni Silvia cura  
 Mollibus intexens ornabat cornua sertis,  
 Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.  
 Ille, manum patiens, mensaeque adsuetus erili, 490  
 Errabat silvis, rursusque ad limina nota  
 Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.  
 Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli  
 Commovere canes, fluvio cum forte secundo

Deflueret, ripaque aestus viridante levaret. 495  
 Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,  
 Ascanius curvo direxit spicula cornu;  
 Nec dextrae erranti deus afuit, actaque multo  
 Perque uterum sonitu perque ilia venit harundo.  
 Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit, 500  
 Successitque gemens stabulis, questuque cruentus  
 Adque inploranti similis tectum omne replebat.  
 Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,  
 Auxilium vocat et duros conclamat agrestis.  
 Olli, pestis enim tacitis latet aspera silvis, 505  
 Improvisi adsunt, hic torre armatus obusto,  
 Stipitis hic gravidi nodis; quod cuique repertum  
 Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,  
 Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis  
 Scindebat, rapta spirans inmane securi. 510  
 At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi  
 Ardua tecta petit stabuli, et de culmine summo  
 Pastorale canit signum, cornuque recurvo  
 Tartaream intendit vocem, qua protinus omne  
 Contremuit nemus et silvae insonuere profundae; 515  
 Audiit et Triviae longe lacus; audiit amnis  
 Sulpurea Nar albus aqua fontesque Velini,  
 Et trepidae matres pressere ad pectora natos.  
 Tum vero ad vocem celeres, qua bucina signum  
 Dira dedit, raptis concurrunt undique telis 520  
 Indomiti agricolae; nec non et Troia pubes  
 Ascanio auxilium castris effundit apertis.  
 Direxere acies. Non iam certamine agresti,  
 Stipitibus duris agitur sudibusve praeustis,  
 Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late 525  
 Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent  
 Sole lacessita, et lucem sub nubila iactant:  
 Fluctus uti primo coepit cum albescere vento,  
 Paulatim sese tollit mare et altius undas  
 Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo. 530  
 Hic iuvenis primam ante aciem stridente sagitta,  
 Natorum Tyrrhei fuerat qui maxumus, Almo,

Sternitur; haesit enim sub gutture volnus et udae  
 Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.  
 Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus, 535  
 Dum paci medium se offert, iustissimus unus  
 Qui fuit Ausoniisque olim ditissimus arvis:  
 Quinque greges illi balantum, quina redibant  
 Armenta, et terram centum vertebat aratris.

Adque ea per campos aequo dum Marte gerun-  
 tur, 540

Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum  
 Imbuit et primae commisit funera pugnae,  
 Deserit Hesperiam, et caeli conversa per auras  
 Iunonem victrix adfatur voce superba:  
 En, perfecta tibi bello discordia tristi; 545  
 Dic, in amicitiam coeant et foedera iungant.  
 Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,  
 Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas:  
 Finitimas in bella feram rumoribus urbes,  
 Accendamque animos insani Martis amore, 550  
 Undique ut auxilio veniant; spargam arma per agros.  
 Tum contra Iuno: terrorum et fraudis abundest.  
 Stant belli caussae; pugnatur comminus armis;  
 Quae fors prima dedit, sanguis novos imbuit arma.  
 Talia coniugia et talis celebrent hymenaeos 555  
 Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.  
 Te super aetherias errare licentius auras  
 Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.  
 Cede locis. Ego, siqua super fortuna laborumst,  
 Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces; 560  
 Illa autem attollit stridentis anguibus alas,  
 Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.  
 Est locus Italiae medio sub montibus altis,  
 Nobilis et fama multis memoratus in oris,  
 Ampsancti valles; densis hunc frondibus atrum 565  
 Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus  
 Dat sonitum saxis et torto vertice torrens.  
 Hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis

Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vorago  
 Pestiferas aperit fauces, quis condita Erinys, 570  
 Invisum numen, terras caelumque levabat.

Nec minus interea extremam Saturnia bello  
 Inponit regina manum. Ruit omnis in urbem  
 Pastorum ex acie numerus, caesosque reportant  
 Almonem puerum foedatque ora Galaesi, 575  
 Implorantque deos, obtestanturque Latinum.  
 Turnus adest, medioque in crimine caedis et igni  
 Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;  
 Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.  
 Tum, quorum attonitae Baccho nemora avia ma-  
 tres 580

Insultant thiasis, — neque enim leve nomen Amatae, —  
 Undique collecti coeunt, Martemque fatigant.  
 Illicet infandum cuncti contra omina bellum,  
 Contra fata deum, perverso numine poscunt.  
 Certatim regis circumstant tecta Latini; 585  
 Ille velut pelagi rupes inmota resistit,  
 Ut pelagi rupes magno veniente fragore,  
 Quae sese, multis circum latrantibus undis,  
 Mole tenet; scopuli nequiquam et spumea circum  
 Saxa fremunt, laterique inlisa refunditur alga. 590  
 Verum ubi nulla datur caecum exsuperare potestas  
 Consilium, et saevae nutu Iunonis eunt res,  
 Multa deos aurasque pater testatus inanis,  
 Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!  
 Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas, 595  
 O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit  
 Supplicium, votisque deos venerabere seris.  
 Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;  
 Funere felici spoliis. Nec plura locutus  
 Saepsit se tectis, rerumque reliquit habenas. 600

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes  
 Albanae coluere sacrum, nunc maxuma rerum  
 Roma colit, cum prima movent in proelia Martem,

Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum  
 Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad In-  
 dos 605

Auroramque sequi Parthosque reposcere signa:  
 Sunt geminae Belli portae, sic nomine dicunt,  
 Religione sacrae et saevi formidine Martis;  
 Centum aerei claudunt vectes aeternaque ferri

Robora, nec custos absistit limine Ianus; 610

Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,

Ipsae Quirinali trabea cinctuque Gabino

Insignis reserat stridentia limina Consul;

Ipsae vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,

Aereaque adsensu conspirant cornua rauco. 615

Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus

More iubebatur tristisque recludere portas.

Abstulit tactu pater, aversusque refugit

Foeda ministeria, et caecis se condidit umbris.

Tum regina deum caelo delapsa morantis 620

Impulit ipsa manu portas, et cardine verso

Belli ferratos rumpit Saturnia postis.

Ardet inexcita Ausonia adque immobilis ante;

Pars pedes ire parat campis, pars arduus altis

Pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt. 625

Pars levis clipeos et spicula lucida tergent

Arvina pingui, subiguntque in cote secures;

Signaque ferre iuvat, sonitusque audire tubarum.

Quinque adeo magnae positae incudibus urbes

Tela novant, Atina potens Tiburque superbum, 630

Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae.

Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas

Umbonum cratis; alii thoracas aenos

Aut levis ocreas lento ducunt argento;

Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri 635

Cessit amor; recocunt patrios fornacibus enses.

Classica iamque sonant; it bello tessera signum.

Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementis

Ad iuga cogit equos; clipeumque auroque trilineum

Loricam induitur, fidoque accingitur ense. 640



Pandite nunc Helicon, deae, cantusque movete,  
 Qui bello exciti reges, quae quemque secutae  
 Conplerint campos acies, quibus Itala iam tum  
 Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis;  
 Et meministis enim, divae, et memorare potestis; 645  
 Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris  
 Contemptor divom Mezentius agminaque armat.  
 Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter 650  
 Non fuit, excepto Laurentis corpore 'Turni.  
 Lausus, ecum domitor debellatorque ferarum,  
 Ducit Agyllina nequiquam ex urbe secutos  
 Mille viros, dignus, patriis qui laetior esset  
 Inperiis, et cui pater haud Mezentius esset.

Post hos insignem palma per gramina curram 655  
 Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro  
 Pulcher Aventinus, clipeoque insigne paternum  
 Centum anguis cinctamque gerit serpentibus Hy-  
 dram;

Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos 660  
 Furtivom partu sub luminis edidit oras,  
 Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor  
 Geryone extincto Tirynthius attigit arva,  
 Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.  
 Pila manu saevosque gerunt in bella dolones,  
 Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. 665  
 Ipse pedes, tegumen torquens inmane leonis,  
 Terribili inpexum saeta, cum dentibus albis  
 Indutus capiti, sic regia tecta subibat,  
 Horridus, Herculeoque umeros innexus amictu.

Tum gemini fratres Tiburtia moenia lincunt, 670  
 Fratrīs Tiburti dictam cognomine gentem,  
 Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus,  
 Et primam ante aciem densa inter tela feruntur:  
 Ceu duo nubigenae cum vertice montis ab alto

Descendunt Centauri, Homolen Othrymque niva-  
lem 675

Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens  
Silva locum, et magno cedunt virgulta fragore.

Nec Praenestinae fundator defuit urbis,  
Volcano genitum pecora inter agrestia regem  
Inventumque focus omnis quem credidit aetas, 680  
Caeculus. Hunc legio late comitatur agrestis:  
Quique altum Praeneste viri, quique arva Gabinæ  
Iunonis gelidumque Anienem et roscida rivis  
Hernica saxa colunt; quos dives Anagnia pascit,  
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma, 685  
Nec clipei currusve sonant; pars inaxuma glandes  
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat  
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros  
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri  
Instituere pedis; crudus tegit altera pero. 690

At Messapus, ecum domitor, Neptunia proles,  
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,  
Iam pridem resides populos desuetaque bello  
Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat.  
Hi Fescenninas acies Aequosque Faliscos, 695  
Hi Soractis habent arces Flavinaque arva,  
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.  
Ibant aequati numero, regemque canebant:  
Ceum quondam nivei liquida inter nubila cycni,  
Cum sese e pastu referunt et longa canoros 700  
Dant per colla modos; sonat amnis et Asia longe  
Pulsa palus.  
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto  
Misceri putet, aeriam sed gurgite ab alto  
Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem. 705

Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum  
Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,  
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens

Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.  
 Una ingens Amiterna cohors priscique Quirites, 710  
 Ereti manus omnis oliviferaeque Mutuscae;  
 Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,  
 Qui Tetricae horrentis rupes montemque Severum  
 Casperiamque colunt Forulosque et flumen Himellae;  
 Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida mi-  
 sit 715

Nursia, et Hortinae classes populique Latini;  
 Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:  
 Quam multi Libyco volvontur marmore fluctus,  
 Saevos ubi Orion hibernis conditur undis;  
 Vel cum sole novo densae torrentur aristae, 720  
 Aut Hermi campo, aut Lyciae flaventibus arvis.  
 Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.

Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hostis,  
 Curru iungit Halaesus equos, Turnoque ferocis 725  
 Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho  
 Massica qui rastris, et quos de collibus altis  
 Aurunci misere patres, Sidicinaque iuxta  
 Aequeora, quique Cales lincunt, amnisque vadosi  
 Accola Volturini, pariterque Saticulus asper  
 Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes illis 730  
 Tela; sed haec lento mos est aptare flagello.  
 Laevas cetra tegit; falcati comminus enses.

Nec tu carminibus nostris indictus abibis,  
 Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha  
 Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret, 735  
 Iam senior; patriis sed non et filius arvis  
 Contentus late iam tum dicione premebat  
 Sarrastis populos et quae rigat aequeora Sarnus,  
 Quique Rufas Batulumque tenent adque arva Ce-  
 lemnae,  
 Et quos maliferae despectant moenia Abellae, 740  
 Teutonico ritu soliti torquere cateias;

Tegmina quis capitum raptus de subere cortex,  
Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.

Et te montosae misere in proelia Nersae,  
Ufens, insignem fama et felicibus armis; 745  
Horrida praecipue cui gens, adsuetaque multo  
Venatu nemorum, duris Aequicula glaebis.  
Armati terram exercent, semperque recentis  
Convectare iuvat praedas et vivere rapto.

Quin et Marruvia venit de gente sacerdos, 750  
Fronde super galeam et felici comptus oliva,  
Archippi regis missu, fortissimus Umbro,  
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris  
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat, 755  
Mulcebatque iras et morsus arte levabat.  
Sed non Dardaniae medicari cuspидis ictum  
Evaluit, neque eum iuvere in volnera cantus  
Somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.  
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus unda,  
Te liquidi flevere lacus. 760

Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello,  
Virbius, insignem quem mater Aricia misit,  
Eductum Egeriae lucis umentia circum  
Litora, pinguis ubi et placabilis ara Dianae.  
Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte no-  
vercae 765

Occiderit patriasque explerit sanguine poenas  
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus  
Aetheria et superas caeli venisse sub auras,  
Paeoniis revocatum herbis et amore Dianae.  
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab um-  
bris 770

Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,  
Ipse repertorem medicinae talis et artis  
Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas.  
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit

Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat, 775  
 Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevom  
 Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.  
 Unde etiam templo Triviae lucisque sacratīs  
 Cornipedes arcentur equi, quod litore currum  
 Et iuvenem monstris pavidi effudere marinīs. 780  
 Filius ardentis haud setius aequore campi  
 Exercebat equos curruque in bella ruebat.

Ipse inter primos praestanti corpore Turnus  
 Vertitur arma tenens, et toto vertice suprast.  
 Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram 785  
 Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis,  
 Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis,  
 Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae.  
 At levem clipeum sublatis cornibus Io  
 Auro insignibat, iam saetis obsita, iam bos, 790  
 Argumentum ingens, et custos virginis Argus,  
 Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.  
 Insequitur nimbus peditum, clipeataque totis  
 Agmina densentur campis, Argivaque pubes  
 Auruncaeque manus, Rutuli veteresque Sicani 795  
 Et Sacrae acies et picti scuta Labici;  
 Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici  
 Litus arant, Rutulosque exercent vomere collis,  
 Circaeumque iugum, quis Iuppiter Anxurus arvis  
 Praesidet, et viridi gaudens Feronia luco; 800  
 Qua Saturae iacet atra palus, gelidusque per imas  
 Quaerit iter vallis adque in mare conditur Ufens.

Hos super advenit Volsca de gente Camilla,  
 Agmen agens equitum et florentis aere catervas,  
 Bellatrix, non illa colo calathisque Minervae 805  
 Femineas adsueta manus, sed proelia virgo  
 Dura pati cursuque pedum praevertere ventos.  
 Illa vel intactae segetis per summa volaret  
 Gramina, nec teneras cursu laessisset aristas;  
 Vel mare per medium fluctu suspensa timenti 810

Ferret iter, celeris nec tingeret aequore plantas.  
Illam omnis tectis agrisque effusa iuventus  
Turbaque miratur matrum et prospectat euntem,  
Attonitis inhians animis, ut regius ostro  
Velet honos levis umeros, ut fibula crinem 815  
Auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram  
Et pastorem praefixa cuspide myrtum.

---

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER OCTAVOS.

---

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce  
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu,  
Utque acris concussit equos, utque inpulit arma,  
Extemplo turbati animi, simul omne tumultu  
Coniurat trepido Latium, saevitque iuventus 5  
Efferat. Ductores primi Messapus et Ufens  
Contemptorque deum Mezentius undique cogunt  
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.  
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,  
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros, 10  
Advectum Aenean classi victosque Penatis  
Inferre et fatis regem se dicere posci,  
Edoceat, multasque viro se adiungere gentis  
Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.  
Quid struat his coeptis, quem, si Fortuna sequatur, 15  
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi,  
Quam Turno regi, aut regi adparere Latino.

Talia per Latium. Quae Laomedontius heros  
Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu;  
Adque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, 20  
In partisque rapit varias perque omnia versat:

Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis  
 Sole repercussum aut radiantis imagine Lunae  
 Omnia pervolat late loca, iamque sub auras  
 Erigitur summique ferit laquearia tecti. 25  
 Nox erat, et terras animalia fessa per omnis  
 Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:  
 Cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe  
 Aeneas, tristi turbatus pectora bello,  
 Procubuit seramque dedit per membra quietem. 30  
 Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno  
 Populeas inter senior se attollere frondes  
 Visus; eum tenuis glauco velabat amictu  
 Carbasus, et crinis umbrosa tegebat harundo;  
 Tum sic adfari et curas his demere dictis: 35

O sate gente deum, Troianam ex hostibus urbem  
 Qui revehis nobis aeternaque Pergama servas,  
 Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,  
 Hic tibi certa domus, certi, ne absiste, Penates;  
 Neu belli terrere minis; tumor omnis et irae 40  
 Concessere deum.  
 Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,  
 Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,  
 Triginta capitum fetus enixa, iacebit,  
 Alba, solo recubans, albi circum ubera nati. 45  
 Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,  
 Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis  
 Ascanius clari condet cognominis Albam.  
 Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,  
 Expedias victor, paucis, adverte, docebo. 50  
 Arcades his oris, genus a Pallante profectum,  
 Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,  
 Delegere locum et posuere in montibus urbem  
 Pallantis proavi de nomine Pallanteum.  
 Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina; 55  
 Hos castris adhibe socios, et foedera iunge.  
 Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,  
 Adversum remis superes subvectus ut amnem.



Surge age, nate dea, primisque cadentibus astris  
 Iunoni fer rite preces, iramque minasque 60  
 Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem  
 Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis  
 Stringentem ripas et pingua culta secantem,  
 Caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis.  
 Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit. 65

Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,  
 Ima petens; nox Aenean somnusque reliquit.  
 Surgit, et, aetherii spectans orientia Solis  
 Lumina, rite cavis undam de flumine palmis  
 Sustinet, ac talis effundit ad aethera voces: 70  
 Nymphae, Laurentes Nymphae, genus omnibus  
 undest,

Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,  
 Accipite Aenean, et tandem arcete periclis.  
 Quo te cumque lacus, miserantem incommoda nostra,  
 Fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis, 75  
 Semper honore meo, semper celebrabere donis,  
 Corniger Hesperidum Fluvius regnator aquarum.  
 Adsis o tantum et propius tua numina firmes.  
 Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,  
 Remigioque aptat; socios simul instruit armis. 80

Ecce autem subitum adque oculis mirabile mon-  
 strum,  
 Candida per silvam cum fetu concolor albo  
 Procubuit viridique in litore conspicitur sus:  
 Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno,  
 Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram. 85  
 Thybris ea fluvium, quam longast, nocte tumentem  
 Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,  
 Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis  
 Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.  
 Ergo iter inceptum celerant rumore secundo. 90  
 Labitur uncta vadis abies; mirantur et undae,  
 Miratur nemus insuetum fulgentia longe

Scuta virum fluvio, pictasque innare carinas.  
 Olli remigio noctemque diemque fatigant,  
 Et longos superant flexus, variisque teguntur 95  
 Arboribus, viridisque secant placido aequore silvas.  
 Sol medium caeli conscenderat igneus orbem,  
 Cum muros arcemque procul ac rara domorum  
 Tecta vident; quae nunc Romana potentia caelo  
 Aequavit; tum res inopes Euandrus habebat. 100  
 Ocius advertunt proras, urbiue propinquant.

Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem  
 Amphitryoniadae magno divisque ferebat  
 Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,  
 Una omnes iuvenum primi pauperque senatus 105  
 Tura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.  
 Ut celsas videre rates, adque inter opacum  
 Adlabi nemus, et tacitis incumbere remis,  
 Terrentur visu subito, cunctique relictis  
 Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas 110  
 Sacra vetat, raptoque volat telo obviu ipse,  
 Et procul e tumulto: Iuvenes, quae caussa subegit  
 Ignotas temptare vias? quo tenditis? inquit.  
 Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?  
 Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta, 115  
 Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:  
 Troiugenas ac tela vides inimica Latinis,  
 Quos illi bello profugos egere superbo.  
 Euandrum petimus. Ferte haec, et dicite lectos  
 Dardaniae venisse duces, socia arma rogantis. 120  
 Opstipuit tanto percussus nomine Pallas:  
 Egredere o quicumque es, ait, coramque parentem  
 Adloquere, ac nostris succede penatibus hospes.  
 Excepitque manu, dextramque amplexus inhaesit.  
 Progressi subeunt luco, fluviumque relinunt. 125

Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis:  
 Optume Graiugenum, cui me Fortuna precari  
 Et vitta comptos voluit praetendere ramos,

Non equidem extimui, Danaum quod ductor et Arcas  
 Quodque ab stirpe fores geminis coniunctus Atridis; 130  
 Sed mea me virtus et sancta oracula divom,  
 Cognatique patres, tua terris didita fama,  
 Coniungere tibi, et fatis egere volentem.  
 Dardanus, Iliacae primus pater urbis et auctor,  
 Electra, ut Grai perhibent, Atlantide cretus, 135  
 Advehitur Teucros; Electram maxumus Atlans  
 Edidit, aetherios umero qui sustinet orbis.  
 Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia  
 Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;  
 At Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlans, 140  
 Idem Atlans generat, caeli qui sidera tollit.  
 Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.  
 His fretus non legatos neque prima per artem  
 Temptamenta tui pepigi; me, me ipse meumque  
 Obieci caput et supplex ad limina veni. 145  
 Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello  
 Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,  
 Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant,  
 Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra.  
 Accipe daque fidem. Sunt nobis fortia bello 150  
 Pectora, sunt animi et rebus spectata iuventus.

Dixerat Aeneas. Ille os oculosque loquentis  
 Iandudum et totum lustrabat lumine corpus.  
 Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrum,  
 Accipio adgnoscoque libens! ut verba parentis 155  
 Et vocem Anchisae magni voltumque recorder!  
 Nam memini Hesionae visentem regna sororis  
 Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,  
 Protinus Arcadiae gelidos invisere finis.  
 Tum mihi prima genas vestibat flore iuventa; 160  
 Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum  
 Laomedontiaden; sed cunctis altior ibat  
 Anchises. Mihi mens iuvenali ardebat amore  
 Compellare virum, et dextrae coniungere dextram;  
 Accessi, et cupidus Phenei sub moenia duxi. 165

Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas  
 Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,  
 Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea, Pallas.  
 Ergo et, quam petitis, iunctast mihi foedere dextra,  
 Et, lux cum primum terris se crastina reddet, 170  
 Auxilio laetos dimittam, opibusque iuvabo.  
 Interea sacra haec, quando huc venistis amici,  
 Annua, quae differre nefas, celebrate faventes  
 Nobiscum, et iam nunc sociorum adsuescite mensis.

Haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi 175  
 Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili,  
 Praecipuumque toro et villosi pelle leonis  
 Accipit Aenean, solioque invitat acerno.  
 Tum lecti iuvenes certatim araeque sacerdos  
 Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris 180  
 Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.  
 Vescitur Aeneas simul et Troiana iuventus  
 Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.

Postquam exempta fames et amor compressus  
 edendi,  
 Rex Euandrus ait: Non haec sollemnia nobis, 185  
 Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram  
 Vana superstitio veterumque ignara deorum  
 Inposuit: saevis, hospes Troiane, periclis  
 Servati facimus meritosque novamus honores.  
 Iam primum saxis suspensam hanc aspice rupem, 190  
 Disiectae procul ut moles, desertaque montis  
 Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.  
 Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,  
 Semihominis Caci facies quam dira tenebat,  
 Solis inaccessam radiis; semperque recenti 195  
 Caede tepebat humus, foribusque adfixa superbis  
 Ora virum tristi pendebant pallida tabo.  
 Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros  
 Ore vomens ignis magna se mole ferebat.  
 Attulit et nobis aliquando optantibus aetas 200

Auxilium adventumque dei. Nam maxumus ultor,  
 Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,  
 Alcides aderat, taurosque hac victor agebat  
 Ingentis, vallemque boves amnemque tenebant.  
 At furiis Caci mens effera, ne quid inausum 205  
 Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,  
 Quattuor a stabulis praestanti corpore tauros  
 Avertit, totidem forma superante iuencas.  
 Adque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,  
 Cauda in speluncam tractos versisque viarum 210  
 Indiciis raptos saxo occultabat opaco.  
 Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.  
 Interea, cum iam stabulis saturata moveret  
 Amphitryoniades armenta abiturumque pararet,  
 Discessu mugire boves, adque omne querelis 215  
 Impleri nemus, et colles clamore relinqui.  
 Reddidit una bovom vocem vastoque sub antro  
 Mugit et Caci spem custodita fefellit.  
 Hic vero Alcidae furiis exarserat atro  
 Felle dolor; rapit arma manu nodisque gravatum 220  
 Robur, et aerii cursu petit ardua montis.  
 Tum primum nostri Cacum videre timentem  
 Turbatumque oculis; fugit ilicet ocior Euro  
 Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.  
 Ut sese inclusit, ruptisque inmane catenis 225  
 Deiecit saxum, ferro quod et arte paterna  
 Pendebat, fultosque emuniit obice postis,  
 Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque  
 Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,  
 Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira 230  
 Lustrat Aventini montem; ter saxea temptat  
 Limina nequiquam; ter fessus valle resedit.  
 Stabat acuta silex, praecisis undique saxis  
 Speluncae dorso insurgens, altissima visu,  
 Dirarum nidis domus opportuna volucrum. 235  
 Hanc, ut prona iugo laevom incumbibat ad amnem,  
 Dexter in adversum nitens concussit, et imis  
 Avolsam solvit radicibus; inde repente

Impulit; impulsu quo maxumus intonat aether,  
 Dissultant ripae refluitque exterritus amnis. 240  
 At specus et Caci detecta adparuit ingens  
 Regia, et umbrosae penitus patuere cavernae:  
 Non secus, ac siqua penitus vi terra dehiscens  
 Infernas reseret sedes et regna recludat  
 Pallida, dis invisae, superque inmane barathrum 245  
 Cernatur, trepidentque inmisso lumine Manes.  
 Ergo insperata deprensus in luce repente  
 Inclusumque cavo saxo adque insueta rudentem  
 Desuper Alcides telis premit, omniaque arma  
 Advocat, et ramis vastisque molaribus instat. 250  
 Ille autem, neque enim fuga iam super ulla pericli,  
 Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,  
 Evomit involvitque domum caligine caeca,  
 Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro  
 Fumiferam noctem commixtis igne tenebris. 255  
 Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem  
 Praecipiti iecit saltu, qua plurimus undam  
 Fumus agit nebulaque ingens specus aestuat atra.  
 Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem  
 Corripit in nodum complexus, et angit inhaerens 260  
 Elisos oculos et siccum sanguine guttur.  
 Panditur extemplo foribus domus atra revolsis,  
 Abstractaeque boves abiurataeque rapinae  
 Caelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver  
 Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo 265  
 Terribilis oculos, voltum villosaque saetis  
 Pectora semiferi adque extinctos faucibus ignis.  
 Ex illo celebratus honos, laetique minores  
 Servavere diem, primusque Potitius auctor  
 Et domus Herculei custos Pinaria sacri. 270  
 Hanc aram luco statuit, quae Maxuma semper  
 Dicetur nobis, et erit quae maxuma semper.  
 Quare agite, o iuvenes, tantarum in munere laudum  
 Cingite fronde comas et pocula porcite dextris  
 Communemque vocate deum et date vina volentes. 275  
 Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra

Velavitque comas foliisque innexa pependit,  
 Et sacer inplevit dextram scyphus. Ocius omnes  
 In mensam laeti libant divosque precantur.

Devexo interea propior fit Vesper Olympo: 280  
 Iamque sacerdotes primusque Potitius ibant,  
 Pellibus in morem cincti, flammisque ferebant.  
 Instaurant epulas, et mensae grata secundae  
 Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.  
 Tum Salii ad cantus incensa altaria circum 285  
 Populeis adsunt evincti tempora ramis,  
 Hic iuvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes  
 Herculeas et facta ferunt: ut prima novercae  
 Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;  
 • Ut bello egregias idem disiecerit urbes, 290  
 Troiamque Oechaliamque; ut duros mille laboris  
 Rege sub Eurystheo fati Iunonis iniquae  
 Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris,  
 Hylaeumque Pholumque, manu, tu Cresia mactas  
 Prodigia et vastum Nemeae sub rupe leonem. 295  
 Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci  
 Ossa super recubans antro semiessa cruento;  
 Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus,  
 Arduus arma tenens; non te rationis egentem  
 Lernaean turba capitum circumstetit anguis. 300  
 Salve, vera Iovis proles, decus addite divis,  
 Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.  
 Talia carminibus celebrant; super omnia Caci  
 Speluncam adiciunt, spirantemque ignibus ipsum.  
 Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant. 305

Exim se cuncti divinis rebus ad urbem  
 Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aevo,  
 Et comitem Aenean iuxta natumque tenebat  
 Ingrediens, varioque viam sermone levabat.  
 Miratur facilisque oculos fert omnia circum 310  
 Aeneas, capiturque locis, et singula laetus  
 Exquiratque auditque virum monumenta priorum.

**Tum rex Euandrus Romanae conditor arcis :**  
**Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,**  
**Gensque virum truncis et duro robore nata,** 315  
 Quis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros,  
 Aut componere opes norant, aut parcere parto,  
 Sed rami adque asper victu venatus alebat.  
 Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,  
 Arma Iovis fugiens et regnis exsul adeptis. 320  
 Is genus indocile ac dispersum montibus altis  
 Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari  
 Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.  
 Aurea quae perhibent, illo sub rege fuere  
 Saecula: sic placida populos in pace regebat; 325  
 Deterior donec paulatim ac decolor aetas  
 Et belli rabies et amor successit habendi.  
 Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae,  
 Saepius et nomen posuit Saturnia tellus;  
 Tum reges asperque inmani corpore Thybris, 330  
 A quo post Itali fluvium cognomine Thybrim  
 Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.  
 Me pulsum patria pelagique extrema sequentem  
 Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum  
 His posuere locis, matrisque egere tremenda 335  
 Carmentis Nymphae monita et deus auctor Apollo.  
 Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat et aram  
 Et Carmentalem Romani nomine portam  
 Quam memorant, Nymphae priscum Carmentis ho-  
 norem,  
 Vatis fatidicae, cecinit quae prima futuros 340  
 Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.  
 Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum  
 Rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,  
 Parrhasio dictum Panos de more Lycaeï.  
 Nec non et sacri monstrat nemus Argileti, 345  
 Testaturque locum, et letum docet hospitii Argi.  
 Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,  
 Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.  
 Iam tum religio pavidos terrebat agrestis



Dira loci; iam tum silvam saxumque tremebant. 350  
 Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,  
 Quis deus incertumst, habitat deus; Arcades ipsum  
 Credunt se vidisse Iovem, cum saepe nigrantem  
 Aegida concuteret dextra, nimbosque cieret.  
 Haec duo praeterea disiectis oppida muris, 355  
 Reliquias veterumque vides monumenta virorum.  
 Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem;  
 Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.  
 Talibus inter se dictis ad tecta subibant  
 Pauperis Euandri, passimque armenta videbant 360  
 Romanoque foro et lautis mugire Carinis.  
 Ut ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor  
 Alcides subiit, haec illum regia cepit.  
 Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum  
 Finge deo, rebusque veni non asper egenis. 365  
 Dixit, et angusti subter fastigia tecti  
 Ingentem Aenean duxit, stratisque locavit  
 Effultum foliis et pelle Libystidis ursae.

Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.  
 At Venus haud animo nequiquam exterrita mater, 370  
 Laurentumque minis et duro mota tumultu  
 Vulcanum adloquitur, thalamoque haec coniugis aureo  
 Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:  
 Dum bello Argolici vastabant Pergama reges  
 Debita cassurasque inimicis ignibus arces, 375  
 Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi  
 Artis opisque tuae; nec te, carissime coniunx,  
 Incassumve tuos volui exercere laboris;  
 Quamvis et Priami deberem plurima natis,  
 Et durum Aeneae flevissem saepe laborem. 380  
 Nunc Iovis inperiis Rutulorum constitit oris:  
 Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen  
 Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,  
 Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.  
 Aspice, qui coeant populi, quae moenia clausis 385  
 Ferrum acuunt portis in me excidiumque meorum.

Dixerat, et niveis hinc adque hinc diva lacertis  
 Cunctantem amplexu molli foveat. Ille repente  
 Accepit solitam flammam, notusque medullas  
 Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit: 390  
 Non secus adque olim, tonitru cum rupta corusco  
 Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.  
 Sensit laeta dolis et formae conscia coniunx.  
 Tum pater aeterno fatur devinctus amore:  
 Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit 395  
 Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset,  
 Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;  
 Nec Pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant  
 Stare decemque alios Priamum superesse per annos.  
 Et nunc, si bellare paras adque haec tibi mens est, 400  
 Quidquid in arte mea possum promittere curae,  
 Quod fieri ferro liquidove potest electro,  
 Quantum ignes animaeque valent, absiste precando  
 Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus  
 Optatos dedit amplexus, placidumque petivit 405  
 Coniugis infusus gremio per membra soporem.

Inde ubi prima quies medio iam noctis abactae  
 Curriculo expulerat somnum, cum femina primum,  
 Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva  
 Inpositum, cinerem et sopitos suscitatur ignis, 410  
 Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo  
 Exercet penso, castum ut servare cubile  
 Coniugis et possit parvos educere natos:  
 Haud secus Ignipotens nec tempore segnior illo  
 Mollibus e stratis opera ad fabrilis surgit. 415  
 Insula Sicanium iuxta latus Aeoliamque  
 Erigitur Liparen; fumantibus ardua saxis,  
 Quam subter specus et Cyclopium exessa caminis  
 Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus  
 Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis. 420  
 Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat,  
 Volcani domus, et Volcania nomine tellus.  
 Hoc tunc Ignipotens caelo descendit ab alto.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,  
 Brontesque Steropesque et nudus membra Pyra-  
 cmon. 425

His informatum manibus iam parte polita  
 Fulmen erat, toto Genitor quae pluruma caelo  
 Deicit in terras, pars imperfecta manebat.  
 Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae  
 Addiderant, rutili tris ignis et alitis Austri. 430

Fulgores nunc terrificos sonitumque metumque  
 Miscebant operi flammisque sequacibus iras.  
 Parte alia Marti currumque rotasque volucris  
 Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes;  
 Aegidaque horrifera, turbatae Palladis arma, 435  
 Certatim squamis serpentum auroque polibant,  
 Conexosque anguis ipsamque in pectore divae  
 Gorgona, desecto vertentem lumina collo.

Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte laboris,  
 Aetnaei Cyclopes, et huc advertite mentem: 440  
 Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,  
 Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.

Praecipitate moras. Nec plura effatus; at illi  
 Ocius incubuere omnes, pariterque laborem  
 Sortiti. Fluit aes rivis aurique metallum, 445  
 Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.

Ingentem clipeum informant, unum omnia contra  
 Tela Latinorum, septenosque orbibus orbis  
 Inpediunt. Alii ventosis follibus auras  
 Accipiunt redduntque; alii stridentia tinguunt 450  
 Aera lacu. Gemit inpositis incudibus antrum.  
 Illi inter sese multa vi braccia tollunt  
 In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,  
 Euandrum ex humili tecto lux suscitât alma 455  
 Et matutini volucrum sub culmine cantus.  
 Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,  
 Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;  
 Tum lateri adque umeris Tegeaeum subligat ense,

Demissa ab laeva pantherae terga retorquens. 460  
 Nec non et gemini custodes limine ab alto  
 Praecedunt gressumque canes comitantur erilem.  
 Hospitis Aeneae sedem et secreta petebat,  
 Sermonum memor et promissi muneris, heros.  
 Nec minus Aeneas se matutinus agebat. 465  
 Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.  
 Congressi iungunt dextras, mediisque residunt  
 Aedibus, et licito tandem sermone fruuntur.  
 Rex prior haec:  
 Maxume Teucrorum ductor, quo sospite numquam 470  
 Res equidem Troiae victas aut regna fatebor,  
 Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto  
 Exiguae vires: hinc Tusco claudimur amni,  
 Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.  
 Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis 475  
 Iungere castra paro, quam fors inopina salutem  
 Ostentat. Fatis huc te poscentibus adfers.  
 Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto  
 Urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam  
 Gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis. 480  
 Hanc multos florentem annos rex deinde superbo  
 Inperio et saevis tenuit Mezentius armis.  
 Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni  
 Effera? di capiti ipsius generique reservent!  
 Mortua quin etiam iungebat corpora vivis, 485  
 Componens manibusque manus adque oribus ora,  
 Tormenti genus, et sanie taboque fluentis  
 Complexu in misero longa sic morte necabat.  
 At fessi tandem cives infanda furem  
 Armati circumsistunt ipsumque domumque, 490  
 Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.  
 Ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros  
 Confugere, et Turni defendier hospitis armis.  
 Ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis;  
 Regem ad supplicium praesenti Marte repossunt. 495  
 His ego te, Aenea, ductorem milibus addam.  
 Toto namque fremunt condensae litore puppes,

Signaque ferre iubent; retinet longaevos haruspex  
 Fata canens: O Maeoniae delecta iuventus,  
 Flos veterum virtusque virum, quos iustus in ho-  
 stem 500

Fert dolor et merita accendit Mezentius ira,  
 Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:  
 Externos optate duces. Tum Etrusca resedit  
 Hoc acies campo, monitis exterrita divom.  
 Ipse oratores ad me regnique coronam 505  
 Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon,  
 Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.  
 Sed mihi tarda gelu saeculisque effeta senectus  
 Invidet inperium seraeque ad fortia vires.  
 Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella 510  
 Hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis  
 Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,  
 Ingredere, o Teucrum adque Italum fortissime ductor.  
 Hunc tibi praeterea, spes et solacia nostri,  
 Pallanta adiungam; sub te tolerare magistro 515  
 Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta  
 Adsuescat, primis et te miretur ab annis.  
 Arcadas huic equites bis centum, robora pubis  
 Lecta, dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.

Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant 520  
 Aeneas Anchisiades et fidus Achates;  
 Multaque dura suo tristi cum corde putabant,  
 Ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.  
 Namque inproviso vibratus ab aethere fulgor  
 Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente, 525  
 Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.  
 Suspiciunt; iterum adque iterum fragor increpat ingens.  
 Arma inter nubem caeli in regione serena  
 Per sudum rutilare vident et pulsa tonare.  
 Opstipuerunt animis alii; sed Troius heros 530  
 Adgnovit sonitum et divae promissa parentis.  
 Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quaere profecto,  
 Quem cassum portenta ferant: ego poscor Olympo.

Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,  
Si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras 535  
Laturam auxilio.

Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!  
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub  
undas

Scuta virum galeasque et fortia corpora volves,  
Thy bri pater! Poscant acies, et foedera rumpant. 540

Haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto;  
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras  
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penatis  
Laetus adit; mactant lectas de more bidentis 545  
Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.  
Post hinc ad navis graditur, sociosque revisit;  
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,  
Praestantis virtute legit; pars cetera prona  
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,  
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque. 550  
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva;  
Ducunt exsortem Aeneae, quem fulva leonis  
Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.

Fama volat parvam subito volgata per urbem,  
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis. 555  
Vota metu duplicant matres, propiusque periculo  
It timor, et maior Martis iam adparet imago.  
Tum pater Euandrus dextram complexus euntis  
Haeret, inexpletus lacrimans, ac talia fatur:  
O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos, 560  
Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa  
Stravi scutorumque incendi victor acervos,  
Et regem hac Erulum dextra sub Tartara misi,  
Nascenti cui tris animas Feronia mater —  
Horrendum dictu — dederat, terna arma movenda; 565  
Ter Leto sternendus erat; cui tum tamen omnis  
Abstulit haec animas dextra, et totidem exuit armis.  
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,

Nate, tuo; neque finitimo Mezentius umquam  
 Huic capiti insultans, tot ferro saeva dedisset 570  
 Funera, tam multis viduasset civibus urbem.  
 At vos, o superi, et divom tu maxume rector  
 Iuppiter, Arcadii, quaeso, miserescite regis,  
 Et patrias audite preces: Si numina vestra  
 Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant, 575  
 Si visurus eum vivo et venturus in unum:  
 Vitam oro; patior quemvis durare laborem.  
 Sin aliquem infandum cassum, Fortuna, minaris:  
 Nunc, nunc o liceat crudelem abrumpere vitam,  
 Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri, 580  
 Dum te, care puer, mea sola et sera voluptas,  
 Complexu teneo; gravior neu nuntius auris  
 Volneret. Haec genitor digressu dicta supremo  
 Fundebat; famuli conlapsum in tecta ferebant.

Iamque adeo exierat portis equitatus apertis, 585  
 Aeneas inter primos et fidus Achates,  
 Inde alii Troiae procures; ipse agmine Pallas  
 In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:  
 Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda,  
 Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis, 590  
 Extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.  
 Stant pavidae in muris matres, oculisque secuntur  
 Pulveream nubem et fulgentis aere catervas.  
 Olli per dumos, qua proxuma meta viarum,  
 Armati tendunt; it clamor, et agmine facto 595  
 Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.  
 Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,  
 Religione patrum late sacer; undique colles  
 Includere cavi et nigra nemus abiete cingunt.  
 Silvano famast veteris sacrasse Pelasgos, 600  
 Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,  
 Qui primi finis aliquando habuere Latinos.  
 Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant  
 Castra locis, celsoque omnis de colle videri  
 Iam poterat legio, et latis tendebat in arvis. 605

Huc pater Aeneas et bello lecta iuventus  
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.

At Venus aetherios inter dea candida nimbos  
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta  
Ut procul et gelido secretum flumine vidit, 610  
Talibus adfatast dictis, seque obtulit ultro:  
En perfecta mei promissa coniugis arte  
Munera; ne mox aut Laurentis, nate, superbos,  
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.  
Dixit et amplexus nati Cytherea petivit; 615  
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.  
Ille, deae donis et tanto laetus honore,  
Expleri nequit adque oculos per singula volvit,  
Miraturque interque manus et brachia versat  
Terribilem cristis galeam flammisque vomentem, 620  
Fatiferumque ensem, lorica ex aere rigentem,  
Sanguineam, ingentem, qualis cum caerula nubes  
Solis inardescit radiis longaeque refulget;  
Tum levis ocreas electro auroque recocto,  
Hastamque, et clipei non enarrabile textum. 625  
Illic res Italas Romanorumque triumphos,  
Haud vatum ignarus venturique inscius aevi,  
Fecerat Ignipotens; illic genus omne futurae  
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.  
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro 630  
Procubuisse lupam; geminos huic ubera circum  
Ludere pendentis pueros, et lambere matrem  
Inpavidos; illam tereti cervice reflexam  
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.  
Nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabi-  
nas 635  
Consessu caveae, magnis Circensibus actis,  
Addiderat, subitoque novom consurgere bellum  
Romulidis Tatioque seni Curibusque severis.  
Post idem inter se posito certamine reges  
Armati Iovis ante aram paterasque tenentes 640  
Stabant et caesa iungebant foedera porca.



Haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae  
 Distulerant — at tu dictis, Albane, maneres! —  
 Raptabatque viri mendacis viscera Tullus  
 Per silvam, et sparsi rorabant sanguine vepres. 645  
 Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat  
 Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;  
 Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.  
 Illum indignanti similem, similemque minanti  
 Aspiceres, pontem auderet quia vellere Cocles, 650  
 Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.  
 In summo custos Tarpeiae Manlius arcis  
 Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,  
 Romuleoque recens horrebat regia culmo.  
 Adque hic auratis volitans argenteus anser 655  
 Porticibus Gallos in limine adesse canebat;  
 Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,  
 Defensi tenebris et dono noctis opacae;  
 Aurea caesaries ollis, adque aurea vestis;  
 Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla 660  
 Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant  
 Gaesa manu, scutis protecti corpora longis.  
 Hic exsultantis Salios, nudosque Lupercos,  
 Lanigerosque apices, et lapsa ancilia caelo  
 Extuderat; castae ducebant sacra per urbem 665  
 Pilentis matres in molibus. Hinc procul addit  
 Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,  
 Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci  
 Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;  
 Secretosque pios; his dantem iura Catonem. 670  
 Haec inter tumidi late maris ibat imago,  
 Aurea, sed fluctu spumabant caerula cano;  
 Et circum argento clari delphines in orbem  
 Aequora verrebant caudis aestumque secabant.  
 In medio classis aeratas, Actia bella, 675  
 Cernere erat; totumque instructo Marte videres  
 Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.  
 Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar  
 Cum Patribus Populoque, Penatibus et magnis Dis,

Stans celsa in puppi; geminas cui tempora flammæ 680  
 Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.  
 Parte alia ventis et dis Agrippa secundis  
 Arduus agmen agens; cui, belli insigne superbum,  
 Tempora navali fulgent rostrata corona.  
 Hinc ope barbarica variisque Antonius armis, 685  
 Victor ab Auroræ populis et litore rubro,  
 Aegyptum virisque Orientis et ultima secum  
 Bactra vehit; sequiturque, nefas! Aegyptia coniunx.  
 Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis  
 Convolsum remis rostrisque tridentibus, aequor. 690  
 Alta petunt; pelago credas innare revolsas  
 Cycladas, aut montis concurrere montibus altos:  
 Tanta mole viri turritis puppibus instant.  
 Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum  
 Spargitur; arva nova Neptunia caede rubescunt. 695  
 Regina in mediis patrio vocat agmina sistro;  
 Necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.  
 Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis  
 Contra Neptunum et Venerem contraque Minervam  
 Tela tenent. Saevit medio in certamine Mavors 700  
 Caelatus ferro, tristesque ex aethere Diræ;  
 Et scissa gaudens vadit Discordia palla,  
 Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.  
 Actius haec cernens arcum intendebat Apollo  
 Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi, 705  
 Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.  
 Ipsa videbatur ventis regina vocatis  
 Vela dare, et laxos iam iamque inmittere funis.  
 Illam inter caedes pallentem morte futura  
 Fecerat Ignipotens undis et lapyge ferri; 710  
 Contra autem magno maerentem corpore Nilum,  
 Pandentemque sinus et tota veste vocantem  
 Caeruleum in gremium latebrosaue flumina victos.  
 At Caesar, triplici invectus Romana triumpho  
 Moenia, dis Italis votum immortale sacrabat, 715  
 Maxuma tercentum totam delubra per Urbem.  
 Laetitia ludisque viae plausuque fremebant;

276 VERGILI AENEIDOS LIB. VIII.

Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;  
 Ante aras terram caesi stravere iuveni.  
 Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi, 720  
 Dona recognoscit populorum aptatque superbis  
 Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,  
 Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.  
 Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,  
 Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos 725  
 Finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis;  
 Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;  
 Indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.  
 Talia per clipeum Volcani, dona parentis,  
 Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet, 730  
 Attollens umero famamque et fata nepotum.

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER NONUS.

---

Adque ea diversa penitus dum parte geruntur,  
Irim de caelo misit Saturnia Iuno  
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis  
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.  
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locutast: 5  
Turne, quod optanti divom promittere nemo  
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.  
Aeneas, urbe et sociis et classe relictâ,  
Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.  
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes, 10  
Lydorumque manum collectos armat agrestis.  
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.  
Rumpe moras omnis et turbata arripe castra.  
Dixit, et in caelum paribus se sustulit alis,  
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. 15  
Adgnovit iuvenis, duplicisque ad sidera palmas  
Sustulit, ac tali fugientemst voce secutus:  
Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam  
Detulit in terras? unde haec tam clara repente  
Tempestas? medium video discedere caelum, 20  
Palantisque polo stellas. Sequor omina tanta,  
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam

Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,  
Multa deos orans, oneravitque aethera votis.

Iamque omnis campis exercitus ibat apertis, 25  
Dives ecum, dives pictai vestis et auri;  
Messapus primas acies, postrema coercent  
Tyrrhidae iuvenes; medio dux agmine Turnus;  
[Vertitur arma tenens, et toto vertice suprast.]  
Ceus septem surgens sedatis amnibus altus 30  
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus  
Cum refluit campis et iam se condidit alveo.  
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem  
Prospiciunt Teucrici, ac tenebras insurgere campis.  
Primus ab adversa conclamat mole Caius: 35  
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!  
Ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros,  
Hostis adest, heia! Ingenti clamore per omnis  
Condunt se Teucrici portas, et moenia complent.  
Namque ita discedens praeceperat optumus armis 40  
Aeneas: siqua interea fortuna fuisset,  
Neu struere auderent aciem, neu credere campo;  
Castra modo et tutos servarent aggere muros.  
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,  
Obiciunt portas tamen et praecepta facessunt, 45  
Armatique cavis exspectant turribus hostem.  
Turnus, ut ante volans tardum praecesserat agmen,  
Viginti lectis equitum comitatus et urbi  
Improvisus adest; maculis quem Thracicus albis  
Portat ecus, cristaque tegit galea aurea rubra. 50  
Ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem —?  
En, ait. Et iaculum attorquens emittit in auras,  
Principium pugnae, et campo sese arduus infert.  
Clamore excipiunt socii, fremituque secuntur  
Horrisono; Teucrum mirantur inertia corda: 55  
Non aequo dare se campo, non obvia ferre  
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus adque huc  
Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.  
Ac veluti pleno lupo insidiatus ovili

Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbris, 60  
 Nocte super media; tuti sub matribus agni  
 Balatum exercent; ille asper et improbus ira  
 Saevit in absentis; collecta fatigat edendi  
 Ex longo rabies, et siccae sanguine fauces:  
 Haud aliter Rutulo muros et castra tuenti 65  
 Ignescunt irae; duris dolor ossibus ardet,  
 Qua temptet ratione aditus, et quae via clausos  
 Excutiat Teucros vallo adque effundat in aecum.  
 Classem, quæ lateri castrorum adiuncta latebat,  
 Aggeribus saeptam circum et fluvialibus undis, 70  
 Invadit, sociosque incendia poscit ovariantis,  
 Adque manum pinu flagranti fervidus inplet.  
 Tum vero incumbunt; urguet praesentia Turni;  
 Adque omnis facibus pubes accingitur atris.  
 Diripuerunt focos; piceum fert fumida lumen 75  
 Taeda, et commixtam Vulcanus ad astra favillam.

Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris  
 Avertit? tantos ratibus quis depulit ignis?  
 Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.  
 Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida 80  
 Aeneas classem, et pelagi petere alta parabat,  
 Ipsa deum fertur genetrix Berecynthia magnum  
 Vocibus his adfata Iovem: Da, nate, petenti,  
 Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.  
 Pineae silva mihi, multos dilecta per annos; 85  
 Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,  
 Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:  
 Has ego Dardanio iuveni, cum classis egeret,  
 Laeta dedi; nunc sollicitam timor anxius angit.  
 Solve metus, adque hoc precibus sine posse parentem, 90  
 Neu cursu quassatae ullo neu turbine venti  
 Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.  
 Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:  
 O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?  
 Mortaline manu factae immortale carinae 95  
 Fas habeant? certusque incerta pericula lustret

Aeneas? cui tanta deo permissa potestas?  
 Immo, ubi defunctae finem portusque tenebunt  
 Ausonios olim, quaecumque evaserit undis  
 Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva, 100  
 Mortalem eripiam formam, magnique iubebo  
 Aequeris esse deas, qualis Nereia Doto  
 Et Galatea secant spumantem pectore pontum.  
 Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris,  
 Per pice torrentis atraque voragine ripas 105  
 Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum.

Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcae  
 Debita conplerant: cum Turni iniuria Matrem  
 Admonuit ratibus sacris depellere taedas.  
 Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens 110  
 Visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus,  
 Idaeique chori; tum vox horrenda per auras  
 Excidit et Troum Rutulorumque agmina conplet:  
 Ne trepidate meas, Teucris, defendere navis,  
 Neve armate manus; maria ante exurere Turno, 115  
 Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutae,  
 Ite deae pelagi; genetrix iubet. Et sua quaeque  
 Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,  
 Delphinumque modo demersis aequora rostris  
 Ima petunt. Hinc virgineae, mirabile monstrum, 120  
 [Quot prius aeratae steterant ad litora prorae]  
 Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.

Opstipuerunt animi Rutulis; contreritus ipse  
 Turbatus Messapus equis; cunctatur et amnis  
 Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto. 125  
 At non audaci Turno fiducia cessit;  
 Ultro animos tollit dictis, adque increpat ultro:  
 Troianos haec monstra petunt; his Iuppiter ipse  
 Auxilium solitum eripuit, non tela, neque ignis  
 Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris, 130  
 Nec spes ulla fugae; rerum pars altera ademptast;  
 Terra autem in nostris manibus; tot milia, gentes  
 Arma ferunt Italiae. Nil me fatalia terrent,

Siqua Phryges prae se iactant, responsa deorum:  
 Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva      135  
 Fertilis Ausoniae Troes. Sunt et mea contra  
 Fata mihi, ferro sceleratam excindere gentem,  
 Coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas  
 Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.  
 Sed periisse semel satis est: peccare fuisset      140  
 Ante satis, penitus modo non genus omne perosos  
 Feminium. Quibus haec mediū fiducia valli  
 Fossarumque morae, leti discrimina parva,  
 Dant animos. At non viderunt moenia Troiae  
 Neptuni fabricata manu considerare in ignis?      145  
 Sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum  
 Apparat et mecum invadit trepidantia castra?  
 Non armis mihi Volcani, non mille carinis  
 Est opus in Teucros. Addant se protinus omnes  
 Etrusci socios. Tenebras et inertia furta      150  
 [Palladii, caesis summae custodibus arcis,]  
 Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo;  
 Luce, palam, certumst igni circumdare muros.  
 Haud sibi cum Danaïs rem faxo et pube Pelasga  
 Esse putent, decumum quos distulit Hector in an-  
 num.      155  
 Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,  
 Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus  
 Procurate, viri; et pugnam sperate parari.  
 Interea vigilum excubiis obsidere portas  
 Cura datur Messapo et moenia cingere flammis.      160  
 Bis septem Rutuli, muros qui milite servant,  
 Delecti; ast illos centeni quemque secuntur  
 Purpurei cristis iuvenes auroque corusci.  
 Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam  
 Indulgent vino, et vertunt crateras aenos.      165  
 Conlucent ignes; noctem custodia ducit  
 Insomnem ludo.

Haec super e vallo prospectant Troes, et armis  
 Alta tenent; nec non trepidi formidine portas



Explorant, pontisque et propugnacula iungunt, 170  
 Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,  
 Quos pater Aeneas, siquando adversa vocarent,  
 Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistrōs.  
 Omnis per muros legio, sortita periculum,  
 Excubat exercetque vices, quod cuique tuendumst. 175

Nisus erat portae custos, acerrimus armis,  
 Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida  
 Venatrix, iaculo celerem levibusque sagittis;  
 Et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter  
 Non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma, 180  
 Ora puer prima signans intonsa iuventa.  
 His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;  
 Tum quoque communi portam statione tenebant.  
 Nisus ait: Dine hunc ardorem mentibus addunt,  
 Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido? 185  
 Aut pugnam, aut aliquid iandudum invadere magnum  
 Mens agitat mihi, nec placida contenta quicquid.  
 Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.  
 Lumina rara micant; somno vinoque soluti  
 Procubuerunt; silent late loca. Percipe porro, 190  
 Quid dubitem, et quae nunc animo sententia surgat.  
 Aenean acciri omnes, populusque patresque,  
 Exposcunt, mittique viros, qui certa reportent.  
 Si, tibi quae posco, praeferunt, — nam mihi facti  
 Fama sat est, — tumultu videor reperire sub illo 195  
 Posse viam ad muros et moenia Pallantea.  
 Opstipuit magno laudum percussus amore  
 Euryalus; simul his ardentem adfatur amicum:  
 Mene igitur socium summis adiungere rebus,  
 Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam? 200  
 Non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes,  
 Argolicum terrorem inter Troiaeque laboris  
 Sublatum erudit; nec tecum talia gessi,  
 Magnanimum Aenean et fata extrema secutus:  
 Est hic, est animus lucis contemptor, et istum 205  
 Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

Nisus ad haec: Equidem de te nil tale verebar,  
 Nec fas; non: ita me referat tibi magnus ovantem  
 Iuppiter, aut quicumque oculis haec aspicit aequis.  
 Sed siquis — quae multa vides discrimine tali — 210  
 Si quis in adversum rapiat cassusve deusve,  
 Te superesse velim; tua vita dignior aetas.  
 Sit, qui me raptum pugna pretiove redemptum  
 Mandet humo, solita aut siqua id fortuna vetabit,  
 Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro. 215  
 Neu matri miserae tanti sim caussa doloris,  
 Quae te sola, puer, multis e matribus ausa  
 Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.  
 Ille autem: Caussas nequiquam nectis inanis,  
 Nec mea iam mutata loco sententia cedit. 220  
 Adceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi  
 Succedunt servantque vices; statione relicta  
 Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.

Cetera per terras omnis animalia somno  
 Laxabant curas et corda oblita laborum: 225  
 Ductores Teucrum primi, delecta iuventus,  
 Consilium summis regni de rebus habebant,  
 Quid facerent, quisve Aeneae iam nuntius esset;  
 Stant longis adnixa hastis et scuta tenentes  
 Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una 230  
 Euryalus confestim alacres admittier orant;  
 Rem magnam, pretiumque morae fore. Primus Iulus  
 Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.  
 Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,  
 Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis, 235  
 Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti  
 Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,  
 Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto;  
 Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus  
 Erigitur; si fortuna permittitis uti, 240  
 Quaesitum Aenean et moenia Pallantea:  
 Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,  
 Adfore cernetis. Nec nos via fallit euntis:

Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem  
 Venatu adsiduo et totum cognovimus amnem. 245  
 Hic annis gravis adque animi maturus Aletes:  
 Di patrii, quorum semper sub numine Troiast,  
 Non tamen omnino Teucros delere paratis,  
 Cum talis animos iuvenum et tam certa tulistis  
 Pectora. — Sic memorans, umeros dextrasque tene-  
 bat 250  
 Amborum, et voltum lacrimis adque ora rigabat. —  
 Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis,  
 Praemia posse rear solvi? pulcherrima primum  
 Di moresque dabunt vestri; tum cetera reddet  
 Actutum pius Aeneas adque integer aevi 255  
 Ascanius, meriti tanti non inmemor umquam.  
 Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,  
 Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penatis  
 Assaracique Larem et canae penetralia Vestae  
 Obtestor; quaecumque mihi fortuna fidesquest, 260  
 In vestris pono gremiis: revocate parentem,  
 Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.  
 Bina dabo argento perfecta adque aspera signis  
 Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba,  
 Et tripodas geminos, auri duo magna talenta, 265  
 Cratera anticum, quem dat Sidonia Dido.  
 Si vero capere Italiam sceptrisque potiri  
 Contigerit victori, et praedae dicere sortem:  
 Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis  
 Aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentis 270  
 Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.  
 Praeterea bis sex genitor lectissima matrum  
 Corpora captivosque dabit, suaeque omnibus arma;  
 Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.  
 Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas 275  
 Insequitur, venerande puer, iam pectore toto  
 Accipio et comitem cassus conplector in omnis.  
 Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;  
 Seu pacem seu bella geram, tibi maxuma rerum  
 Verborumque fides. Contra quem talia fatur 280

Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis  
 Dissimilem arguerit; tantum! fortuna secunda  
 Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona  
 Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta  
 Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus 285  
 Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.  
 Hanc ego nunc ignaram huius quodcumque periclist  
 Inque salutatam linquo; Nox et tua testis  
 Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.  
 At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ. 290  
 Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo  
 In cassus omnis. Percussa mente dedere  
 Dardanidae lacrimas; ante omnis pulcher Iulus,  
 Adque animum patriae strinxit pietatis imago.  
 Tum sic effatur: 295  
 Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.  
 Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusae  
 Solum defuerit, nec partum gratia talem  
 Parva manet. Cassus factum quicumque sequentur,  
 Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat: 300  
 Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis,  
 Haec eadem matrique tuae generique manebunt.  
 Sic ait inlacrimans; umero simul exiit ensem,  
 Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon  
 Gnosius adqueabilem vagina aptarat eburna. 305  
 Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis  
 Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.  
 Protinus armati incedunt; quos omnis euntis  
 Primorum manus ad portas, iuvenumque senumque,  
 Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus, 310  
 Ante annos animumque gerens curamque virilem,  
 Multa patri mandata dabat portanda. Sed auræ  
 Omnia discernunt, et nubibus inrita donant.

Egressi superant fossas, noctisque per umbram  
 Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri 315  
 Exitio. Passim somno vinoque per herbam  
 Corpora fusa vident, arrectos litore currus,

Inter lora rotasque viros, simul arma iacere,  
 Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus :  
 Euryale, audendum dextra; nunc ipsa vocat res. 320  
 Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis  
 A tergo possit, custodi et consule longe;  
 Haec ego vasta dabo, et lato te limite ducam.  
 Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum  
 Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis 325  
 Exstructus toto proflabat pectore somnum,  
 Rex idem, et regi Turno gratissimus augur;  
 Sed non augurio potuit depellere pestem.  
 Tris iuxta famulos temere inter tela iacentis  
 Armigerumque Remi premit aurigamque sub ipsis 330  
 Nactus equis, ferroque secatur pendentia colla;  
 Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit  
 Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore  
 Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamum-  
 que  
 Et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte 335  
 Luserat, insignis facie, multoque iacebat  
 Membra deo victus; felix, si protinus illum  
 Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.  
 Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans;  
 Suadet enim vaesana fames; manditque trahitque 340  
 Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.  
 Nec minor Euryali caedes; incensus et ipse  
 Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem,  
 Fadumque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque,  
 Ignaros; Rhoetum vigilantem et cuncta videntem; 345  
 Sed magnum metuens se post cratera tegebat;  
 Pectore in adverso totum cui comminus ensem  
 Condidit adsurgenti, et multa morte recepit.  
 Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta  
 Vina refert moriens; hic furto fervidus instat. 350  
 Iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem  
 Deficere extremum et religatos rite videbat  
 Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus —  
 Sensit enim nimia caede adque cupidine ferri —

Absistamus, ait; nam lux inimica propinquat. 355  
 Poenarum exhaustum satis est; via facta per hostia.  
 Multa virum solido argento perfecta relinunt  
 Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.  
 Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis  
 Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim 360  
 Quae mittit dona, hospitio cum iungeret absens,  
 Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;  
 \*Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;  
 Haec rapit, adque umeris nequiquam fortibus aptat.  
 Tum galeam Messapiabilem cristisque docoram 365  
 Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.

Interea praemissi equites ex urbe Latina,  
 Cetera dum legio campis instructa moratur,  
 Ibant et Turno regi responsa ferebant,  
 Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro. 370  
 Iamque propinquabant castris, muroque subibant,  
 Cum procul hos laevo flectentis limite cernunt,  
 Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra  
 Praedidit inmemorem radiisque adversa refulsit.  
 Haud temerest visum. Conclamat ab agmine Vol-  
 scens: 375

State, viri; quae caussa viae? quive estis in armis?  
 Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra,  
 Sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.  
 Obiciunt equites sese ad divortia nota  
 Hinc adque hinc, omnemque abitura custode coro-  
 nant. 380

Silva fuit late dumis adque ilice nigra  
 Horrida, quam densi conplerant undique sentes;  
 Rara per occultos lucebat semita calles.  
 Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda  
 Inpediunt, fallitque timor regione viarum. 385  
 Nisus abit; iamque imprudens evaserat hostis  
 Adque locos, qui post Albae de nomine dicti  
 Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat:  
 Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum.

Euryale infelix, qua te regione reliqui? 390  
 Quæve sequar, rursus perplexum iter omne revolvens  
 Fallacis silvæ? Simul et vestigia retro  
 Observata legit, dumisque silentibus errat.  
 Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.  
 Nec longum in medio tempus, cum clamor ad auris 395  
 Pervenit, ac videt Euryalum; quem iam manus omnis,  
 Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,  
 Oppressum rapit et conantem pluruma frustra.  
 Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis  
 Eripere? an sese medios moriturus in enses 400  
 Inferat, et pulchram properet per volnera mortem?  
 Ocius adducto torquens hastile lacerto,  
 Suspiciens altam Lunam, et sic voce precatur:  
 Tu, dea, tu præsens nostro succurre labori,  
 Astrorum decus et nemorum Latonia custos; 405  
 Siqua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris  
 Dona tulit, siqua ipse meis venatibus auxi,  
 Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:  
 Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.  
 Dixerat, et toto conixus corpore ferrum 410  
 Conicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,  
 Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique  
 Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.  
 Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen  
 Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat. 415  
 Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem  
 Ecce aliud summa telum librabat ab aure.  
 Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque,  
 Stridens, traiectoque haesit tepefacta cerebro.  
 Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam 420  
 Auctorem, nec quo se ardens inmittere possit.  
 Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas  
 Persolves amborum, inquit; simul ense recluso  
 Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,  
 Conclamat Nisus; nec se celare tenebris 425  
 Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:  
 Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,

O Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,  
Nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor;  
Tantum infelicem nimium dilexit amicum. 430

Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus  
Transabiit costas et candida pectora rumpit.  
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus  
It cruor, inque umeros cervix conlapsa recumbit:  
Purpureus veluti cum flos succisus aratro 435

Languescit moriens, lassove papavera collo  
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.  
At Nisus ruit in medios, solumque per omnis  
Volscentem petit; in solo Volscente moratur.  
Quem circum glomerati hostes hinc comminus adque  
hinc 440

Proturbant. Instat non setius, ac rotat ensem  
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore  
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.  
Tum super exanimum sese proiecit amicum  
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit. 445

Fortunati ambo! siquid mea carmina possunt,  
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo,  
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum  
Accolet, inperiumque pater Romanus habebit.

Victores praeda Rutuli spoliisque potiti, 450  
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.  
Nec minor in castris luctus Rhamneta reperto  
Exsanguis et primis una tot caede peremptis,  
Serranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa  
Corpora seminecisque viros, tepidaque recentem 455  
Caede locum et plenos spumanti sanguine rivos.  
Adgnoscent spolia inter se, galeamque nitentem  
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.

Et iam prima novo spargebat lumine terras  
Tithoni croceum linquens Aurora cubile: 460  
Iam sole infuso, iam rebus luce relectis,



Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,  
 Suscitât, aeratasque acies in proelia cogit  
 Quisque suas, variisque acuunt rumoribus iras.  
 Quin ipsa arrectis — visu miserabile — in hastis 465  
 Praefigunt capita et multo clamore secuntur  
 Euryali et Nisi.

Aeneadae duri murorum in parte sinistra  
 Opposuerunt aciem, — nam dextera cingitur amni —  
 Ingentisque tenent fossas, et turribus altis 470  
 Stant maestî; simul ora virum praefixa movebant,  
 Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.

Interea pavidam volitans pinnata per urbem  
 Nuntia Fama ruit, matrisque adlabitur auris  
 Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit; 475  
 Excussi manibus radii, revolutaque pensa.  
 Evolat infelix, et femineo ululatu,  
 Scissa comam, muros amens adque agmina cursu  
 Prima petit, non illa virum, non illa pericli  
 Telorumque memor; caelum dehinc questibus inplet: 480  
 Hunc ego te, Euryale, aspicio? tune ille senectae  
 Sera meae requies, potuisti linquere solam,  
 Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,  
 Adfari extremum miserae data copia matri?  
 Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis 485  
 Alitibusque iaces! nec te tua funere mater  
 Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,  
 Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque  
 Urguebam et tela curas solabar anilis.  
 Quo sequar? aut quae nunc artus avolsaque mem-  
 bra 490

Et funus lacerum tellus habet? Hoc mihi de te,  
 Nate, refers? hoc sum terraeque marique secuta?  
 Figite me, siquast pietas, in me omnia tela  
 Conicite, o Rutuli, me primam absumite ferro;  
 Aut tu, magne pater divom, miserere, tuoque 495  
 Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,  
 Quando aliter nequeo crudelem abrumperè vitam.

Hoc fletu concussi animi, maestusque per omnis  
 It gemitus; torpent infractae ad proelia vires.  
 Illam incendentem luctus Idaeus et Actor 500  
 Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli  
 Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro  
 Increpuit; sequitur clamor, caelumque remugit.  
 Adcelerant acta pariter testudine Volsci; 505  
 Et fossas implere parant ac vellere vallum.  
 Quaerunt pars aditum, et scalis ascendere muros,  
 Qua rarast acies interlucetque corona  
 Non tam spissa viris. Telorum effundere contra  
 Omne genus Teucris ac duris detrudere contis, 510  
 Adsueti longo muros defendere bello.  
 Saxa quoque infestoolvebant pondere, siqua  
 Possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnis  
 Ferre iuvat subter densa testudine cassus.  
 Nec iam sufficiunt. Nam qua globus imminet in-  
 gens, 515

Inmanem Teucris molemvolvontque ruuntque,  
 Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit  
 Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte  
 Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo  
 Missilibus certant. 520  
 Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam  
 Pinum et fumiferos infert Mezentius ignis;  
 At Messapus ecum domitor, Neptunia proles,  
 Rescindit vallum et scalas in moenia poscit.

Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti, 525  
 Quas ibi tum ferro strages, quae funera Turnus  
 Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco;  
 Et mecum ingentis oras evolvite belli.  
 [Et meministis enim, divae, et memorare potestis.]

Turris erat vasto suspectu et pontibus altis, 530  
 Opportuna loco; summis quam viribus omnes  
 Expugnare Itali summaque evertere opum vi

Certabant, Troes contra defendere saxis  
 Perque cavas densi tela intorquere fenestras.  
 Princeps ardentem coniecit lampada Turnus, 535  
 Et flammam adfixit lateri; quae pluruma vento  
 Corripuit tabulas et postibus haesit adessis.  
 Turbati trepidare intus, frustraue malorum  
 Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt  
 In partem, quae peste caret, tum pondere turris 540  
 Procubuit subito, et caelum tonat omne fragore.  
 Semineces ad terram, inmani mole secuta,  
 Confixique suis telis et pectora duro  
 Transfossi ligno veniunt. Vix unus Helenor  
 Et Lycus elapsi; quorum primaevos Helenor, 545  
 Maeonio regi quem serva Licymnia furtim  
 Sustulerat vetitisque ad Troiam miserat armis,  
 Ense levis nudo parmaque inglorius alba.  
 Isque ubi se Turni media inter milia vidit,  
 Hinc acies adque hinc acies adstare Latinas: 550  
 Ut fera, quae, densa venantium saepta corona,  
 Contra tela furit, seseque haud nescia morti  
 Inicit et saltu supra venabula fertur,  
 Haud aliter iuvenis medios moriturus in hostis  
 Inruit, et, qua tela videt densissima, tendit. 555  
 At pedibus longe melior Lycus inter et hostis  
 Inter et arma fuga muros tenet, altaque certat  
 Prendere tecta manu sociumque attingere dextras.  
 Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,  
 Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens, 560  
 Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum  
 Pendentem, et magna muri cum parte revellit:  
 Qualis ubi aut leporem aut candenti corpore cycnum  
 Sustulit alta petens pedibus Iovis armiger uncis,  
 Quaesitum aut matri multis balatibus agnum 565  
 Martius a stabulis rapuit lupo. Undique clamor  
 Tollitur; invadunt et fossas aggere complent;  
 Ardentis taedas alii ad fastigia iactant.  
 Ilioneus saxo adque ingenti fragmine montis  
 Lucetium, portae subeuntem ignisque ferentem, 570

Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asilas,  
 Hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta;  
 Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus,  
 Turnus Itym Cloniumque, Dioxippum Promolumque,  
 Et Sagarim et summis stantem pro turribus Idan; 575  
 Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Themillae  
 Strinxerat: ille manum proiecto tegmine demens  
 Ad vulnus tulit; ergo alis adlapsa sagitta  
 Et laevo infixast lateri manus, abditaque intus  
 Spiramenta animae letali vulnere rupit. 580  
 Stabat in egregiis Arcentis filius armis,  
 Pictus acu chlamydem et ferrugine clarus Hibera,  
 Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,  
 Eductum matris luco Symaethia circum  
 Flumina, pinguis ubi et placabilis ara Palici: 585  
 Stridentem fundam positis Mezentius hastis  
 Ipse ter adducta circum caput egit habena,  
 Et media adversi liquefacto tempora plumbo  
 Diffidit, ac multa porrectum extendit harena.

Tum primum bello celerem intendisse sagittam 590  
 Dicitur, ante feras solitus terrere fugacis,  
 Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;  
 Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem  
 Germanam nuper thalamo sociatus habebat.  
 Is primam ante aciem digna adque indigna relatu 595  
 Vociferans, tumidusque novo praecordia regno  
 Ibat et ingentem sese clamore ferebat:  
 Non pudet obsidione iterum valloque teneri,  
 Bis capti Phryges, et morti praetendere muros?  
 En, qui nostra sibi bello conubia poscunt! 600  
 Quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?  
 Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.  
 Durum ab stirpe genus natos ad flumina primum  
 Deferimus saevoque gelu duramus et undis;  
 Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant; 605  
 Flectere ludus equos et spicula tendere cornu.  
 At patiens operum parvoque adsueta iuventus

Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.  
 Omne aevom ferro teritur, versaque iuvenum  
 Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus 610  
 Debilitat viris animi mutatque vigorem:  
 Canitiem galea premimus; semperque recentis  
 Comportare iuvat praedas et vivere rapto.  
 Vobis picta croco et fulgenti murice vestis;  
 Desidiaē cordi; iuvat indulgere choreis; 615  
 Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae.  
 O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta  
 Dindyma, ubi adsuetis biformem dat tibia cantum.  
 Tympana vos buxusque vocat Berecynthia Matris  
 Idaeae: sinite arma viris, et cedite ferro. 620

Talia iactantem dictis ac dira canentem  
 Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino  
 Contendit telum, diversaue brachia ducens  
 Constitit, ante Iovem supplex per vota precatus:  
 Iuppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis. 625  
 Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,  
 Et statuam ante aras aurata fronte iuvenum,  
 Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,  
 Iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.  
 Audiit et caeli Genitor de parte serena 630  
 Intonuit laevom; sonat una fatifer arcus.  
 Effugit horrendum stridens adducta sagitta,  
 Perque caput Remuli venit et cava tempora ferro  
 Traicit. I, verbis virtutem include superbis!  
 Bis capti Phryges haec Rutulis responsa remittunt. 635  
 Hoc tantum Ascanius; Teucrici clamore secuntur,  
 Laetitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.  
 Aethera tum forte plaga crinitus Apollo  
 Desuper Ausonias acies urbemque videbat,  
 Nube sedens, adque his victorem adfatur Iulum: 640  
 Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra,  
 Dis genite et geniture deos. Iure omnia bella  
 Gente sub Assaraci fato ventura resident;  
 Nec te Troia capit. Simul haec effatus ab alto

Aethere se mittit, spirantis dimovet auras, 645  
 Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris  
 Anticum in Buten. Hic Dardanio Anchisae  
 Armiger ante fuit fidusque ad limina custos;  
 Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo  
 Omnia longaevo similis, vocemque coloremque 650  
 Et crinis albos et saeva sonoribus arma,  
 Adque his ardentem dictis adfatur Iulum:  
 Sit satis, Aenide, telis inpune Numanum  
 Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo  
 Concedit laudem, et paribus non invidet armis; 655  
 Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo  
 Mortalis medio aspectus sermone reliquit,  
 Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.  
 Adgnovere deum procures divinaque tela  
 Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem. 660  
 Ergo avidum pugnae dictis ac numine Phoebi  
 Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus  
 Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.  
 It clamor totis per propugnacula muris;  
 Intendunt acris arcus, ammentaque torquent. 665  
 Sternitur omne solum telis; tum scuta cavaeque  
 Dant sonitum flictu galeae; pugna aspera surgit:  
 Quantus ab occassu veniens pluvialibus Haedis  
 Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi  
 In vada praecipitant, cum Iuppiter horridus austris 670  
 Torquet aquosam hiemem et caelo cava nubila rumpit.

Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti,  
 Quos Iovis eduxit luco silvestris Iadera,  
 Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos,  
 Portam, quae ducis inperio commissa, recludunt, 675  
 Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.  
 Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant,  
 Armati ferro et cristis capita alta corusci:  
 Quales aeriae liquentia flumina circum,  
 Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum, 680  
 Consurgunt geminae quercus intonsaque caelo

Attollunt capita et sublimi vertice nutant.  
 Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.  
 Continuo Quercens et pulcher Aquicolus armis  
 Et praeceps animi Tmarus et Mavortius Haemon 685  
 Agminibus totis aut versi terga dedere,  
 Aut ipso portae posuere in limine vitam.  
 Tum magis increscunt animis discordibus irae;  
 Et iam collecti Troes glomerantur eodem,  
 Et conferre manum et procurrere longius audent. 690

Ductori Turno, diversa in parte furenti,  
 Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem  
 Fervere caede nova, et portas praebere patentis.  
 Deserit inceptum, adque inmani concitus ira  
 Dardanium ruit ad portam fratresque superbos. 695  
 Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat,  
 Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,  
 Coniecto sternit iaculo; volat Itala cornus  
 Aera per tenerum, stomachoque infixam sub altum  
 Pectus abit; reddit specus atri vulneris undam 700  
 Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.  
 Tum Meropem adque Erymanta manu, tum sternit  
 Aphidnum;

Tum Bitian ardentem oculis animisque frementem,  
 Non iaculo; neque enim iaculo vitam ille dedisset;  
 Sed magnum stridens contorta phalarica venit, 705  
 Fulminis acta modo; quam nec duo taurea terga,  
 Nec duplici squama lorica fidelis et auro  
 Sustinuit; conlapsa ruunt inmania membra.  
 Dat tellus gemitum, et clipeum super intonat ingens.  
 Talis in Euboico Baiarum litore quondam 710  
 Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante  
 Constructam ponto iaciunt; sic illa ruinam  
 Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit;  
 Miscent se maria, et nigrae attolluntur harenae;  
 Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cu-  
 bile 715

Inarime Iovis inperiis inposta Typhoeo.

Hic Mars armipotens animum virisque Latinis  
 Addidit, et stimulos acris sub pectore vertit;  
 Inmisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.  
 Undique conveniunt, quoniam data copia pugnae, 720  
 Bellatorque animo deus incidit.  
 Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,  
 Et quo sit fortuna loco, qui cassus agat res,  
 Portam vi multa converso cardine torquet,  
 Obnixus latis umeris, multosque suorum 725  
 Moenibus exclusos duro in certamine linquit;  
 Ast alios secum includit recipitque ruentis,  
 Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem  
 Viderit inrumpentem, ultroque incluserit urbi,  
 Inmanem veluti pecora inter inertia tigrim. 730  
 Continuo nova lux oculis effulsit, et arma  
 Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristae  
 Sanguineae, clipeoque micantia fulmina mittit.  
 Adgnoscent faciem invisam adque inmania membra  
 Turbati subito Aeneadae. Tum Pandarus ingens 735  
 Emicat, et mortis fraternae fervidus ira  
 Effatur: Non haec dotalis regia Amatae;  
 Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.  
 Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.  
 Olli subridens sedato pectore Turnus: 740  
 Incipe, siqua animo virtus, et consere dextram;  
 Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillen.  
 Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo  
 Intorquet summis adnixus viribus hastam;  
 Excepere auras; volnus Saturnia Iuno 745  
 Detorsit veniens, portaeque infigitur hasta.  
 At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,  
 Effugies; neque enim is teli nec vulneris auctor.  
 Sic ait, et sublatum alte consurgit in ense,  
 Et mediam ferro gemina inter tempora frontem 750  
 Dividit inpubisque inmani vulnere malas.  
 Fit sonus; ingenti concussast pondere tellus;  
 Conlapsos artus adque arma cruenta cerebro  
 Sternit humi moriens, adque illi partibus aequis



Huc caput adque illuc umero ex utroque pependit. 755  
 Diffugiunt versi trepida formidine Troes.  
 Et, si continuo victorem ea cura subisset,  
 Rumpere claustra manu sociosque inmittere portis,  
 Ultimus ille dies bello gentique fuisset.  
 Sed furor ardentem caedisque insana cupido 760  
 Egit in adversos.  
 Principio Phalerim et succiso poplite Gygen  
 Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas  
 In tergum; Iuno viris animumque ministrat.  
 Addit Halym comitem et confixa Phegea parma; 765  
 Ignaros deinde in muris Martemque cientis  
 Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque.  
 Lyncea tendentem contra sociosque vocantem  
 Vibranti gladio conixus ab aggere dexter  
 Occupat; huic uno deiectum comminus ictu 770  
 Cum galea longe iacuit caput. Inde ferarum  
 Vastatorem Amycum, quo non felicius alter  
 Unguere tela manu ferrumque armare veneno;  
 Et Clytium Aeoliden, et amicum Crethea Musis,  
 Crethea Musarum comitem, cui carmina semper 775  
 Et citharae cordi, numerosque intendere nervis;  
 Semper equos adque arma virum pugnasse canebat.

Tandem ductores audita caede suorum  
 Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;  
 Palantisque vident socios hostemque receptum. 780  
 Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis?  
 inquit.

Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?  
 Unus homo, et vestris, o cives, undique saeptus  
 Aggeribus, tantas strages inpune per urbem  
 Ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco? 785  
 Non infelicis patriae veterumque deorum  
 Et magni Aeneae, segnes, miseretque pudetque?  
 Talibus accensi firmantur, et agmine denso  
 Consistunt. Turnus paulatim excedere pugna  
 Et fluvium petere ac partem, quae cingitur unda. 790

Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,  
Et glomerare manum : ceu saevom turba leonem  
Cum telis premit infensis ; at territus ille,  
Asper, acerba tuens, retro redit ; et neque terga  
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra, 795  
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.  
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus  
Inproperata refert, et mens exaestuat ira.  
Quin etiam bis tum medios invaserat hostis,  
Bis confusa fuga per muros agmina vertit; 800  
Sed manus e castris propere coit omnis in unum,  
Nec contra viris audet Saturnia Iuno  
Sufficere ; aeriam caelo nam Iuppiter Irim  
Demisit, germanae haud mollia iussa ferentem,  
Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis. 805  
Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum  
Nec dextra valet : iniectis sic undique telis  
Obruitur. Strepit adsiduo cava tempora circum  
Tinnitu galea, et saxis solida aera fatiscunt;  
Discussaeque iubae capiti; nec sufficit umbo 810  
Ictibus ; ingeminant hastis et Troes et ipse  
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor  
Liquitur et piceum — nec respirare potestas —  
Flumen agit; fessos quatit aeger anhelitus artus.  
Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis 815  
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo  
Accepit venientem ac mollibus extulit undis,  
Et laetum sociis abluta caede remisit.

P. VERGILI MARONIS  
**A E N E I D O S**  
LIBER DECUMUS.

---

**P**anditur interea domus omnipotentis Olympi,  
Conciliumque vocat divom pater adque hominum rex  
Sideream in sedem, terras unde arduus omnis  
Castraque Dardanidum adspectat populosque Latinos.  
Considunt tectis bipatientibus; incipit ipse: 5  
Caelicolae magni, quianam sententia vobis  
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?  
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.  
Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos  
Aut hos arma sequi ferrumque lacessere suasit? 10  
Adveniet iustum pugnae, ne arcessite, tempus,  
Cum fera Karthago Romanis arcibus olim  
Exitium magnum adque Alpes inmittet apertas:  
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.  
Nunc sinite; et placitum laeti componite foedus. 15

Iuppiter haec paucis; at non Venus aurea contra  
Pauca refert:  
O Pater, o hominum rerumque aeterna potestas!  
Namque aliud quid sit, quod iam inplorare queamus?  
Cernis, ut insultent Rutuli, Turnusque feratur 20  
Per medios insignis equis tumidusque secundo

Marte ruat? Non clausa tegunt iam moenia Teucros:  
 Quin intra portas adque ipsis proelia miscent  
 Aggeribus moerorum, et inundant sanguine fossae.  
 Aeneas ignarus abest. Numquamne levare 25  
 Obsidione sines? muris iterum imminet hostis  
 Nascentis Troiae, nec non exercitus alter;  
 Adque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis  
 Tydides. Equidem credo, mea volnera restant,  
 Et tua progenies mortalia demoror arma! 30  
 Si sine pace tua adque invito numine Troes  
 Italiam petiere: luant peccata, neque illos  
 Iuveris auxilio; sin tot responsa secuti,  
 Quae Superi Manesque dabant: cur nunc tua quis-  
 quam  
 Vertere iussa potest? aut cur nova condere fata? 35  
 Quid repetam exustas Erycino in litore classis?  
 Quid tempestatum regem, ventosque furentis  
 Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?  
 Nunc etiam Manis — haec intemptata manebat  
 Sors rerum — movet, et superis inmissa repente 40  
 Allecto, medias Italum bacchata per urbes.  
 Nil super imperio moveor; speravimus ista,  
 Dum fortuna fuit; vincant, quos vincere mavis.  
 Si nullast regio, Teucris quam det tua coniunx  
 Dura, per eversae, genitor, fumantia Troiae 45  
 Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis  
 Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.  
 Aeneas sane ignotis iactetur in undis,  
 Et, quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur:  
 Hunc tegere et dirae valeam subducere pugnae. 50  
 Est Amathus, est celsa Paphus adque alta Cythera,  
 Idaliaeque domus: positis inglorius armis  
 Exigat hic aevom. Magna dicione iubeto  
 Karthago premat Ausoniam; nihil urbibus inde  
 Obstat Tyrîis. Quid pestem evadere belli 55  
 Iuvat et Argolicos medium fugisse per ignis,  
 Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae,  
 Dum Latium Teucris recidivaque Pergama quaerunt?

Non satius, cineres patriae insedissee supremos  
 Adque solum, quo Troia fuit? Xanthum et Simo-  
 enta 60

Redde, oro, miseris, iterumque revolvere cassus  
 Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Iuno  
 Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis  
 Rumpere et obductum verbis volgare dolorem?  
 Aenean hominum quisquam divomque subegit 65

Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?  
 Italiam fatis petiit auctoribus; esto;  
 Cassandrae impulsus furiis: num linquere castra  
 Hortati sumus, aut vitam committere ventis?  
 Num puero summam belli, num credere muros? 70

Tyrrhenamque fidem aut gentis agitare quietas?  
 Quis deus in fraudem, quae dura potentia nostri  
 Egit? ubi hic Iuno, demissave nubibus Iris?  
 Indignumst Italos Troiam circumdare flammis  
 Nascentem, et patria Turnum consistere terra, 75

Cui Pilumnus avos, cui diva Venilia mater:  
 Quid, face Troianos atra vim ferre Latinis,  
 Arva aliena iugo premere adque avertere praedas?  
 Quid, soceros legere et gremiis abducere pactas,  
 Pacem orare manu, praefigere puppibus arma? 80

Tu potes Aenean manibus subducere Graium,  
 Proque viro nebulam et ventos obtendere inanis,  
 Et potes in totidem classem convertere Nymphas:  
 Nos aliquid Rutulos contra iuvisse nefandumst?  
 Aeneas ignarus abest: ignarus et absit: 85

Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.  
 Quid gravidam bellis urbem et corda aspera temptas?  
 Nosne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo  
 Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis  
 Obiecit? Quae caussa fuit, consurgere in arma 90

Europamque Asiamque, et foedera solvere furto?  
 Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter,  
 Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?  
 Tum decuit metuisse tuis; nunc sera querellis  
 Haud iustis adsurgis, et inrita iurgia iactas. 95

Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant  
 Caelicolae adsensu vario; ceu flamina prima  
 Cum deprensa fremunt silvis, et caeca volutant  
 Murmura, venturos nautis prodentia ventos.  
 Tum Pater omnipotens, rerum cui prima potestas, 100  
 Infit; eo dicente deum domus alta silescit,  
 Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;  
 Tum Zephyri posuere; premit placida aequora pontus.  
 Accipite ergo animis adque haec mea figite dicta.  
 Quandoquidem Ausonios coniungi foedere Teucris 105  
 Haud licitum, nec vestra capit discordia finem:  
 Quae cuiquest fortuna hodie, quam quisque secat  
 spem,

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo,  
 Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,  
 Sive errore malo Troiae monitisque sinistris. 110  
 Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem  
 Fortunamque ferent. Rex Iuppiter omnibus idem.  
 Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,  
 Per pice torrentis atraque voragine ripas  
 Adnuit, et totum nutu tremefecit Olympum. 115  
 Hic finis fandi. Solio tum Iuppiter aureo  
 Surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt.

Interea Rutuli portis circum omnibus instant  
 Sternere caede viros, et moenia cingere flammis.  
 At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur, 120  
 Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis  
 Nequiquam, et rara muros cinxere corona:  
 Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes  
 Assaracique duo et senior cum Castore Thymbris,  
 Prima acies; hos germani Sarpedonis ambo, 125  
 Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.  
 Fert ingens toto conixus corpore saxum,  
 Haud partem exiguum montis, Lyrnesius Acmon,  
 Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.  
 Hi iaculis, illi certant defendere saxis, 130  
 Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.

Ipse inter medios, Veneris iustissima cura,  
 Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,  
 Qualis gemma, micat, fulvom quae dividit aurum,  
 Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem 135  
 Inclusum buxo aut Oricia terebintho  
 Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crinis  
 Accipit et molli subnectens circulus auro.  
 Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes  
 Volnera dirigere, et calamos armare veneno, 140  
 Maeonia generose domo, ubi pingua culta  
 Exercentque viri, Pactolosque inrigat auro.  
 Adfuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni  
 Aggere moerorum sublimem gloria tollit,  
 Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi. 145

Illi inter sese duri certamina belli  
 Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.  
 Namque, ut ab Euandro castris ingressus Etruscis,  
 Regem adit, et regi memorat nomenque genusque;  
 Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma 150  
 Quae sibi conciliet, violentaque pectora Turni  
 Edocet; humanis quae sit fiducia rebus  
 Admonet, inmiscetque preces. Haud fit mora; Tarchon  
 Iungit opes, foedusque ferit; tum libera fati  
 Classem conscendit iussis gens Lydia divom, 155  
 Externo commissa duci. Aeneia puppis  
 Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones;  
 Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.  
 Hic magnus sedet Aeneas, secumque volutat  
 Eventus belli varios; Pallasque sinistro 160  
 Adfixus lateri iam quaerit sidera, opacae  
 Noctis iter, iam quae passus terraque marique.

Pandite nunc Helicon, deae, cantusque movete,  
 Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris  
 Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur. 165

Massicus aerata princeps secatur aequora tigris;  
 Sub quo mille manus iuvenum, qui moenia Clusi,

Quique urbem liquere Cosas; quis tela sagittae  
Gorytique leves umeris et letifer arcus.

Una torvos Abas; huic totum insignibus armis 170

Agmen et aurato fulgebat Apolline puppis.

Sescentos illi dederat Populonia mater

Expertos belli iuvenes; ast Ilva trecentos

Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.

Tertius, ille hominum divomque interpretas Asilas, 175

Cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent

Et linguae volucrum et praesagi fulminis ignes,

Mille rapit densos acie adque horrentibus hastis.

Hos parere iubent Alpheae ab origine Pisae,

Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astyr, 180

Astyr equo fidens et versicoloribus armis.

Tercentum adiciunt, mens omnibus una sequendi,

Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis,

Et Pyrgi veteres, intempestaeque Graviscae.

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello, 185

Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo,

Cuius olorinae surgunt de vertice pinnae, —

Crimen amor vestrum — formaeque insigne paternae.

Namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,

Populeas inter frondes umbramque sororum 190

Dum canit et maestum Musa solatur amorem,

Canentem molli pluma duxisse senectam,

Linquentem terras et sidera voce sequentem.

Filius, aequalis comitatus classe catervas,

Ingentem remis Centaurum promovet: ille 195

Instat aquae, saxumque undis inmane minatur

Arduus, et longa sulcat maria alta carina.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,

Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis,

Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen, 200

Mantua, dives avis; sed non genus omnibus unum.

Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;

Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires.



Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,  
 Quos patre Benaco velatus harundine glauca 205  
 Mincius infesta ducebat in aequora pinu.  
 It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctum  
 Verberat adsurgens; spumant vada marmore verso.  
 Hunc vehit inmanis Triton et caerula concha  
 Exterrens freta; cui laterum tenuis hispida nanti 210  
 Frons hominem praefert, in pristim desinit alvos;  
 Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

Tot lecti proceres ter denis navibus ibant  
 Subsidio Troiae, et campos salis aere secabant.

Iamque dies caelo concesserat, almaque curru 215  
 Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:  
 Aeneas — neque enim membris dat cura quietem —  
 Ipse sedens clavomque regit velisque ministrat.  
 Adque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum  
 Occurrit comitum: Nymphae, quas alma Cybebe 220  
 Numen habere maris Nymphasque e navibus esse  
 Iusserat, innabant pariter fluctusque secabant,  
 Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.  
 Adgnosunt longe regem, lustrantque choreis.  
 Quarum quae fandi doctissima Cymodocea, 225  
 Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso  
 Eminent, ac laeva tacitis subremigat undis.  
 Tum sic ignarum adloquitur: Vigilasne, deum gens,  
 Aenea? Vigila, et velis inmitte rudentis.  
 Nos sumus, Idaeae sacro de vertice pinus, 230  
 Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos  
 Praecipitis ferro Rutulus flammaque premebat,  
 Rupimus invitae tua vincula, teque per aequor  
 Quaerimus. Hanc genetrix faciem miserata refecit,  
 Et dedit esse deas aevomque agitare sub undis. 235  
 At puer Ascanius muro fossisque tenetur  
 Tela inter media adque horrentis Marte Latinos.  
 Iam loca iussa tenet forti permixtus Etrusco  
 Arcas eques; medias illis opponere turmas,  
 Ne castris iungant, certast sententia Turno. 240

Surge age, et Aurora socios veniente vocari  
Primus in arma iube, et clipeum cape, quem dedit  
ipse

Invictum Ignipotens, adque oras ambiit auro.  
Crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,  
Ingentis Rutulae spectabit caedis acervos. 245

Dixerat; et dextra discedens inpulit altam,  
Haud ignara modi, puppim: fugit illa per undas  
Ocior et iaculo et ventos aequante sagitta.  
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse  
Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit. 250

Tumi breviter supera adspectans convexa precatur:  
Alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi  
Turrigeraeque urbes biugique ad frena leones,  
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques  
Angurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo. 255

Tantum effatus. Et interea revoluta ruebat  
Matura iam luce dies, noctemque fugarat:  
Principio sociis edicit, signa sequantur,  
Adque animos aptent armis, pugnaeque parent se.  
Iamque in conspectu Teucros habet et sua castra, 260  
Stans celsa in puppi: clipeum cum deinde sinistra  
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt  
Dardanidae e muris; spes addita suscitatur iras;  
Tela manu iaciunt: quales sub nubibus atris  
Strymoniae dant signa grues, adque aethera tra-  
nant 265

Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.  
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri  
Ausoniis, donec versas ad litora puppis  
Respiciunt, totumque adlabi classibus aequor.  
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma 270  
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignis:  
Non secus, ac liquida siquando nocte cometae  
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor;  
Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris,  
Nascitur, et laevo contristat lumine caelum. 275

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit  
 Litora praecipere, et venientis pellere terra.  
 [Ultrō animos tollit dictis, adque increpat ultrō :]  
 Quod votis optastis, adest, perfringere dextra.  
 In manibus Mars ipse, viri. Nunc coniugis esto 280  
 Quisque suae tectique memor; nunc magna referto  
 Facta, patrum laudes. Ultrō occurramus ad undam,  
 Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.  
 Audentis Fortuna iuvat.  
 Haec ait, et secum versat, quos ducere contra, 285  
 Vel quibus obsessos possit concredere muros.

Interea Aeneas socios de puppibus altis  
 Pontibus exponit. Multi servare recursus  
 Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;  
 Per remos alii. Speculatus litora Tarchon, 290  
 Qua vada non spirant nec fracta remurmurat unda,  
 Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu,  
 Advertit subito proras, sociosque precatur :  
 Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;  
 Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris 295  
 Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.  
 Frangere nec tali puppim statione recusso,  
 Arrepta tellure semel. Quae talia postquam  
 Effatus Tarchon, socii consurgere tonsis  
 Spumantisque rates arvis inferre Latinis, 300  
 Donec rostra tenent siccum et sedere carinae  
 Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarchon.  
 Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,  
 Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat,  
 Solvitur, adque viros mediis exponit in undis; 305  
 Fragmina remorum quos et fluitantia transtra  
 Inpediunt, retrahitque pedem simul unda relabens.

Nec Turnum segnis retinet mora; sed rapit acer  
 Totam aciem in Teucros, et contra in litore sistit.  
 Signa canunt. Primus turmas invasit agrestis 310  
 Aeneas, omen pugnae, stravitque Latinos,

Occiso Therone, virum qui maxumus ultro  
 Aenean petit. Huic gladio perque aerea suta,  
 Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.  
 Inde Lichan ferit, exsectum iam matre perempta, 315  
 Et tibi, Phoebe, sacrum, cassus evadere ferri  
 Quod licuit parvo. Nec longe, Cissea durum  
 Inmanemque Gyan, sternentis agmina clava,  
 Deiecit Leto; nihil illos Herculis arma,  
 Nec validae iuvare manus genitorque Melampus, 320  
 Alcidae comes, usque gravis dum terra laboris  
 Praebuit. Ecce Pharo, voces dum iactat inertis,  
 Intorquens iaculum clamanti sistit in ore.  
 Tu quoque, flaventem prima lanugine malas  
 Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cy-  
 don, 325  
 Dardania stratus dextra, securus amorum,  
 Qui juvenum tibi semper erant, miserande iaceres,  
 Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci  
 Progenies, septem numero, septenaque tela  
 Coniciunt; partim galea clipeoque resultant 330  
 Inrita, deflexit partim stringentia corpus  
 Alma Venus. Fidum Aeneas adfatur Achaten:  
 Suggere tela mihi; non ullum dextera frustra  
 Torserit in Rutulos, steterunt quae in corpore Graium  
 Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam, 335  
 Et iacit; illa volans clipei transverberat aera  
 Maeonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.  
 Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem  
 Sustentat dextra: trajecto missa lacerto  
 Protinus hasta fugit servatque cruenta tenorem, 340  
 Dexteraque ex umero nervis moribunda pependit.  
 Tum Numitor iaculo fratris de corpore raptò  
 Aenean petiit; sed non et figere contra  
 Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.  
 Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus 345  
 Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta  
 Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis  
 Vocem animamque rapit trajecto gutture; at ille

Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem.  
 Tris quoque Threicios Boreae de gente suprema, 350  
 Et tris, quos Idas pater et patria Ismara mittit,  
 Per varios sternit cassus. Accurrit Halaesus  
 Auruncaequae manus; subit et Neptunia proles,  
 Insignis Messapus equis. Expellere tendunt  
 Nunc hî, nunc illi; certatur limine in ipso 355  
 Ausoniae. Magno discordes aethere venti  
 Proelia ceu tollunt animis et viribus aequis;  
 Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit;  
 Anceps pugna diu; stant obnixa omnia contra:  
 Haud aliter Troianae acies aciesque Latinae 360  
 Concurrunt; haeret pede pes densusque viro vir.

At parte ex alia, qua saxa rotantia late  
 Inpulerat torrens arbustaque diruta ripis,  
 Arcadas, insuetos acies inferre pedestris,  
 Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci, — 365  
 Aspera quis natura loci dimittere quando  
 Suasit equos, — unum quod rebus restat egenis,  
 Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:  
 Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,  
 Per ducis Euandri nomen, devictaque bella, 370  
 Spemque meam, patriae quae nunc subit aemula laudi,  
 Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostis  
 Est via. Qua globus ille virum densissimus urguet,  
 Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.  
 Numina nulla premunt; mortali urguemur ab hoste 375  
 Mortales; totidem nobis animaeque manusque.  
 Ecce, maris magna claudit nos obice pontus;  
 Deest iam terra fugae: pelagus Troiamne petemus?  
 Haec ait, et medius densos prorumpit in hostis.  
 Obvius huic primum, fati adductus inquis, 380  
 Fit Lagus; hunc, magno vellit dum pondere saxum,  
 Intorto figit telo, discrimina costis  
 Per medium qua spina dabat; hastamque receptat  
 Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo,  
 Ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruentem, 385

Dum furit, incautum crudeli morte sodalis,  
 Excipit, adque ensem tumido in pulmone recondit.  
 Hinc Sthenelum petit, et Rhoeti de gente vetusta  
 Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae.  
 Vos etiam gemini, Rutulis cecidistis in arvis, 390  
 Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,  
 Indiscreta suis gratusque parentibus error;  
 At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:  
 Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abstulit ensis;  
 Te decisa suum, Laride, dextera quaerit, 395  
 Semianimesque micant digiti ferrumque retractant.  
 Arcadas accensos monitu et praeclara tuentis  
 Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostis.  
 Tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter  
 Traicit. Hoc spatium, tantumque morae fuit Illo; 400  
 Illo namque procul validam direxerat hastam:  
 Quam medius Rhoeteus intercipit, optume Tenthra,  
 Te fugiens fratremque Tyren; curruque volutus  
 Caedit semianimis Rutulorum calcibus arva.  
 Ac velut, optato ventis aestate cohortis, 405  
 Dispersa inmittit silvis incendia pastor;  
 Correptis subito mediis extenditur una  
 Horrida per latos acies Volcania campos;  
 Ille sedens victor flammam despectat ovantis:  
 Non aliter socium virtus coit omnis in unum, 410  
 Teque iuvat, Palla. Sed bellis acer Halaesus  
 Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.  
 Hic mactat Ladona Pheretaque Demodocumque;  
 Strymonio dextram fulgenti deripit ense  
 Elatam in iugulum; saxo ferit ora Thoantis, 415  
 Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.  
 Fata canens silvis genitor celarat Halaesum;  
 Ut senior leto canentia lumina solvit,  
 Iniecere manum Parcae, telisque sacrarunt  
 Euandri. Quem sic Pallas petit ante precatus: 420  
 Da nunc, Thybri pater, ferro, quod missile libro,  
 Fortunam adque viam duri per pectus Halaesi.  
 Haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.

Audiit illa deus; dum texit Imaona Halaesus,  
 Arcadio infelix telo dat pectus inermum. 425  
 At non caede viri tanta perterrita Lausus,  
 Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem  
 Oppositum interimit, pugnae nodumque moramque.  
 Sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci,  
 Et vos, o Graïs inperdita corpora, Teucri. 430  
 Agmina concurrunt ducibusque et viribus aequis.  
 Extremi addensent acies; nec turba moveri  
 Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urguet,  
 Hinc contra Lausus, nec multum discrepat aetas,  
 Egregii forma; sed quis fortuna negarat 435  
 In patriam reditus. Ipsos concurrere passus  
 Haud tamen inter se magni regnator Olympi;  
 Mox illos sua fata manent maiore sub hoste.

Interea soror alma monet succedere Lauso  
 Turnum, qui volucris curru medium secat agmen. 440  
 Ut vidit socios: Tempus desistere pugnae;  
 Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas  
 Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.  
 Haec ait; et socii cesserunt aequore iusso.  
 At, Rutulum abscessu, iuvenis tum, iussa superba 445  
 Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens  
 Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu,  
 Talibus et dictis it contra dicta tyranni:  
 Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,  
 Aut leto insigni. Sorti pater aecus utriquest. 450  
 Tolle minas. Fatus medium procedit in aequor.  
 Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.  
 Desiluit Turnus biugis; pedes apparat ire  
 Comminus. Utque leo, specula cum vidit ab alta  
 Stare procul campis meditantem in proelia taurum, 455  
 Advolat: haud aliam Turni venientis imago.  
 Hunc ubi contiguum missae fore credidit hastae,  
 Ire prior Pallas, siqua fors adiuvet ausum  
 Viribus imparibus, magnumque ita ad aethera fatur:  
 Per patris hospitium et mensas, quas advena adisti, 460

**Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis.**

**Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,**

**Victoremque ferant morientia lumina Turni.**

**Audiit Alcides iuvenem, magnumque sub imo**

**Corde premit gemitum lacrimasque effundit inanis. 465**

**Tum Genitor natum dictis adfatur amicis :**

**Stat sua cuique dies ; breve et inreparabile tempus**

**Omnibus est vitae : sed famam extendere factis,**

**Hoc virtutis opus. Troiae sub moenibus altis**

**Tot gnati cecidere deum ; quin occidit una 470**

**Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum**

**Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.**

**Sic ait, adque oculos Rutulorum reicit arvis.**

**At Pallas magnis emittit viribus hastam,**

**Vaginaque cava fulgentem deripit ensem. 475**

**Illa volans, umeri surgunt qua tegmina summa,**

**Incidit, adque, viam clipei molita per oras,**

**Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.**

**Hic Turnus ferro praefixum robur acuto**

**In Pallanta diu librans iacit, adque ita fatur : 480**

**Aspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.**

**Dixerat ; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,**

**Cum pellis totiens obeat circumdata tauri,**

**Vibranti medium cuspis transverberat ictu,**

**Loricaeque moras et pectus perforat ingens. 485**

**Ille rapit calidum frustra de vulnere telum :**

**Una eademque via sanguis animusque secuntur.**

**Corruit in vulnus ; sonitum super arma dedere ;**

**Et terram hostilem moriens petit ore cruento.**

**Quem Turnus super adsistens : 490**

**Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte**

**Euandro : Qualem meruit, Pallanta remitto.**

**Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandist,**

**Largior. Haud illi stabunt Aeneia parvo**

**Hospitia. Et laevo pressit pede, talia fatus, 495**

**Exanimem, rapiens inmania pondera baltei,**

**Inpressumque nefas : una sub nocte iugali**

**Caesa manus iuvenum foede, thalamiue cruenti ;**



Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro;  
 Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus. 500  
 Nescia mens hominum fati sortisque futurae,  
 Et servare modum, rebus sublata secundis!  
 Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum  
 Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque  
 Oderit. At socii multo gemitu lacrimisque 505  
 Inpositum scuto referunt Pallanta frequentes.  
 O dolor adque decus magnum rediture parenti!  
 Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert,  
 Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!

Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor 510  
 Advolat Aeneae, tenui discrimine leti  
 Esse suos; tempus, versis succurrere Teucris.  
 Proxima quaeque metit gladio, latumque per agmen  
 Ardens limitem agit ferro, te, Turne, superbam  
 Caede nova quaerens. Pallas, Euander, in ipsis 515  
 Omnia sunt oculis, mensae, quas advena primas  
 Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos  
 Quattuor hic iuvenes, totidem, quos educat Ufens,  
 Viventis rapit, inferias quos immolet umbris,  
 Captivoque rogi perfundat sanguine flammam. 520  
 Inde Mago procul infensam contenderat hastam.  
 Ille astu subit; at tremibunda supervolat hasta;  
 Et genua amplectens effatur talia supplex:  
 Per patrios Manis et spes surgentis Iuli  
 Te precor, hanc animam serves gnatoque patrique. 525  
 Est domus alta; iacent penitus defossa talenta  
 Caelati argenti; sunt auri pondera facti  
 Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum  
 Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta.  
 Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit: 530  
 Argenti adque auri memoras quae multa talenta,  
 Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus  
 Sustulit ista prior iam tum Pallante perempto.  
 Hoc patris Anchisae Manes, hoc sentit Iulus.  
 Sic fatus galeam laeva tenet, adque reflexa 535

**Cervice orantis capulo tenus adplicat ensem.  
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque sacerdos,  
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,  
Totus conlucens veste adque insignibus armis.  
Quem congressus agit campo, lapsumque super-  
                        stans                         540**

Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus  
 Lecta refert umeris, tibi, rex Gradiue, tropaeum.  
 Instaurant acies Volcani stirpe creatus  
 Caeculus et veniens Marsorum montibus Umbro.  
 Dardanides contra furit. Anxuris ense *sinistram* 545  
 Et totum clipei ferro deiecerat orbem; —  
 Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo  
 Crediderat, caeloque animum fortasse ferebat,  
 Canitiemque sibi et longos promiserat annos; —  
 Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis, 550  
 Silvicolae Fauno Dryope quem nympa creat,  
 Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta  
 Loricam clipeique ingens onus impedit hasta;  
 Tum caput orantis nequiquam et multa parantis  
 Dicere deturbat terrae, truncumque tepentem 555  
 Provolvens super haec inimico pectore fatur:  
 Istic nunc, metuende, iace. Non te optuma mater  
 Condet humo, patrioque onerabit membra sepulchro:  
 Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum  
 Unda feret, piscesque inpasti volnera lambent. 560  
 Protinus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni,  
 Persequitur, fortemque Numam, fulvomque Camertem,  
 Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri  
 Qui fuit Ausonidum, et tacitis regnavit Amyclis.  
 Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt 565  
 Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem  
 Pectoribusque arsisse, Iovis cum fulmina contra  
 Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret enses:  
 Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,  
 Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei 570  
 Quadriiugis in equos adversaque pectora tendit.  
 Adque illi, longe gradientem et dira frementem

Ut videre, metu versi retroque ruentes  
 Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.  
 Interea biugis infert se Lucagus albis 575  
 In medios, fraterque Liger; sed frater habenis  
 Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.  
 Haud tulit Aeneas tanto fervore furentis:  
 Inruit, adversaque ingens adparuit hasta.  
 Cui Liger: 580  
 Non Diomedis equos, nec currum cernis Achilli,  
 Aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aevi  
 His dabitur terris. Vaesano talia late  
 Dicta volant Ligeri. Sed non et Troius heros  
 Dicta parat \*contra; iaculum nam torquet in ho-  
 stem.\* 585  
 Lucagus ut pronus pendens in verbera telo  
 Admonuit biugos, proiecto dum pede laevo  
 Aptat se pugnae, subit oras hasta per imas  
 Fulgentis clipei, tum laevom perforat inguen;  
 Excussus curru moribundus volvitur arvis. 590  
 Quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:  
 Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum  
 Prodidit, aut vanae vertere ex hostibus umbrae;  
 Ipse rotis saliens iuga deseris. Haec ita fatus  
 Arripuit biugos; frater tendebat inertis 595  
 Infelix palmas, curru delapsus eodem:  
 Per te, per qui te talem genuere parentes,  
 Vir Troiane, sine hanc animam, et miserere precantis.  
 Pluribus oranti Aeneas: Haud talia dudum  
 Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater. 600  
 Tum, latebras animae, pectus mucrone recludit.  
 Talia per campos edebat funera ductor  
 Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri  
 More furens. Tandem erumpunt et castra relinunt,  
 Ascanius puer et nequiquam obsessa iuventus. 605

Iunonem interea compellat Iuppiter ultro:  
 O germana mihi adque eadem gratissima coniunx,  
 Ut rebare, Venus — nec te sententia fallit —

Troianas sustentat opes; non vivida bello  
 Dextra viris animusque ferox patiensque pericli. 610  
 Cui Iuno submissa: Quid, o pulcherrime coniunx,  
 Sollicitas aegram et tua tristia dicta timentem?  
 Si mihi, quae quondam fuerat, quamque esse decebat,  
 Vis in amore foret, non hoc mihi namque negares,  
 Omnipotens, quin et pugnae subducere Turnum, 615  
 Et Dauno possem incolumem servare parenti.  
 Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine poenas.  
 Ille tamen nostra deducit origine nomen,  
 Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga  
 Saepe manu multisque oneravit limina donis. 620  
 Cui rex aetherii breviter sic fatus Olympi:  
 Si mora praesentis leti tempusque caduco  
 Oratur iuveni, meque hoc ita ponere sentis,  
 Tolle fuga Turnum adque instantibus eripe fati.  
 Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis 625  
 Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri  
 Mutarive putas bellum, spes pascis inanis.  
 Et Iuno adlacrims: Quid, si, quae voce gravaris,  
 Mente dares, adque haec Turno rata vita maneret?  
 Nunc manet insontem gravis exitus; aut ego veri 630  
 Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa  
 Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!  
 Haec ubi dicta dedit, caelo se protinus alto  
 Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras,  
 Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit. 635  
 Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram  
 In faciem Aeneae — visu mirabile monstrum —  
 Dardaniis ornat telis, clipeumque iubasque  
 Divini adsimulat capitis, dat inania verba,  
 Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis: 640  
 Morte obita qualis famast volitare figuras,  
 Aut quae sopitos deludunt somnia sensus.  
 At primas laeta ante acies exsultat imago,  
 Inritatque virum telis et voce lacessit.  
 Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam 645  
 Conicit; illa dato vertit vestigia tergo.

Tum vero Aenean averſum ut cedere Turnus  
 Credidit, adque animo ſpem turbidus hauſit inanem :  
 Quo fugis, Aenea? thalamos ne deſere pactos ;  
 Hac dabitur dextra tellus quaesita per undas. 650  
 Talia vociferans ſequitur, ſtrictumque coruſcat  
 Mucronem ; nec ferre videt ſua gaudia ventos.  
 Forte ratis celsi coniuncta crepidine ſaxi  
 Expoſitis ſtabat ſcalis et ponte parato,  
 Qua rex Cluſinis advectus Oſinius oris. 655  
 Huc ſeſe trepida Aeneae fugientis imago  
 Conicit in latebras ; nec Turnus ſegnior inſtat,  
 Exsuperatque moras, et pontis tranſilit altos.  
 Vix proram attigerat : rumpit Saturnia funem,  
 Avolaſamque rapit revoluta per aequora navem. 660  
 Tum levis hauſ ultra latebras iam quaerit imago,  
 Sed ſublime volans nubi ſe inmiſcuit atrae.  
 Illum autem Aeneas abſentem in proelia poſcit.  
 Obvia multa virum demittit corpora Morti :  
 Cum Turnum medio interea fert aequore turbo. 665  
 Reſpicit ignarus rerum ingratusque ſalutis,  
 Et duplicis cum voce manus ad ſidera tendit :  
 Omnipotens genitor, tanton me crimine dignum  
 Duxiſti, et talis voluſti expendere poenas?  
 Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve re-  
 ducit? 670  
 Laurentiſne iterum muros aut caſtra videbo?  
 Quid manus illa virum, qui me meaque arma ſecuti?  
 Quosne — nefas — omnis infanda in morte reliqui,  
 Et nunc palantis video, gemitumque cadentum  
 Accipio? Quid ago? aut quae iam ſatis ima de-  
 hiscat 675  
 Terra mihi? Vos o potius miſereſcite, venti;  
 In rupes, in ſaxa — volens vos Turnus adoro —  
 Ferte ratem, ſaevisque vadis inmiſſite Syrtis,  
 Quo neque me Rutuli, nec conſcia fama ſequatur.  
 Haec memorans animo nunc huc, nunc fluctuat il-  
 luc; 680  
 An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens

Induat, et crudum per costas exigit ensem;  
 Fluctibus an iaciat mediis, et litora nando  
 Curva petat, Teucrumque iterum se reddat in arma.  
 Ter conatus utramque viam; ter maxuma Iuno 685  
 Continuit, iuvenemque animo miserata repressit.  
 Labitur alta secans fluctuque aestuque secundo,  
 Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.

At Iovis interea monitis Mezentius ardens  
 Succedit pugnae, Teucrosque invadit ovantis. 690  
 Concurrunt Tyrrhenae acies, adque omnibus uni,  
 Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.  
 Ille, velut rupes, vastum quae prodit in aequor,  
 Obvia ventorum furiis expositaque ponto,  
 Vim cunctam adque minas perfert caelique maris-  
 que, 695

Ipsa inmota manens; prolem Dolichaonis Hebrum  
 Sternit humi, cum quo Latagum Palmumque fugacem,  
 Sed Latagum saxo adque ingenti fragmine montis  
 Occupat os faciemque adversam, poplite Palmum  
 Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso 700  
 Donat habere umeris et vertice figere cristas.  
 Nec non Euanthen Phrygium, Paridisque Mimanta  
 Aequalem comitemque, una quem nocte Theano  
 In lucem genitori Amyco dedit, et face praegnas  
 Cisseis regina Parim; Paris urbe paterna 705  
 Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.  
 Ac velut ille canum morsu de montibus altis  
 Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos  
 Defendit, multosque palus Laurentia, silva  
 Pastus harundinea, postquam inter retia ventumst, 710  
 Substitit, infremuitque ferox et inhorruit armos;  
 Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus,  
 Sed iaculis tutisque procul clamoribus instant;  
 Ille autem inpavidus partis cunctatur in omnis,  
 Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas: 715  
 Haud aliter, iastae quibus est Mezentius irae,  
 Non ullist animus stricto concurrere ferro;

Missilibus longe et vasto clamore lacesunt.  
 Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,  
 Graius homo, infectos linquens profugus hyme-  
 naeos; 720

Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,  
 Purpureum pinnis et pactae coniugis ostro:  
 Inpastus stabula alta leo ceu saepe peragrans,  
 Suadet enim vaesana fames, si forte fugacem  
 Conspexit capream, aut surgentem in cornua cer-  
 vom, 725

Gaudet, hians inmane, comasque arrexit, et haeret  
 Visceribus super incumbens; lavit inproba taeter  
 Ora cruor:

Sic ruit in densos alacer Mezentius hostis.  
 Sternitur infelix Acron, et calcibus atram 730

Tundit humum expirans, infractaque tela cruentat.  
 Adque idem fugientem haud est dignatus Oroden  
 Sternere, nec iacta caecum dare cuspide vulnus;  
 Obvius adversoque occurrit, seque viro vir  
 Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis. 735

- Tum super abiectum posito pede nixus et hasta:
- Pars belli haud temnenda, viri, iacet altus Orodes.  
 Conclamant socii laetum paeana secuti.

Ille autem expirans: Non me, quicumque es, inulto,  
 Victor, nec longum laetabere; te quoque fata 740  
 Prospectant paria, adque eadem mox arva tenebis.

Ad quem subridens mixta Mezentius ira:  
 Nunc morere. Ast de me divom pater adque homi-  
 num rex

Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.  
 Olli dura quies oculos et ferreus urguet 745

Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.  
 Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,  
 Partheniumque Rapo et praedurum viribus Orsen,  
 Messapus Cloniumque Lycaoniumque Ericeten,  
 Illum infrenis equi lapsu tellure iacentem, 750  
 Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis;  
 Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae

Deicit ; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,  
Insignis iaculo et longe fallente sagitta.

Iam gravis aequabat luctus et mutua Mavors 755  
Funera ; caedebant pariter pariterque ruebant  
Victores victique ; neque his fuga nota, neque illis.  
Di Iovis in tectis iram miserantur inanem  
Amborum, et tantos mortalibus esse laboris ;  
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Iuno. 760  
Pallida Tisiphone media inter milia saevit.  
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam  
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,  
Cum pedes incedit medii per maxuma Nerei  
Stagna viam scindens, umero supereminet undas, 765  
Aut, summis referens annosam montibus ornum,  
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit :  
Talis se vastis infert Mezentius armis.  
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,  
Obvius ire parat. Manet inperterritus ille, 770  
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat ;  
Adque oculis spatium emensus, quantum satis hastae :  
Dextra mihi deus et telum, quod missile libro,  
Nunc adsint ! Voveo praedonis corpore raptis  
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropaeum 775  
Aeneae. Dixit, stridentemque eminus hastam  
Iecit ; at illa volans clipeost excussa, proculque  
Egregium Antoren latus inter et ilia figit,  
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis  
Haeserat Euandro, adque Itala consederat urbe. 780  
Sternitur infelix alieno vulnere, caelumque  
Aspicit, et dulcis moriens reminiscitur Argos.  
Tum pius Aeneas hastam iacit ; illa per orbem  
Aere cavom triplici, per linea terga, tribusque  
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit 785  
Inguine ; sed viris haud pertulit. Ocius ensem  
Aeneas, viso Tyrrheni sanguine laetus,  
Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.  
Ingemuit cari graviter genitoris amore,



Ut vidit, Lausus, lacrimaeque per ora volutae. 790  
 Hic mortis durae cassum tuaque optuma facta,  
 Siqua fidem tantost operi latura vetustas,  
 Non equidem, nec te, iuvenis memorande, silebo.  
 Ille pedem referens et inutilis inque ligatus  
 Cedebat, clipeoque inimicum hastile trahebat. 795  
 Proripuit iuvenis seseque inniscuit armis,  
 Iamque adsurgentis dextra plagamque ferentis  
 Aeneae subiit mucronem, ipsumque morando  
 Sustinuit; socii magno clamore secuntur,  
 Dum genitor nati parma protectus abiret, 800  
 Telaque coniciunt, proturbantque eminus hostem  
 Missilibus. Furit Aeneas, tectusque tenet se.  
 Ac velut, effusa siquando grandine nimbi  
 Praecipitant, omnis campis diffugit arator,  
 Omnis et agricola, et tuta latet arce viator, 805  
 Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,  
 Dum pluit in terris, ut possint sole reducto  
 Exercere diem: sic obrutus undique telis  
 Aeneas nubem belli, dum detonet omnis,  
 Sustinet, et Lausum increpitat Lausoque minatur: 810  
 Quo moriture ruis, maioraque viribus audes?  
 Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille  
 Exsultat demens; saevae iamque altius irae  
 Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso  
 Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem 815  
 Per medium Aeneas iuvenem, totumque recondit.  
 Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,  
 Et tunicam, molli mater quam neverat auro,  
 Inplevitque sinum sanguis; tum vita per auras  
 Concessit maesta ad Manis, corpusque reliquit. 820  
 At vero ut voltum vidit morientis et ora,  
 Ora modis Anchisiades pallentia miris,  
 Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit,  
 Et mentem patriae subiit pietatis imago.  
 Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis, 825  
 Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?  
 Arma, quibus laetatus, habe tua; teque parentum

Manibus et cineri, siquast ea cura, remitto.  
 Hoc tamen infelix miseram solabere mortem :  
 Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro 830  
 Cunctantis socios, et terra sublevat ipsum,  
 Sanguine turpantem comptos de more capillos.

Interea genitor Tiberini ad fluminis undam  
 Volnera siccat lymphis, corpusque levabat  
 Arboris adclinis trunco. Procul aerea ramis 835  
 Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.  
 Stant lecti circum iuvenes; ipse aeger, anhelans  
 Colla foveat, fusus propexam in pectore barbam;  
 Multa super Lauso rogitat, multosque remittit,  
 Qui revocent, maestique ferant mandata parentis. 840  
 At Lausum socii exanimem super arma ferebant  
 Flentes, ingentem adque ingenti vulnere victum.  
 Adgnovit longe gemitum praesaga mali mens.  
 Canitiem multo deformat pulvere, et ambas  
 Ad caelum tendit palmas, et corpore inhaeret. 845  
 Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,  
 Ut pro me hostili paterer succedere dextrae,  
 Quem genui? Tuane haec genitor per volnera servor,  
 Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum  
 Exitium infelix! nunc alte vulnus adactum! 850  
 Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,  
 Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.  
 Debueram patriae poenas odiisque meorum :  
 Omnis per mortis animam sentem ipse dedissem!  
 Nunc vivo, neque adhuc homines lucemque relin-  
 quo. 855

Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in aegrum  
 Se femur, et, quamquam vis alto vulnere tardat,  
 Haud deiectus eum duci iubet. Hoc decus illi,  
 Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat  
 Omnibus. Adloquitur maerentem, et talibus infit: 860  
 Rhoebe, diu, res siqua diu mortalibus ullast,  
 Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta  
 Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum

Ultor eris mecum, aut, aperit si nulla viam vis,  
 Occumbes pariter; neque enim, fortissime, credo, 865  
 Iussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.  
 Dixit, et exceptus tergo consueta locavit  
 Membra, manusque ambas iaculis oneravit acutis,  
 Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.  
 Sic cursum in medios rapidus dedit. Aestuat in-  
 gens 870

Uno in corde pudor mixtoque insania luctu,  
 [Et furiis agitatus amor et conscia virtus.]  
 Adque hic Aenean magna ter voce vocavit.  
 Aeneas — agnovit enim — laetusque precatur:  
 Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo! 875  
 Incipias conferre manum.

Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.  
 Ille autem: Quid me erepto, saevissime, nato  
 Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses.  
 Nec mortem horremus, nec divom parcimus ulli. 880  
 Desine: iam venio moriturus, et haec tibi porto  
 Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;  
 Inde aliud super adque aliud figitque, volatque  
 Ingenti gyro; sed sustinet aureus umbo.

Ter circum adstantem laevos equitavit in orbis, 885  
 Tela manu iaciens; ter secum Troius heros  
 Inmanem aerato circumfert tegmine silvam.  
 Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet  
 Vellere, et urguetur pugna congressus iniqua,  
 Multa movens animo iam tandem erumpit, et inter 890  
 Bellatoris equi cava tempora conicit hastam.

Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras  
 Verberat, effusumque equitem super ipse secutus  
 Implicat, eiectoque incumbit cernuus armo.  
 Clamore incendunt caelum Troesque Latinique. 895  
 Advolat Aeneas, vaginaque eripit ensem,  
 Et super haec: Ubi nunc Mezentius acer, et illa  
 Efferata vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras  
 Suspiciens hausit caelum, mentemque recepit:  
 Hostis amare, quid increpitas mortemque minaris? 900

Nullum in caede nefas; nec sic ad proelia veni;  
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lausus.  
Unum hoc, per, siquast victis venia hostibus, oro:  
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum  
Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem; 905  
Et me consortem nati concede sepulchro.  
Haec loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem,  
Undantique animam diffundit in arma cruore.

---

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER UNDECIMUS.

---

**O**ceanum interea surgens Aurora reliquit:  
Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis  
Praecipitant curae, turbataque funere mens est,  
Vota deum primo victor solvebat Eoo.  
Ingentem quercum decisis undique ramis 5  
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,  
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropaeum,  
Bellipotens; aptat rorantis sanguine cristas  
Telaque trunca viri et bis sex thoraca petitem  
Perfossumque locis, clipeumque ex aere sinistrae 10  
Subligat, adque ensem collo suspendit eburnum.  
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat  
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantis:  
Maxuma res effecta, viri; timor omnis abesto,  
Quod superest; haec sunt spolia et de rege superbo 15  
Primitiae, manibusque meis Mezentius hic est.  
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.  
Arma parate animis, et spe praesumite bellum,  
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa  
Adnuerint superi pubemque educere castris, 20  
Impediat, segnisve metu sententia tardet.  
Interea socios inhumataque corpora terrae

Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imost.  
 Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis  
 Hanc patriam peperere suo, decorate supremis 25  
 Muneribus, maestamque Euandri primus ad urbem  
 Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem  
 Abstulit atra dies et funere mersit acerbo.

Sic ait inlacrimans recipitque ad limina gressum,  
 Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes 30  
 Servabat senior, qui Parrhasio Euandro  
 Armiger ante fuit, sed non felicibus aequae  
 Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.  
 Circum omnis famulumque manus Troianaque turba  
 Et maestum Iliades crinem de more solutae. 35  
 Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis,  
 Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt  
 Pectoribus, maestoque inmugit regia luctu.  
 Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora  
 Ut vidit levique patens in pectore vulnus 40  
 Cuspidis Ausoniae, lacrimis ita fatur obortis :  
 Tene, inquit, miserande puer, cum laeta veniret,  
 Invidit Fortuna mihi, ne regna videres  
 Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas ?  
 Non haec Euandro de te promissa parenti 45  
 Discedens dederam, cum me complexus euntem  
 Mitteret in magnum inperium, metuensque moneret  
 Acris esse viros, cum dura proelia gente.  
 Et nunc ille quidem spe multum captus inani  
 Fors et vota facit, cumulatque altaria donis ; 50  
 Nos iuvenem exanimum et nil iam caelestibus ullis  
 Debentem vano maesti comitamur honore.  
 Infelix, nati funus crudele videbis !  
 Hi nostri reditus, exspectatique triumphi ?  
 Haec mea magna fides ? At non, Euandre, puden-  
 dis 55

Volneribus pulsum aspicias ; nec sospite dirum  
 Optabis nato funus pater. Ei mihi, quantum  
 Praesidium Ausonia et quantum tu perdis, Iule !

Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus  
 Inperat, et toto lectos ex agmine mittit 60  
 Mille viros, qui supremum comitentur honorem,  
 Intersintque patris lacrimis, solacia luctus  
 Exigua ingentis, misero sed debita patri.  
 Haud segnes alii cratis et molle feretrum  
 Arbuteis texunt virgis et vimine querno, 65  
 Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.  
 Hic iuvenem agresti sublimem stramine ponunt :  
 Qualem virgineo demessum pollice florem  
 Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi,  
 Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma re-  
 cessit; 70  
 Non iam mater alit tellus, virisque ministrat.  
 Tum geminas vestes auroque ostroque rigentis  
 Extulit Aeneas, quas illi laeta laborum  
 Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido  
 Fecerat, et tenui telas discreverat auro. 75  
 Harum unam iuveni supremum maestus honorem  
 Induit, arsurasque comas obnubit amictu;  
 Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae  
 Aggerat, et longo praedam iubet ordine duci.  
 Addit equos et tela, quibus spoliaverat hostem. 80  
 Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris  
 Inferias, caeso sparsurus sanguine flammam;  
 Indutosque iubet truncos hostilibus armis  
 Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi. 85  
 Ducitur infelix aevo confectus Acoetes,  
 Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora;  
 Sternitur, et toto proiectus corpore terrae.  
 Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.  
 Post bellator ecus, positus insignibus, Aethon,  
 It lacrimans, guttisque umectat grandibus ora. 90  
 Hastam alii galeamque ferunt; nam cetera Turnus  
 Victor habet. Tum maesta phalanx Teucrique se-  
 cuntur  
 Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis.  
 Postquam omnis longe comitum processerat ordo,

Substitit Aeneas, gemituque haec addidit alto : 95  
 Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli  
 Fata vocant : salve aeternum mihi, maxume Palla,  
 Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos  
 Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.

Iamque oratores aderant ex urbe Latina, 100  
 Velati ramis oleae, veniamque rogantes :  
 Corpora, per campos ferro quae fusa iacebant,  
 Redderet, ac tumulo sineret succedere terrae ;  
 Nullum cum victis certamen et aethere cassis ;  
 Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis. 105  
 Quos bonus Aeneas, haud aspernanda precantis,  
 Prosequitur venia, et verbis haec insuper addit :  
 Quaenam vos tanto fortuna indigna, Latini,  
 Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos ?  
 Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis 110  
 Oratis ? equidem et vivis concedere vellem.  
 Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent ;  
 Nec bellum cum gente gero : rex nostra reliquit  
 Hospitia, et Turni potius se credidit armis.  
 Aequius huic Turnum fuerat se opponere morti. 115  
 Si bellum finire manu, si pellere Teucros  
 Apparat, his mecum decuit concurrere telis ;  
 Vixet, cui vitam deus aut sua dextra dedisset.  
 Nunc ite et miseris supponite civibus ignem.  
 Dixerat Aeneas. Olli opstipuerunt silentes, 120  
 Conversique oculos inter se adque ora tenebant.  
 Tum senior semperque odiis et crimine Drances  
 Infensus iuveni Turno sic ore vicissim  
 Orsa refert : O fama ingens, ingentior armis,  
 Vir Troiane, quibus caelo te laudibus aequem ? 125  
 Iustitiaene prius mirer, belline laborum ?  
 Nos vero haec patriam grati referemus ad urbem ;  
 Et te, siqua viam dederit fortuna, Latino  
 Iungemus regi. Quaerat sibi foedera Turnus.  
 Quin et fatalis murorum attollere moles, 130  
 Saxaque subvectare umeris Troiana iuvabit.



Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.  
 Bis senos pepigere dies, et pace sequestra  
 Per silvas Teucri mixtique impune Latini  
 Erravere iugis. Ferro sonat alta bipinni 135  
 Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinos;  
 Robora nec cuneis et olentem scindere caedrum,  
 Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

Et iam Fama volans, tanti praenuntia luctus,  
 Euandrum Euandrique domos et moenia replet, 140  
 Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.  
 Arcades ad portas ruere, et de more vetusto  
 Funereas rapuere faces; lucet via longo  
 Ordine flammaram, et late discriminat agros.  
 Contra turba Phrygum veniens plangentia iungit 145  
 Agmina. Quae postquam matres succedere tectis  
 Viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.  
 At non Euandrum potis est vis ulla tenere;  
 Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto  
 Procubuit super, adque haeret lacrimansque gemens-  
 que, 150

Et via vix tandem voci laxata dolorest:  
 Non haec, o Palla, dederas promissa parenti!  
 Cautius ut saevo velles te credere Marti!  
 Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis  
 Et praedulce decus primo certamine posset. 155  
 Primitiae iuvenis miserae, bellique propinqui  
 Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum  
 Vota precesque meae! tuque, o sanctissima coniunx,  
 Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!  
 Contra ego vivendo vici mea fata, superstes 160  
 Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum  
 Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,  
 Adque haec pompa domum me, non Pallanta, re-  
 ferret!

Nec vos arguerim, Teucri, nec foedera, nec quas  
 Iunximus hospitio dexteras; sors ista senectae 165  
 Debita erat nostrae. Quod si immatura manebat

Mors gnatum, caesis Volscorum milibus ante  
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvaret.  
Quam ego non alio digner te funere, Palla,  
Quam pius Aeneas, et quam magni Phryges, et  
quam 170

Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.  
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto;  
Tu quoque nunc stares inmanis truncus in armis,  
Esset par aetas et idem si robur ab annis,  
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis? 175  
Vadite et haec memores regi mandata referte:  
Quod vitam moror invisam, Pallante perempto,  
Dextera caussa tuast, Turnum gnatoque patrique  
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus  
Fortunaeque locus. Non vitae gaudia quaero; 180  
Nec fas; sed gnato Manis perferre sub imos.

Aurora interea miseris mortalibus almam  
Extulerat lucem, referens opera adque laboris:  
Iam pater Aeneas, iam curvo in litore Tarchon  
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum 185  
More tulere patrum; subiectisque ignibus atris  
Conditur in tenebras altum caligine caelum.  
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,  
Decurrere rogos; ter maestum funeris ignem  
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere. 190  
Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma.  
It caelo clamorque viram clangorque tubarum.  
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis  
Coniciunt igni, galeas ensesque decoros  
Frenaque ferventisque rotas; pars munera nota, 195  
Ipsorum clipeos et non felicia tela.  
Multa bovum circa mactantur corpora Morti,  
Saetigerosque sues raptasque ex omnibus agris  
In flammam iugulant pecudes. Tum litore toto  
Ardentis spectant socios, semiustaque servant 200  
Busta, neque avelli possunt, nox umida donec  
Invertit caelum stellis ardentibus aptum.

Nec minus et miseri diversa in parte Latini  
 Innumeras struxere pyras; et corpora partim  
 Multa virum terrae infodiunt, avectaque partim 205  
 Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt;  
 Cetera, confusaeque ingentem caedis acervom,  
 Nec numero nec honore cremant; tunc undique vasti  
 Certatim crebris conlucent ignibus agri.  
 Tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram: 210  
 Maerentes altum cinerem et confusa ruebant  
 Ossa focus, tepidoque onerabant aggere terrae.  
 Iam vero in tectis, praedivitis urbe Latini,  
 Praecipuus fragor et longi pars maxuma luctus.  
 Hic matres miseraeque nurus, hic cara sororum 215  
 Pectora maerentum, puerique parentibus orbi,  
 Dirum execrantur bellum Turnique hymenaeos;  
 Ipsum armis, ipsumque iubent decernere ferro,  
 Qui regnum Italiae et primos sibi poscat honores.  
 Ingravat haec saevos Drances, solumque vocari 220  
 Testatur, solum posci in certamina Turnum.  
 Multa simul contra variis sententia dictis  
 Pro Turno; et magnum reginae nomen obumbrat;  
 Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.

Hos inter motus, medio in flagrante tumultu, 225  
 Ecce super maestis magna Diomedis ab urbe  
 Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum  
 Tantorum impensis operum; nil dona neque aurum  
 Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis  
 Quaerenda, aut pacem Troiano ab rege petendum. 230  
 Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.  
 Fatalem Aenean manifesto numine ferri  
 Admonet ira deum tumulique ante ora recentes.  
 Ergo concilium magnum primosque suorum  
 Inperio accitos alta intra limina cogit. 235  
 Olli convenere, fluuntque ad regia plenis  
 Tecta viis. Sedet in mediis et maxumus aevo  
 Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.  
 Adque hic legatos Aetola ex urbe remissos,

Quae referant, fari iubet, et responsa reposcit 240  
 Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,  
 Et Venulus dicto parens ita farier infit :

Vidimus, o cives, Diomedem Argivaque castra,  
 Adque iter emensi cassus superavimus omnis,  
 Contigimusque manum, qua concidit Iliæ tellus. 245  
 Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis  
 Victor Gargani condebat Iapygis arvis.  
 Postquam introgressi et coram data copia fandi,  
 Munera praeferimus, nomen patriamque docemus ;  
 Qui bellum intulerint, quæ caussa attraxerit Ar-  
 pos. 250

Auditis ille hæc placido sic reddidit ore :  
 O fortunatae gentes, Saturnia regna,  
 Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos  
 Sollicitat, suadetque ignota lacescere bella ?  
 Quicumque Iliacos ferro violavimus agros, — 255  
 Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,  
 Quos Simois premat ille viros — infanda per orbem  
 Supplicia et scelerum poenas expendimus omnes,  
 Vel Priamo miseranda manus ; scit triste Minervæ  
 Sidus et Euboicae cautes ultorque Caphereus. 260  
 Militia ex illa diversum ad litus abacti  
 Atrides Protei Menelaus adusque columnas  
 Exsulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes.  
 Regna Neoptolemi referam, versosque penatis  
 Idomenei ? Libycone habitantis litore Locros ? 265  
 Ipse Mycenaëus magnorum ductor Achivom  
 Coniugis infandæ prima intra limina dextra  
 Oppetiit ; devictam Asiam subsedit adulter.  
 Invidisse deos, patriis ut redditus aris  
 Coniugium optatum et pulchram Calydonæ vide-  
 rem ? 270

Nunc etiam horribili visu portenta secuntur,  
 Et socii amissi petierunt aethera pinnis,  
 Fluminibusque vagantur aves — heu dira meorum  
 Supplicia ! — et scopulos lacrimosis vocibus implent.

**Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt** 275  
**Tempore, cum ferro caelestia corpora demens**  
**Adpetii et Veneris violavi volnere dextram.**  
**Ne vero, ne me ad talis inpellite pugnas.**  
**Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum**  
**Pergama; nec veterum memini laetorve malorum.** 280  
**Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,**  
**Vertite ad Aenean. Stetimus tela aspera contra,**  
**Contulimusque manus: experto credite, quantus**  
**In clipeum adsurgat, quo turbine torqueat hastam.**  
**Si duo praeterea talis Idaea tulisset** 285  
**Terra viros, ultro Inachias venisset ad urbes**  
**Dardanus, et versis lugeret Graecia fatis.**  
**Quidquid apud durae cessatumst moenia Troiae,**  
**Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium**  
**Haesit et in decumum vestigia rettulit annum.** 290  
**Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis;**  
**Hic pietate prior. Coeant in foedera dextrae,**  
**Qua datur; ast armis concurrant arma cavete.**  
**Et responsa simul quae sint, rex optume, regis**  
**Audisti, et quae sit magno sententia bello.** 295

**Vix ea legati: variusque per ora cucurrit**  
**Ausonidum turbata fremor; ceu saxa morantur**  
**Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur,**  
**Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.**  
**Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt,** 300  
**Praefatus divos solio rex infit ab alto:**

**Ante equidem summa de re statuisset, Latini,**  
**Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali**  
**Cogere concilium, cum muros adsidet hostis.**  
**Bellum inopportuno, cives, cum gente deorum,** 305  
**Invictisque viris, gerimus, quos nulla fatigant**  
**Proelia, nec victi possunt absistere ferro.**  
**Spem siquam adscitis Aetolum habuistis in armis,**  
**Ponite. Spes sibi quisque; sed haec quam angusta,**  
**videtis.**

Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina, 310

Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.

Nec quemquam incusso : potuit quae plurima virtus

Esse, fuit; toto certatumst corpore regni.

Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,  
Expedit et paucis — animos adhibete — docebo. 315

Est anticus ager Tusco mihi proximus amni,

Longus in occassum, finis super usque Sicanos;

Aurunci Rutulique serunt, et vomere duos

Exercent collis, adque horum asperrima pascunt.

Haec omnis regio et celsi plaga pinea montis 320

Cedat amicitiae Teucrorum; et foederis aequas

Dicamus leges, sociosque in regna vocemus;

Considant, si tantus amor, et moenia condant.

Sin alios finis aliamque capessere gentem

Est animus, possuntque solo decedere nostro: 325

Bis denas Italo texamus robore navis,

Seu pluris complere valent; iacet omnis ad undam

Materies; ipsi numerumque modumque carinis

Praecipiant; nos aera, manus, navalia demus.

Praeterea, qui dicta ferant et foedera firment, 330

Centum oratores prima de gente Latinos

Ire placet, pacisque manu praetendere ramos,

Munera portantis auriue eborisque talenta

Et sellam regni trabeamque insignia nostri.

Consulite in medium, et rebus succurrite fessis. 335

Tum Drances, idem infensus, quem gloria Turni

Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,

Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello

Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,

Seditione potens; genus huic materna superbum 340

Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat;

Surgit, et his onerat dictis adque aggerat iras:

Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem,

Consulis, o bone rex; cuncti se scire fatentur,

Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant. 345

Det libertatem fandi, flatusque remittat,

Cuius ob auspiciū infaustum moresque sinistros —  
Dicam equidem, licet arma mihi mortemque mine-  
tur —

Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus  
Consedisse urbem luctu, dum Troia temptat 350  
Castra, fugae fidens, et caelum territat armis.  
Unum etiam donis istis, quae plurima mitti  
Dardanidis dicique iubes, unum, optume regum,  
Adicias; nec te ullius violentia vincat,  
Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis 355  
Des, pater, et pacem hanc aeterno foedere iungas.  
Quod si tantus habet mentes et pectora terror,  
Ipsū obtestemur, veniamque oremus ab ipso:  
Cedat, ius propriū regi patriaeque remittat.  
Quid miseros totiens in aperta pericula civis 360  
Proicis, o Latio caput horum et caussa malorum?  
Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes,  
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.  
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse  
Nil moror, en supplex venio. Miserere tuorum, 365  
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi  
Vidimus, ingentis et desolavimus agros.  
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur  
Concipis, et si adeo dotalis regia cordist,  
Aude, adque adversum fidens fer pectus in hostem. 370  
Scilicet, ut Turno contingat regia coniunx,  
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba,  
Sternamur campis. Et iam tu, siqua tibi vis,  
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,  
Qui vocat. 375

Talibus exarsit dictis violentia Turni;  
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:  
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi  
Tum, cum bella manus poscunt; patribusque vocatis  
Primus ades. Sed non replendast curia verbis, 380  
Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem  
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.

Proinde tona eloquio; solitum tibi; meque timoris  
 Argue tu, Drance, quando tot stragis acervos  
 Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis 385  
 Insignis agros. Possit quid vivida virtus,  
 Experiare licet; nec longe scilicet hostes  
 Quaerendi nobis; circumstant undique muros.

Imus in adversos! quid cessas? an tibi Mavors  
 Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis 390  
 Semper erit?

Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum  
 Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim  
 Sanguine, et Euandri totam cum stirpe videbit  
 Procubuisse domum, adque exutos Arcadas armis? 395  
 Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,  
 Et quos mille die victor sub Tartara misi,  
 Inclusus muris hostileque aggere saeptus.

„Nulla salus bello.“ Capiti cane talia, demens,  
 Dardanio rebusque tuis. Proinde omnia magno 400  
 Ne cessa turbare metu, adque extollere viris  
 Gentis bis victae, contra premere arma Latini.  
 Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tre-  
 mescunt,

Nunc et Tydides et Larissaeus Achilles,  
 Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas. 405

Vel cum se pavidum contra mea iurgia fingit  
 Artificis scelus, et formidine crimen acerbatur.

Numquam animam talem dextra hac — absiste moveri —  
 Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.

Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta rever-  
 tor. 410

Si nullam nostris ultra spem ponis in armis,  
 Si tam deserti sumus, et semel agmine verso  
 Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum,  
 Oremus pacem, et dextras tendamus inertis.

Quamquam, o, si solitae quicquam virtutis adesset, 415  
 Ille mihi ante alios fortunatusque laborum  
 Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,  
 Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.



Sin et opes nobis et adhuc intacta iuventus,  
 Auxilioque urbes Italae populiue supersunt, 420  
 Sin et Troianis cum multo gloria venit  
 Sanguine : — sunt illis sua funera, parque per omnis  
 Tempestas — cur indecores in limine primo  
 Deficimus ? cur ante tubam tremor occupat artus ?  
 Multa dies varique labor mutabilis aevi 425  
 Rettulit in melius ; multos alterna revisens  
 Lusit et in solido rursus Fortuna locavit.  
 Non erit auxilio nobis Aetolus et Arpi :  
 At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos  
 Tot populi misere duces ; nec parva sequetur 430  
 Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.  
 Est et Volscorum egregia de gente Camilla,  
 Agmen agens equitum et florentis aere catervas.  
 Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,  
 Idque placet, tantumque bonis communibus obsto, 435  
 Non adeo has exosa manus Victoria fugit,  
 Ut tanta quicquam pro spe temptare recussem.  
 Ibo animis contra, vel magnum praestet Achillen,  
 Factaque Volcani manibus paria induat arma  
 Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino 440  
 Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,  
 Devovi. „Solum Aeneas vocat.“ Et vocet oro ;  
 Nec Drances potius, sive haec ira deorum,  
 Morte luat, sive virtus et gloria, tollat.

Illi haec inter se dubiis de rebus agebant 445  
 Certantes : castra Aeneas aciemque movebat.  
 Nuntius ingenti per regia tecta tumultu  
 Ecce ruit, magnisque urbem terroribus inplet :  
 Instructos acie Tiberino a flumine Teucros  
 Tyrrhenamque manum totis descendere campis. 450  
 Extemplo turbati animi concussaue volgi  
 Pectora, et arrectae stimulis haud mollibus irae.  
 Arma manu trepidi poscunt ; fremit arma iuventus ;  
 Flent maesti mussantque patres. Hic undique clamor  
 Dissensu vario magnus se tollit ad auras : 455

Haud secus, adque alto in luco cum forte catervae  
 Consedere avium, piscosove anne Padusae  
 Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.  
 Immo, ait, o cives, arrepto tempore Turnus,  
 Cogite concilium, et pacem laudate sedentes: 460  
 Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus  
 Corripuit sese et tectis citus extulit altis.  
 Tu, Voluse, armari Volscorum edice manipulis;  
 Duc, ait, et Rutulos. Equitem, Messapus, in armis,  
 Et cum fratre Coras, latis diffundite campis. 465  
 Pars aditus urbis firmet, turrisque capessat;  
 Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.  
 Illicet in muros tota discurritur urbe.  
 Concilium ipse pater et magna incepta Latinus  
 Deserit, ac tristi turbatus tempore differt, 470  
 Multaque se incussat, qui non acceperit ultro  
 Dardanium Aenean, generumque adsciverit urbi.  
 Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque  
 Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum  
 Bucina. Tum muros varia cinxere corona 475  
 Matronae puerique; vocat labor ultimus omnis.  
 Nec non ad templum summasque ad Palladis arces  
 Subvehitur magna matrum regina caterva,  
 Dona ferens, iuxtaque comes Lavinia virgo,  
 Causa mali tanti, oculos delecta decoros. 480  
 Succedunt matres, et templum ture vaporant,  
 Et maestas alto fundunt de limine voces:  
 Armipotens, praeses belli, Tritonia virgo,  
 Frange manu telum Phrygii praedonis, et ipsum  
 Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis. 485  
 Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.  
 Iamque adeo Rutulum thoraca indutus aenis  
 Horrebat squamis, surasque incluserat auro,  
 Tempora nudus adhuc, laterique accinxerat ensem,  
 Fulgebatque alta decurrens aureus arce, 490  
 Exsultatque animis, et spe iam praecipit hostem:  
 Qualis ubi abruptis fugit praeseptis vinclis  
 Tandem liber ecus, campoque potitus aperto

Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,  
 Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto 495  
 Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte  
 Luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.  
 Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla  
 Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis  
 Desiluit, quam tota cohors imitata relictis 500  
 Ad terram defluxit equis; tum talia fatur:  
 Turne, sui merito siquast fiducia forti,  
 Audeo et Aeneadam promitto occurrere turmae  
 Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.  
 Me sine prima manu temptare pericula belli; 505  
 Tu pedes ad muros subsiste, et moenia serva.  
 Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus:  
 O decus Italiae virgo, quas dicere grates,  
 Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando  
 Iste animus supra, mecum partire laborem. 510  
 Aeneas, ut fama fidem missique reportant  
 Exploratores, equitum levia improbus arma  
 Praemisit, quaterent campos; ipse ardua montis  
 Per deserta iugo superans adventat ad urbem.  
 Furta paro belli convexo in tramite silvae, 515  
 Ut bivias armato obsidam milite fauces.  
 Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;  
 Tecum acer Messapus erit, turmaeque Latinae,  
 Tiburtique manus; ducis et tu concipe curam.  
 Sic ait, et paribus Messapum in proelia dictis 520  
 Hortatur sociosque duces, et pergit in hostem.  
 Est curvo anfractu valles, adcommoda fraudi  
 Armorumque dolis, quam densis frondibus atrum  
 Urguet utrimque latus, tenuis quo semita ducit  
 Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni. 525  
 Hanc super in speculis summoque in vertice montis  
 Planities ignota iacet, tutique recessus,  
 Seu dextra laevaue velis occurrere pugnae,  
 Sive instare iugis et grandia volvere saxa.  
 Huc iuvenis nota fertur regione viarum, 530  
 Arripuitque locum et silvis insedit iniquis.

Velocem interea superis in sedibus Opim,  
 Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,  
 Compellabat et has tristis Latonia voces  
 Ore dabat : Graditur bellum ad crudele Camilla, 535  
 O virgo, et nostris nequiquam cingitur armis,  
 Cara mihi ante alias. Neque enim novos iste Dianae  
 Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.  
 Pulsus ob invidiam regno virisque superbas  
 Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe, 540  
 Infantem fugiens media inter proelia belli  
 Sustulit exsilio comitem, matrisque vocavit  
 Nomine Casmillae, mutata parte, Camillam.  
 Ipse sinu prae se portans iuga longa petebat  
 Solorum nemorum; tela undique saeva premebant, 545  
 Et circumfuso volitabant milite Volsci.  
 Ecce, fugae medio, summis Amasenus abundans  
 Spumabat ripis; tantus se nubibus imber  
 Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore  
 Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum 550  
 Versanti subito vix haec sententia sedit :  
 Telum inmane, manu valida quod forte gerebat  
 Bellator, solidum nodis et robore cocto,  
 Huic natam, libro et silvestri subere clausam,  
 Implicat, adqueabilem mediae circumligat hastae; 555  
 Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur :  
 Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,  
 Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras  
 Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,  
 Diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris. 560  
 Dixit, et adducto contortum hastile lacerto  
 Inmittit: sonuere undae; rapidum super amnem  
 Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.  
 At Metabus, magna propius iam urgente caterva,  
 Dat sese fluvio, adque hastam cum virgine victor 565  
 Gramineo donum Triviae de caespite vellit.  
 Non illum tectis ullae, non moenibus urbes  
 Accepere, neque ipse manus feritate dedisset :  
 Pastorum et solis exegit montibus aevom.

Hic natam in dumis interque horrentia lustra 570  
 Armentalis equae mammis et lacte ferino  
 Nutribat, teneris inmulgens ubera labris.  
 Utque pedum primis infans vestigia plantis  
 Institerat, iaculo palmas armavit acuto,  
 Spiculaque ex umero parvae suspendit et arcum. 575  
 Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,  
 Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.  
 Tela manu iam tum tenera puerilia torsit,  
 Et fundam tereti circum caput egit habena,  
 Strymoniamque gruem, aut album deiecit olorem. 580  
 Multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres  
 Optavere nurum; sola contenta Diana  
 Aeternum telorum et virginitatis amorem  
 Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset  
 Militia tali, conata lacessere Teucros : 585  
 Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.  
 Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,  
 Labere, Nympha, polo, finisque invise Latinos,  
 Tristis ubi infausto committitur omine pugna.  
 Haec cape, et ultricem pharetra deprome sagit-  
 tam : 590  
 Hac, quicumque sacrum violarit vulnere corpus,  
 Tros Italusve, mihi pariter det sanguine poenas.  
 Post ego nube cava miserandae corpus et arma  
 Inspoliata feram tumulo, patriaeque reponam.  
 Dixit; at illa levis caeli delapsa per auras 595  
 Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.

At manus interea muris Troiana propinquit  
 Etruscique duces equitumque exercitus omnis,  
 Conpositi numero in turmas. Fremit aequore toto  
 Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis 600  
 Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis  
 Horret ager, campique armis sublimibus ardent.  
 Nec non Messapus contra celeresque Latini  
 Et cum fratre Coras et virginis ala Camillae  
 Adversi campo adparent, hastasque reductis 605

Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;  
 Adventusque virum fremitusque ardescit equorum.  
 Iamque intra iactum teli progressus uterque  
 Constiterat: subito erumpunt clamore, furentisque  
 Exhortantur equos; fundunt simul undique tela, 610  
 Crebra, nivis ritu, caelumque obtexitur umbra.  
 Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus  
 Conixi incurrunt hastis, primique ruinam  
 Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum  
 Pectora pectoribus rumpunt; excussus Aconteus 615  
 Fulminis in morem aut tormento ponderis acti,  
 Praecipitat longe, et vitam dispergit in auras.  
 Extemplo turbatae acies, versique Latini  
 Reiciunt parmas et equos ad moenia vertunt.  
 Troes agunt; princeps turmas inducit Asilas. 620  
 Iamque propinquabant portis, rursusque Latini  
 Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt:  
 Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.  
 Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus  
 Nunc ruit ad terram, scopulosque superiacit unda 625  
 Spumeus, extremamque sinu perfundit harenam;  
 Nunc rapidus retro adque aestu revoluta resorbens  
 Saxa fugit, litusque vado labente relinquit.  
 Bis Tusci Rutulos egere ad moenia versos;  
 Bis reiecti armis respectant terga tegentes. 630  
 Tertia sed postquam congressi in proelia, totas  
 Implicuere inter se acies, legitque virum vir:  
 Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto  
 Armaque corporaque et permixti caede virorum  
 Semianimes volvontur equi; pugna aspera surgit. 635  
 Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,  
 Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit.  
 Quo sonipes ictu furit arduus, altaque iactat  
 Volneris inpatiens arrecto pectore crura.  
 Volvitur ille excussus humi. Catillus Iollan, 640  
 Ingentemque animis, ingentem corpore et armis  
 Deicit Herminium, nudo cui vertice fulva  
 Caesaries, nudique umeri; nec volnera terrent;

Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos  
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore. 645  
Funditur ater ubique cruor; dant funera ferro  
Certantes, pulchramque petunt per volnera mortem.

At medias inter caedes exsultat Amazon,  
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla;  
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset, 650  
Nunc validam dextra rapit indefessa bipinnem;  
Aureus ex umero sonat arcus et arma Dianae.  
Illa etiam, siquando in tergum pulsa recessit,  
Spicula converso fugientia dirigit arcu.

At circum lectae comites, Larinaque virgo 655  
Tullaque et aeratam quatiens Tarpeia securim,  
Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla  
Delegit, pacisque bonas bellicque ministras:  
Quales Threiciae cum flumina Thermodontis  
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis, 660  
Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru  
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu  
Feminea exsultant lunatis agmina peltis.

Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo,  
Deicis? aut quot humi morientia corpora fundis? 665  
Euneum Clytio primum patre; cuius apertum  
Adversi longa transverberat abiete pectus.  
Sanguinis ille vomens rivos cadit, adque cruentam  
Mandit humum, moriensque suo se in volnere versat.  
Tum Lirim, Pagasumque super; quorum alter habe-  
nas 670

Suffuso revolutus equo dum colligit, alter  
Dum subit ac dextram labenti tendit inermem,  
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amastrum  
Hippotaden, sequiturque incumbens eminus hasta  
Tereaque Harpalycumque et Demophoonta Chromim-  
que; 675

Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,  
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis  
Ignotis et equo venator Iapyge fertur,

Cui pellis latos umeros erepta iuvenco  
 Pugnatori operit, caput ingens oris hiatus 680  
 Et malae texere lupi cum dentibus albis,  
 Agrestisque manus armat sparus; ipse catervis  
 Vertitur in mediis, et toto vertice suprast.  
 Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,  
 Traicit, et super haec inimico pectore fatur: 685  
 Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?  
 Advenit qui vestra dies muliebribus armis  
 Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve patrum  
 Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae.  
 Protinus Orsilochum et Buten, duo maxuma Teu-  
 crum 690

Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit  
 Loricam galeamque inter, qua colla sedentis  
 Lucent, et laevo dependet parma lacerto;  
 Orsilochum, fugiens magnumque agitata per orbem,  
 Eludit gyro interior, sequiturque sequentem; 695  
 Tum validam perque arma viro perque ossa securim,  
 Altior exsurgens, oranti et multa precanti  
 Congeminat; volnus calido rigat ora cerebro.  
 Incidit huic subitoque aspectu territus haesit  
 Appenninicolae bellator filius Auni, 700  
 Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.  
 Isque, ubi se nullo iam cursu evadere pugnae  
 Posse neque instantem reginam avertere cernit,  
 Consilio versare dolos ingressus et astu,  
 Incipit haec: Quid tam egregium, si femina forti 705  
 Fidis equo? Dimitte fugam, et te comminus aequo  
 Mecum crede solo, pugnaeque accinge pedestri:  
 Iam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.  
 Dixit; at illa furens acrique accensa dolore  
 Tradit eum comiti, paribusque resistit in armis, 710  
 Ense pedes nudo, puraque interrta parma.  
 At iuvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse,  
 Haud mora, conversisque fugax aufertur habenis,  
 Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.  
 Vane Ligus, frustra que animis elate superbis, 715



Nequiquam patrias temptasti lubricus artis,  
 Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.  
 Haec fatur virgo, et pernicibus ignea plantis  
 Transit ecum cursu, frenisque adversa prehensis  
 Congreditur poenasque inimico ex sanguine sumit: 720  
 Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto  
 Consequitur pinnis sublimem in nube columbam,  
 Compransamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;  
 Tum cruor et volsae labuntur ab aethere plumae.

At non haec nullis hominum sator adque deo-  
 rum 725

Observans oculis summo sedet altus Olympo.  
 Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva  
 Suscitât, et stimulis haud mollibus inicit iras.  
 Ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarchon  
 Fertur equo, variisque instigat vocibus alas, 730  
 Nomine quemque vocans, reficitque in proelia pulsos.  
 Quis metus, o numquam dolituri, o semper inertes  
 Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?  
 Femina palantis agit, adque haec agmina vertit?  
 Quo ferrum, quidve haec gerimus tela inrita dex-  
 tris? 735

At non in Venerem segnes nocturnaue bella,  
 Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,  
 Expectare dapes et plenae pocula mensae, —  
 Hic amor, hoc studium — dum sacra secundus haru-  
 spex

Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos. 740  
 Haec effatus ecum in medios, moriturus et ipse,  
 Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert,  
 Dereptumque ab equo dextra conplectitur hostem  
 Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.  
 Tollitur in caelum clamor, cunctique Latini 745  
 Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarchon,  
 Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta  
 Defringit ferrum, et partis rimatur apertas,  
 Qua vulnus letale ferat; contra ille repugnans

Sustinet a iugulo dextram, et vim viribus exit. 750  
 Utque volans alte raptum cum fulva draconem  
 Fert aquila, implicuitque pedes, adque unguibus  
 haesit;

Saucius at serpens sinuosa volumina versat,  
 Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,  
 Arduus insurgens; illa haud minus urguet obunco 755  
 Luctantem rostro; simul aethera verberat alis:  
 Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon  
 Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti  
 Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns  
 Velocem iaculo et multa prior arte Camillam 760

Circuit, et, quae sit fortuna facillima, temptat.  
 Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo,  
 Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat;  
 Qua victrix redit illa pedemque ex hoste reportat,  
 Hac iuvenis furtim celeris detorquet habenas. 765

Hos aditus, iamque hos aditus, omnemque pererrat  
 Undique circuitum, et certam quatit improbus hastam.  
 Forte sacer Cybelae Chloreus olimque sacerdos  
 Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,  
 Spumantemque agitabat ecum, quem pellis aenis 770  
 In plumam squamis auro conserta tegebat.

Ipsa, peregrina ferrugine clarus et ostro,  
 Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;  
 Aureus ex umero sonat arcus, et aurea vati  
 Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque cre-  
 pantis 775

Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,  
 Pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum.  
 Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma  
 Troia, captivo sive ut se ferret in auro,  
 Venatrix unum ex omni certamine pugnae 780

Caeca sequebatur, totumque incauta per agmen  
 Femineo praedae et spoliorum ardebat amore:  
 Telum ex insidiis cum tandem tempore capto  
 Concitat et superos Arruns sic voce precatur:  
 Summe deum, sancti custos Soractis Apollo, 785

Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo  
Pascitur, et medium freti pietate per ignem  
Cultores multa premimus vestigia pruna,  
Da, Pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,  
Omnipotens. Non exuvias pulsaeve tropaeum 790  
Virginis, aut spolia ulla peto; mihi cetera laudem  
Facta ferent; haec dira meo dum volnere pestis  
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.  
Audiit et voti Phoebus succedere partem  
Mente dedit, partem volucris dispersit in auras: 795  
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,  
Adnuat oranti; reducem ut patria alta videret,  
Non dedit; inque notos vocem vertere procellae.  
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,  
Convertere animos acris oculosque tulere 800  
Cuncti ad reginam Volsi. Nihil ipsa nec aurae  
Nec sonitus memor aut venientis ab aethere teli,  
Hasta sub exsertam donec perlata papillam  
Haesit, virgineumque alte bibit acta cruorem.  
Concurrunt trepidae comites, dominamque ruentem 805  
Suscipiunt. Fugit ante omnis exterritus Arruns,  
Laetitia mixtoque metu, nec iam amplius hastae  
Credere, nec telis occurrere virginis audet.  
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,  
Continuo in montis sese avius abdidit altos 810  
Occiso pastore lupus magnove iuvenco,  
Conscius audacis facti, caudamque remulcens  
Subiecit pavitantem utero, silvasque petivit:  
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,  
Contentusque fuga mediis se immiscuit armis. 815  
Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter  
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.  
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto  
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.  
Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam, 820  
Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae,  
Quicum partiri curas; adque haec ita fatur:  
Hactenus, Acca soror, potui; nunc volnus acerbum

Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.  
 Effuge et haec Turno mandata novissima perfer : 825  
 Succedat pugnae Troianosque arceat urbe.  
 Iamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,  
 Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto  
 Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla  
 Et captum leto posuit caput, arma relinquens, 830  
 Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.  
 Tum vero inmensus surgens ferit aurea clamor  
 Sidera; deiecta crudescit pugna Camilla;  
 Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum  
 Tyrrhenique duces Euandrique Arcades alae. 835

At Triviae custos iandudum in montibus Opis  
 Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.  
 Utque procul medio iuvenum in clamore furentum  
 Prospexit tristi multatam morte Camillam,  
 Ingemuitque deditque has imo pectore voces : 840  
 Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti  
 Supplicium, Teucros conata lacessere bello!  
 Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam  
 Profuit, aut nostras umero gessisse sagittas.  
 Non tamen indecorem tua te regina reliquit 845  
 Extrema iam in morte; neque hoc sine nomine letum  
 Per gentis erit, aut famam patieris inultae.  
 Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,  
 Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto  
 Regis Dercenni terreno ex aggere bustum 850  
 Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum;  
 Hic dea se primum rapido pulcherrima nisu  
 Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.  
 Ut vidit laetantem animis ac vana tumentem:  
 Cur, inquit, diversus abis? huc dirige gressum, 855  
 Huc periture veni, capias ut digna Camillae  
 Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?  
 Dixit, et aurata volucrem Threissa sagittam  
 Deprompsit pharetra, cornuque infensa tetendit,  
 Et duxit longe, donec curvata coirent 860

Inter se capita, et manibus iam tangeret aequis,  
 Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.  
 Extemplo teli stridorem aurasque sonantis  
 Audiit una Arruns, haesitque in corpore ferrum.  
 Illum expirantem socii adque extrema gementem 865  
 Obliti ignoto camporum in pulvere lincunt;  
 Opis ad aetherium pinnis aufertur Olympon.

Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillae;  
 Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,  
 Disiectique duces desolatique manipuli 870  
 Tuta petunt, et equis aversi ad moenia tendunt.  
 Nec quisquam instantis Teucros letumque ferentis  
 Sustentare valet telis, aut sistere contra;  
 Sed laxos referunt umeris languentibus arcus,  
 Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula cam-  
 pum. 875

Volvitur ad muros caligine turbidus atra  
 Pulvis, et e speculis percussae pectora matres  
 Femineum clamorem ad caeli sidera tollunt.  
 Qui cursu portas primi inrupere patentis,  
 Hos inimica super mixto premit agmine turba; 880  
 Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,  
 Moenibus in patriis adque inter tuta domorum  
 Confixi expirant animas. Pars claudere portas;  
 Nec sociis aperire viam, nec moenibus audent  
 Accipere orantis; oriturque miserrima caedes 885  
 Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.  
 Exclusi ante oculos lacrimantumque ora parentum  
 Pars in praecipitis fossas urgente ruina  
 Volvitur, inmissis pars caeca et concita frenis  
 Arietat in portas et duros obice postis. 890  
 Ipsae de muris summo certamine matres, —  
 Monstrat amor verus patriae — ut videre Camillam,  
 Tela manu trepidae iaciunt, ac robore duro  
 Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis  
 Praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent. 895

Interea Turnum in silvis saevissimus inplet  
Nuntius, et iuveni ingentem fert Acca tumultum:  
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,  
Ingruere infensos hostis, et Marte secundo  
Omnia corripuisse, metum iam ad moenia ferri. 900  
Ille furens — et saeva Iovis sic numina poscunt —  
Deserit obsessos collis, nemora aspera linquit.  
Vix e conspectu exierat campumque tenebat,  
Cum pater Aeneas, saltus ingressus apertos,  
Exsuperatque iugum silvae evadit opaca. 905  
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur  
Agmine, nec longis inter se passibus absunt,  
Ac simul Aeneas fumantis pulvere campos  
Prospexit longe Laurentiaque agmina vidit,  
Et saevom Aenean adgnovit Turnus in armis 910  
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.  
Continuoque ineant pugnas et proelia temptent,  
Ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hiberno  
Tinguat equos noctemque die labente reducat.  
Considunt castris ante urbem et moenia vallant. 915

---

P. VERGILI MARONIS  
A E N E I D O S  
LIBER DUODECIMUS.

**T**urnus ut infractos adverso Marte Latinos  
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,  
Se signari oculis, ultro inplacabilis ardet,  
Attollitque animos. Poenorum qualis in arvis,  
Saucius ille gravi venantum volnere pectus, 5  
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis  
Excutiens cervice toros, fixumque latronis  
Inpavidus frangit telum, et fremit ore cruento:  
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.  
Tum sic adfatur regem, adque ita turbidus infit: 10  
Nulla mora in Turno; nihil est, quod dicta retractent  
Ignavi Aeneadae, nec, quae pepigere, recussent.  
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe foedus.  
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,  
Desertorem Asiae, — sedeant spectentque Latini — 15  
Et solus ferro crimen commune refellam;  
Aut habeat victos, cedat Lavinia coniunx.

Olli sedato respondit corde Latinus :  
O praestans animi iuvenis, quantum ipse feroci  
Virtute exsuperas, tanto me inpensius aecumst 20  
Consulere, adque omnis metuentem expendere cassus.

Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta  
 Multa manu; nec non aurumque animusque Latinost.  
 Sunt aliae innuptae Latio et Laurentibus agris,  
 Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia  
 fatu 25

Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri:  
 Me natam nulli veterum sociare procorum  
 Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.  
 Victus amore tui, cognato sanguine victus,  
 Coniugis et maestae lacrimis, vincla omnia rupi: 30  
 Promissam eripui genero; arma impia sumpsit.

Ex illo qui me cassus, quae, Turne, sequantur  
 Bella, vides, quantos primus patiare laboris.  
 Bis magna victi pugna vix urbe tuemur  
 Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta 35

Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus alben.  
 Quo referor totiens? quae mentem insania mutat?  
 Si Turno extincto socios sum adscire paratus,  
 Cur non incolumi potius certamina tollo?

Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet 40  
 Italia, ad mortem si te — Fors dicta refutet! —  
 Prodiderim, natam et conubia nostra petentem?

Respice res bello varias; miserere parentis  
 Longaevi, quem nunc maestum patria Ardea longe  
 Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni 45

Flectitur; exsuperat magis, aegrescitque medendo.  
 Ut primum fari potuit, sic institit ore:

Quam pro me curam geris, hanc precor, optume,  
 pro me

Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.  
 Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra 50

Spargimus; et nostro sequitur de vulnere sanguis.  
 Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem  
 Feminea tegat, et vanis sese occulat umbris.

At regina, nova pugnae conterrita sorte,  
 Flebat, et ardentem generum moritura tenebat: 55  
 Turne, per has ego te lacrimas, per siquis Amatae



Tangit honos animum, — spes tu nunc una, senectae  
 Tu requies miserae; decus inperiumque Latini  
 Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit —  
 Unum oro: desiste manum committere Teucris. 60  
 Qui te cumque manent isto certamine cassus,  
 Et me, Turne, manent; simul haec invisa relinquam  
 Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.  
 Accepit vocem lacrimis Lavinia matris  
 Flagrantis perfusa genas, cui plurimum ignem 65  
 Subiecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.  
 Indum sanguineo veluti violaverit ostro  
 Siquis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa  
 Alba rosa: talis virgo dabat ore colores.  
 Illum turbat amor, figitque in virgine voltus. 70  
 Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:  
 Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto  
 Prosequere in duri certamina Martis euntem,  
 O mater; neque enim Turno mora libera mortis.  
 Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno 75  
 Haud placitura refer: Cum primum crastina caelo  
 Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,  
 Non Teucros agat in Rutulos; Teucrum arma qui-  
 escant,  
 Et Rutuli: nostro dirimamus sanguine bellum;  
 Illo quaeratur coniunx Lavinia campo. 80

Haec ubi dicta dedit: rapidusque in tecta recessit;  
 Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis,  
 Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,  
 Qui candore nives anteirent, cursibus auras.  
 Circumstant properi aurigae manibusque lacesunt 85  
 Pectora plausa cavis et colla comantia pectunt.  
 Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco  
 Circumdat lorica umeris; simul aptat habendo  
 Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae;  
 Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti 90  
 Fecerat et Stygia candentem tinxerat unda.  
 Exim, quae mediis ingenti adnixa columnae

Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,  
 Actoris Aurunci spoliū, quassatque trementem,  
 Vociferans: Nunc, o numquam frustrata vocatus 95  
 Hasta meos, nunc tempus adest; te maxumus Actor,  
 Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,  
 Loricamque manu valida lacerare revolsam  
 Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crinis  
 Vibratos calido ferro murraque madentis. 100  
 His agitur furiis; totoque ardentis ab ore  
 Scintillae absistunt; oculis micat acribus ignis.  
 Mugitus veluti cum prima in proelia taurus  
 Terrificos ciet adque irasci in cornua temptat,  
 Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit 105  
 Ictibus, aut sparsa ad pugnam proludit harena.

Nec minus interea maternis saevos in armis  
 Aeneas acuit Martem et se suscitāt ira,  
 Oblato gaudens componi foedere bellum.  
 Tum socios maestique metum solatur Iuli, 110  
 Fata docens, regique iubet responsa Latino  
 Certa referre viros, et pacis dicere leges.

Postera vix summos spargebat lumine montis  
 Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt  
 Solis equi, lucemque elatis naribus efflant: 115  
 Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis  
 Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;  
 In medioque focos et dis communibus aras  
 Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,  
 Velati limo, et verbenā tempora vincti. 120  
 Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis  
 Agmina se fundunt portis. Hinc Troius omnis  
 Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis,  
 Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis  
 Pugna vocet. Nec non mediis in milibus ipsi 125  
 Ductores auro volitant ostroque superbi,  
 Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asilas,  
 Et Messapus eum domitor, Neptunia proles.

Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,  
 Defigunt telluri hastas et scuta reclinant. 130  
 Tum studio effusae matres et volgus inermum  
 Invalidique senes turris et tecta domorum  
 Obsedere, alii portis sublimibus adstant.

At Iuno e summo, qui nunc Albanus habetur, —  
 Tum neque nomen erat nec honos aut gloria  
 monti — 135

Prospiciens tumulo campum aspectabat et ambas  
 Laurentum Troumque acies urbemque Latini.  
 Extemplo Turni sic est adfata sororem,  
 Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris  
 Praesidet; hunc illi rex aetheris altus honorem 140  
 Iuppiter erepta pro virginitate sacravit:  
 Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,  
 Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae  
 Magnanimi Iovis ingratum ascendere cubile,  
 Praetulerim, caelique libens in parte locarim: 145  
 Disce tuum, ne me incusses, Iuturna, dolorem.  
 Qua visast fortuna pati, Parcaeque sinebant  
 Cedere res Latio, Turnum et tua moenia texi:  
 Nunc iuvenem imparibus video concurrere fatis,  
 Parcarumque dies et vis inimica propinquat. 150  
 Non pugnam aspicere hanc oculis, non foedera possum.  
 Tu pro germano siquid praesentius audes,  
 Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.  
 Vix ea: cum lacrimas oculis Iuturna profudit,  
 Terque quaterque manu pectus percussit honestum. 155  
 Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Iuno;  
 Adcelera, et fratrem, siquis modus, eripe morti;  
 Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.  
 Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit  
 Incertam et tristi turbatam volnere mentis. 160

Interea reges, ingenti mole Latinus  
 Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum  
 Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,

Solis avi specimen ; bigis it Turnus in albis,  
 Bina manu lato crispans hastilia ferro. 165  
 Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,  
 Sidereo flagrans clipeo et caelestibus armis,  
 Et iuxta Ascanius, magnae spes altera Romae,  
 Procedunt castris, puraque in veste sacerdos  
 Saetigeræ fetum suis intonsamque bidentem 170  
 Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.  
 Illi ad surgentem conversi lumina solem  
 Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro  
 Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.  
 Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur : 175  
 Esto nunc Sol testis et hæc mihi Terra vocanti,  
 Quam propter tantos potui perferre laboris,  
 Et Pater omnipotens, et tu Saturnia coniunx,  
 Iam melior, iam, diva, precor; tuque inclute Mavors,  
 Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques; 180  
 Fontisque Fluviosque voco, quæque ætheris alti  
 Religio, et quæ caeruleo sunt numina ponto :  
 Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,  
 Convenit Euandri victos discedere ad urbem ;  
 Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles 185  
 Aeneadae referent, ferrove hæc regna lacescent.  
 Sin nostrum adnuerit nobis Victoria Martem, —  
 Ut potius reor, et potius di numine firment —  
 Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,  
 Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambae 190  
 Invictæ gentes æterna in foedera mittant.  
 Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto,  
 Inperium sollemne socer; mihi moenia Teucri  
 Constituent, urbiq; dabit Lavinia nomen.  
 Sic prior Aeneas; sequitur sic deinde Latinus, 195  
 Suspiciens caelum, tenditque ad sidera dextram:  
 Hæc eadem, Aenea, Terram, Mare, Sidera, iuro,  
 Latonæque genus duplex, Ianumque bifrontem,  
 Vimque deum infernam et duri sacraria Ditis;  
 Audiat hæc Genitor, qui foedera fulmine sancit.. 200  
 Tango aras, medios ignis et numina testor :

Nulla dies pacem hanc Italis nec foedera rumpet,  
 Quo res cumque cadent; nec me vis ulla volentem  
 Avertet, non, si tellurem effundat in undas,  
 Diluvio miscens, caelumque in Tartara solvat; 205  
 Ut sceptrum hoc — dextra sceptrum nam forte ge-  
 rebat —

Numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,  
 Cum semel in silvis imo de stirpe recisum  
 Matre caret, posuitque comas et brachia ferro;  
 Olim arbos; nunc artificis manus aere decoro 210  
 Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.  
 Talibus inter se firmabant foedera dictis  
 Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas  
 In flammam iugulant pecudes, et viscera vivis  
 Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras. 215

At vero Rutulis inpar ea pugna videri  
 Iandudum, et vario misceri pectora motu;  
 Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis.  
 Adiuvat incessu tacito progressus et aram  
 Suppliciter venerans demisso lumine Turnus, 220  
 Tabentesque genae et iuvenali in corpore pallor.  
 Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit  
 Sermonem, et volgi variare labantia corda,  
 In medias acies, formam adsimulata Camerti, —  
 Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae 225  
 Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis —  
 In medias dat sese acies, haud nescia rerum,  
 Rumoresque serit varios, ac talia fatur:  
 Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam  
 Obiectare animam? numerone an viribus aequi 230  
 Non sumus? En, omnes et Troes et Arcades hi sunt,  
 \*Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.  
 Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.  
 Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,  
 Succedet fama, vivosque per ora feretur; 235  
 Nos, patria amissa, dominis parere superbis  
 Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.

Talibus incensast iuvenum sententia dictis  
 Iam magis adque magis, serpitque per agmina murmur;  
 Ipsi Laurentes mutati ipsique Latini. 240  
 Qui sibi iam requiem pugnae rebusque salutem  
 Sperabant, nunc arma volunt, foedusque precantur  
 Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.  
 His aliud maius Iuturna adiungit, et alto  
 Dat signum caelo, quo non praesentius ullum 245  
 Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.  
 Namque volans rubra fulvos Iovis ales in aethra  
 Litoreas agitabat aves turbamque sonantem  
 Agminis aligeri: subito cum lapsus ad undas  
 Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis. 250  
 Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres  
 Convertunt clamore fugam, mirabile visu,  
 Aetheraque obscurant pinnis, hostemque per auras  
 Facta nube premunt, donec vi victus et ipso  
 Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales 255  
 Proiecit fluvio, penitusque in nubila fugit.  
 Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,  
 Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,  
 Hoc erat, hoc, votis, inquit, quod saepe petivi.  
 Accipio, adgnoscoque deos; me, me duce ferrum 260  
 Corripite, o miseri, quos improbus advena bello  
 Territat, invalidas ut aves, et litora vestra  
 Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo  
 Vela dabit. Vos unanimi densate catervas,  
 Et regem vobis pugna defendite raptum. 265  
 Dixit, et adversos telum contorsit in hostis  
 Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras  
 Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes  
 Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.  
 Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum 270  
 Corpora constiterant contra, quos fida crearat  
 Una tot Arcadio coniunx Tyrrhena Gylippo,  
 Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo  
 Balteus et laterum iuncturas fibula mordet,  
 Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis, 275

Transadigit costas, fulvaque effundit harena.  
 At fratres, animosa phalanx accensaque luctu,  
 Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum  
 Corripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra  
 Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant 280  
 Troes Agyllinique et pictis Arcades armis.  
 Sic omnis amor unus habet decernere ferro.  
 Diripuerunt aras; it toto turbida caelo  
 Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;  
 Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus 285  
 Pulsatos referens infecto foedere divos.  
 Infrenant alii currus, aut corpora saltu  
 Subiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.  
 Messapus regem, regisque insigne gerentem,  
 Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere foedus, 290  
 Adverso proterret equo; ruit ille recedens,  
 Et miser oppositis a tergo involvitur aris  
 In caput inque umeros. At fervidus advolat hasta  
 Messapus, teloque orantem multa trabali  
 Desuper altus equo graviter ferit, adque ita fatur: 295  
 Hoc habet; haec melior magnis data victima divis.  
 Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.  
 Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara  
 Corripit, et venienti Ebyso plagamque ferenti  
 Occupat os flammis; olli ingens barba reluxit, 300  
 Nidoremque ambusta dedit; super ipse secutus  
 Caesariem laeva turbati corripit hostis,  
 Inpressoque genu nitens terrae adplicat ipsum;  
 Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum,  
 Pastorem, primaque acie per tela ruentem, 305  
 Ense sequens nudo superimminet; ille securi  
 Adversi frontem mediam mentumque reducta  
 Disicit, et sparso late rigat arma cruore.  
 Olli dura quies oculos et ferreus urguet  
 Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem. 310

At pius Aeneas dextram tendebat inermem  
 Nudato capite, adque suos clamore vocabat:

Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?  
 O cohibete iras! ictum iam foedus, et omnes  
 Conpositae leges; mihi ius concurrere soli; 315  
 Me sinite, adque auferte metus; ego foedera faxo  
 Firma manu; Turnum debent haec iam mihi sacra.  
 Has inter voces, media inter talia verba,  
 Ecce, viro stridens alis adlapsa sagittast,  
 Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta, 320  
 Quis tantam Rutulis laudem, cassusne deusne,  
 Attulerit; pressast insignis gloria facti,  
 Nec sese Aeneae iactavit vulnere quisquam.  
 Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit  
 Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet; 325  
 Poscit equos adque arma simul, saltuque superbus  
 Emicat in currum, et manibus molitur habenas.  
 Multa virum volitans dat fortia corpora leto;  
 Seminecis volvit multos, aut agmina curru  
 Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas. 330  
 Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebrī  
 Sanguineus Mavors clipeo increpat, adque furentis  
 Bella movens inmittit equos; illi aequore aperto  
 Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu  
 Thraca pedum; circumque atrae Formidinis ora, 335  
 Iraeque, Insidiaequae, dei comitatus, aguntur:  
 Talis equos alacer media inter proelia Turnus  
 Fumantis sudore quatit, miserabile caesis  
 Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores  
 Sanguineos, mixtaque cruor calcatur harena. 340  
 Iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrimque Pho-  
 lumque,  
 Hunc congressus et hunc, illum eminus; eminus ambo  
 Imbrasidas, Glaucum adque Laden, quos Imbrasus  
 ipse  
 Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,  
 Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos. 345  
 Parte alia media Eumedes in proelia fertur,  
 Antiqui proles bello praeclara Dolonis,  
 Nomine avom referens, animo manibusque parentem,



Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,  
 Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus ; 350  
 Illum Tydides alio pro talibus ausis  
 Adfecit pretio, nec equis adspirat Achillis.  
 Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,  
 Ante levi iaculo longum per inane secutus,  
 Sistit equos biugis et curru desilit, adque 355  
 Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo  
 Inpresso, dextrae mucronem extorquet et alto  
 Fulgentem tinguunt iugulo, adque haec insuper addit :  
 En, agros, et, quam bello, Troiane, petisti,  
 Hesperiam metire iacens : haec praemia, qui me 360  
 Ferro ausi temptare, ferunt ; sic moenia condunt.  
 Huic comitem Asbyten coniecta cuspidem mittit,  
 Chloreaque Sybarimque Daretaque Thersiloquamque,  
 Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten.  
 Ac velut Edoni Boreae cum spiritus alto 365  
 Insonat Aegaeo, sequiturque ad litora fluetus ;  
 Qua venti incubuere, fugam dant nubila caelo :  
 Sic Turno, quacumque viam secut, agmina cedunt  
 Conversaeque ruunt acies ; fert impetus ipsum,  
 Et cristam adverso curru quatit aura volentem. 370  
 Non tulit instantem Phegeus animisque frementem ;  
 Obiecit sese ad currum, et spumantia frenis  
 Ora citatorum dextra detorsit equorum.  
 Dum trahitur pendetque iugis, hunc lata reiectum  
 Lancea consequitur, rumpitque infixam bilicem 375  
 Loricam, et summum degustat vulnere corpus.  
 Ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem  
 Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat :  
 Cum rota praecipitem et procursu concitus axis  
 Inpulit effunditque solo, Turnusque secutus 380  
 Imam inter galeam summi thoracis et oras  
 Abstulit ense caput, truncumque reliquit harenarum.

Adque ea dum campis victor dat funera Turnus,  
 Interea Aeneas Mnestheus et fidus Achates  
 Ascaniusque comes castris statuere cruentum, 385

Alternos longa nitentem cuspidē gressus.  
 Saevit, et infracta luctatur harundine telum  
 Eripere, auxilioque viam, quae proxuma, poscit:  
 Ense secent lato vulnus, telique latebram  
 Rescindant penitus, seseque in bella remittant. 390  
 Iamque aderat Phoebō ante alios dilectus Iap̄s  
 Iasides, acri quondam cui captus amore  
 Ipse suas artis, sua munera, laetus Apollo  
 Augurium citharamque dabat celerisque sagittas.  
 Ille, ut depositi proferret fata parentis, 395  
 Scire potestates herbarum usumque medendi  
 Maluit et mutas agitare inglorius artis.  
 Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,  
 Aeneas, magno iuvenum et maerentis Iuli  
 Concursu, lacrimis immobilis. Ille retorto 400  
 Paeonium in morem senior succinctus amictu,  
 Multa manu medica Phoebeique potentibus herbis  
 Nequiquam trepidat, nequiquam spicula dextra  
 Sollicitat prensatque tenaci forcipe ferrum.  
 Nulla viam Fortuna regit; nihil auctor Apollo 405  
 Subvenit; et saevos campis magis ac magis horror  
 Crebrescit, propiusque malumst. Iam pulvere caelum  
 Stare vident, subeuntque equites, et spicula castris  
 Densa cadunt mediis. It tristis ad aethera clamor  
 Bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum. 410  
 Hic Venus, indigno nati concussa dolore,  
 Dictamnū genetrīx Cretaea carpit ab Ida,  
 Puberibus caulem foliis et flore comantem  
 Purpureo; non illa feris incognita capris  
 Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae. 415  
 Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,  
 Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem  
 Inficit, occulte medicans, spargitque salubris  
 Ambrosiae sucos et odoriferam panaceam.  
 Fovit ea vulnus lymphā longaevos Iap̄s 420  
 Ignorans, subitoque omnis de corpore fugit  
 Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis.  
 Iamque secuta manū, nullo cogente, sagitta

Excidit, adque novae rediere in pristina vires.  
 Arma citi properate viro ! quid statis ? Iapis 425  
 Conclamat, primusque animos accendit in hostem.  
 Non haec humanis opibus, non arte magistra  
 Proveniunt, neque te, Aenea, mea dextera servat;  
 Maior agit deus adque opera ad maiora remittit.  
 Ille avidus pugnae suras incluserat auro 430  
 Hinc adque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.  
 Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergest,  
 Ascanium fuis circum complectitur armis,  
 Summaque per galeam delibans oscula fatur :  
 Disce, puer, virtutem ex me verumque laborem, 435  
 Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello  
 Defensum dabit, et magna inter praemia ducet.  
 Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas,  
 Sis memor, et te animo repetentem exempla tuorum.  
 Et pater Aeneas et avonculus excitet Hector. 440

Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,  
 Telum inmane manu quatiens ; simul agmine denso  
 Antheusque Mnestheusque ruunt, omnisque relictis  
 Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus  
 Miscetur, pulsuque pedum tremis excita tellus. 445  
 Vidit ab adverso venientis aggere Turnus,  
 Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit  
 Ossa tremor ; prima ante omnis Iuturna Latinos  
 Audiit adgnovitque sonum, et tremefacta refugit.  
 Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto. 450  
 Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus  
 It mare per medium ; miseris, heu, praescia longe  
 Horrescunt corda agricolis ; dabit ille ruinas  
 Arboribus, stragemque satis ; ruet omnia late ;  
 Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti : 455  
 Talis in adversos ductor Rhoeteius hostis  
 Agmen agit ; densi cuneis se quisque coactis  
 Adglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,  
 Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,  
 Ufentemque Gyas ; cadit ipse Tolumnius augur, 460

Primus in adversos telum qui torserat hostis.  
 Tollitur in caelum clamor, versique vicissim  
 Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.  
 Ipse neque aversos dignatur sternere Morti,  
 Nec pede congressos aequo nec tela ferentis 465  
 Insequitur; solum densa in caligine Turnum  
 Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.  
 Hoc concussa metu mentem Iuturna virago  
 Aurigam Turni media inter lora Metiscum  
 Excutit, et longe lapsum temone relinquit; 470  
 Ipsa subit, manibusque undantis flectit habenas,  
 Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Me-  
 tisci.

Nigra velut magnas domini cum divitis aedes  
 Pervolat et pinnis alta atria lustrat hirundo,  
 Pabula parva legens nidisque loquacibus escas; 475  
 Et nunc porticibus vacuis, nunc umida circum  
 Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostis  
 Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;  
 Iamque hic germanum, iamque hic ostentat ovantem;  
 Nec conferre manum patitur; volat avia longe. 480  
 Haud minus Aeneas tortos legit obviis orbis,  
 Vestigatque virum et disiecta per agmina magna  
 Voce vocat. Quotiens oculos coniecit in hostem,  
 Alipedumque fugam cursu temptavit equorum,  
 Aversos totiens currus Iuturna retorsit. 485  
 Heu, quid agat? Vario nequiquam fluctuat aestu,  
 Diversaeque vocant animum in contraria curae.  
 Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat  
 Lenta, levis cursu, praefixa hastilia ferro,  
 Horum unum certo contorquens dirigit ictu. 490  
 Substitit Aeneas, et se collegit in arma,  
 Poplite subsidens; apicem tamen incita summum  
 Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.  
 Tum vero adsurgunt irae; insidiisque subactus,  
 Diversos ubi sentit equos currumque referri, 495  
 Multa Iovem et laesi testatus foederis aras,  
 Iam tandem invadit medios, et Marte secundo

Terribilis saevam nullo discrimine caedem  
Suscitat, irarumque omnis effundit habenas.

Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine  
caedes 500

Diversas, obitumque ducum, quos aequore toto  
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troius heros,  
Expediat? tanton placuit concurrere motu,  
Iuppiter, aeterna gentis in pace futuras?

Aeneas Rutulum Sucronem, — ea prima ruentis 505

Pugna loco statuit Teucros — haud multa morantem,  
Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum  
Transadigit costas et cratis pectoris ense.

Turnus equo deiectum Amycum fratremque Diorem,  
Congressus pedes, hunc venientem cuspidē longa, 510

Hunc mucrone ferit, curruque abscisa duorum  
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.

Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,

Tris uno congressu, et maestum mittit Oniten,  
Nomen Echionium matrisque genus Peridiae; 515

Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris,  
Et iuvenem exosum nequiquam bella Menoeten,

Arcada, piscosae cui circum flumina Lernae

Ars fuerat pauperque domus, nec nota potentum  
Munerā, conductaque pater tellure serebat. 520

Ac velut inmissi diversis partibus ignes

Arentem in silvam et virgulta sonantia lauro;

Aut ubi decursu rapido de montibus altis

Dant sonitum spumosi amnes, et in aequora currunt  
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo 525

Aeneas Turnusque ruunt per proelia; nunc, nunc

Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci

Pectora; nunc totis in volnera viribus itur.

Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem

Nomina, per regesque actum genus omne Latinos, 530

Praecipitem scopulo adque ingentis turbine saxi

Excuit, effunditque solo; hunc lora et iuga subter

Provolvere rotae; crebro super ungula pulsu

Incita nec domini memorum proculcat equorum.  
 Ille ruenti Hyllo animisque inmane frementi 535  
 Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:  
 Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.  
 Dextera nec tua te, Graium fortissime, Cretheu,  
 Eripuit Turno; nec di texere Cupencum,  
 Aenea veniente, sui; dedit obvia ferro 540  
 Pectora, nec misero clipei mora profuit aerei.  
 Te quoque Laúrentes viderunt, Aeole, campi  
 Oppetere et late terram consternere tergo;  
 Occidis, Argivae quem non potuere phalanges  
 Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles; 545  
 Hic tibi mortis erant metae, domus alta sub Ida,  
 Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulchrum.  
 Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,  
 Omnes Dardanidae, Mnestheus, acerque Serestus,  
 Et Messapus ecum domitor, et fortis Asilas, 550  
 Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcades alae,  
 Pro se quisque viri summa nituntur opum vi;  
 Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.

Hic mentem Aeneae genetrix pulcherrima misit,  
 Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen 555  
 Ocios, et subita turbaret clade Latinos.  
 Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum  
 Huc adque huc acies circumtulit, aspicit urbem  
 Immunem tanti belli adque inpune quietam.  
 Continuo pugnae accendit maioris imago; 560  
 Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum  
 Ductores, tumultumque capit, quo cetera Teucrum.  
 Concurrit legio, nec scuta aut spicula densi  
 Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:  
 Ne qua meis esto dictis mora; Iuppiter hac stat; 565  
 Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.  
 Urbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,  
 Ni frenum accipere et victi parere fatentur,  
 Eruam, et aequa solo fumantia culmina ponam.  
 Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno 570

Nostra pati, rursusque velit concurrere victus?  
 Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.  
 Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.  
 Dixerat, adque animis pariter certantibus omnes  
 Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur. 575  
 Scalae improviso subitusque adparuit ignis.  
 Discurrunt alii ad portas primosque trucidant,  
 Ferrum alii torquent et obumbrant aethera telis.  
 Ipse inter primos dextram sub moenia tendit  
 Aeneas, magnaue incussat voce Latinum, 580  
 Testaturque deos, iterum se ad proelia cogi,  
 Bis iam Italos hostis, haec iam altera foedera rumpi.  
 Exoritur trepidos inter discordia civis:  
 Urbem alii reserare iubent et pandere portas  
 Dardanidis, ipsumque trahunt in moenia regem; 585  
 Arma ferunt alii et pergunt defendere muros:  
 Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor  
 Vestigavit apes, fumoque inplevit amaro;  
 Illae intus trepidae rerum per cerea castra  
 Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras; 590  
 Volvitur ater odor tectis; tum murmure caeco  
 Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.

Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,  
 Quae totam luctu concussit funditus urbem.  
 Regina ut tectis venientem prospicit hostem, 595  
 Incessi muros, ignis ad tecta volare,  
 Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:  
 Infelix pugnae iuvenem in certamine credit  
 Exstinctum, et, subito mentem turbata dolore,  
 Se caussam clamat crimenque caputque malorum, 600  
 Multaque per maestum demens effata furorem,  
 Purpureos moritura manu discindit amictus,  
 Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.  
 Quam cladem miserae postquam accepere Latinae,  
 Filia prima manu flavos Lavinia crinis 605  
 Et roseas laniata genas, tum cetera circum  
 Turba, furit; resonant late plangoribus aedes.

Hinc totam infelix volgatur fama per urbem.  
 Demittunt mentes; it scissa veste Latinus,  
 Coniugis attonitus fati urbisque ruina, 610  
 Canitiem inmundo perfusam pulvere turpans,  
 Multaque se incussat, qui non acceperit ante  
 Dardanium Aenean, generumque adsciverit ultro.

Interea extremo bellator in aequore Turnus  
 Palantis sequitur paucos iam segnior, adque 615  
 Iam minus adque minus successu laetus equorum.  
 Attulit hunc illi caecis terroribus aura  
 Commixtum clamorem, arrectasque inpulit auris  
 Confusae sonus urbis et inlaetabile murmur.  
 Ei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu? 620  
 Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?  
 Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.  
 Adque huic, in faciem soror ut conversa Metisci  
 Aurigae currumque et equos et lora regebat,  
 Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur 625  
 Troiugenas, qua prima viam victoria pandit;  
 Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.  
 Ingruit Aeneas Italis et proelia miscet,  
 Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.  
 Nec numero inferior, pugnae nec honore recedes. 630  
 Turnus ad haec:  
 O soror, et dudum adgnovi, cum prima per artem  
 Foedera turbasti teque haec in bella dedisti,  
 Et nunc nequiquam fallis dea. Sed quis Olympo  
 Demissam tantos voluit te ferre laboris? 635  
 An fratris miseri letum ut crudele videres?  
 Nam quid ago? aut quae iam spondet Fortuna sa-  
 lutem?

Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem  
 Murranum, quo non superat mihi carior alter,  
 Oppetere ingentem adque ingenti vulnere victum. 640  
 Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens  
 Aspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.  
 Exscindine domos, id rebus defuit unum,



Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?  
Terga dabo, et Turnum fugientem haec terra vide-  
bit? 645

Usque adeone mori miserumst? Vos o mihi Manes  
Este boni, quoniam Superis aversa voluntas.  
Sancta ad vos anima, adque istius inscia culpa  
Descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.

Vix ea fatus erat: medios volat, ecce, per ho-  
stis 650

Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta  
Saucius ora; ruitque inplorans nomine Turnum:  
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.  
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur  
Deiecturum arces Italum excidioque daturum; 655  
Iamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,  
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,  
Quos generos vocet, aut quae sese ad foedera flectat.  
Praeterea regina, tui fidissima, dextra  
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit. 660  
Soli pro portis Messapus et acer Atinas  
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges  
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret  
Ferreæ: tu currum deserto in gramine versas.  
Opstipuit varia confusus imagine rerum 665  
Turnus, et optutu tacito stetit. Aestuat ingens  
Uno in corde pudor mixtoque insania luctu  
Et furiis agitata amor et conscia virtus.  
Ut primum discussae umbrae et lux reddita menti,  
Ardentis oculorum orbis ad moenia torsit 670  
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.  
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus  
Ad caelum undabat vertex turrimque tenebat,  
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse  
Subdideratque rotas pontisque instraverat altos. 675  
Iam iam fata, soror, superant; absiste morari;  
Quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.  
Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbist,

Morte pati; neque me indecorem, germana, videbis  
 Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem. 680  
 Dixit, et e curru saltum dedit ocus arvis,  
 Perque hostis, per tela ruit, maestamque sororem  
 Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.  
 Ac veluti montis saxum de vertice praeceps  
 Cum ruit, avolsu vento, seu turbidus imber 685  
 Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas;  
 Fertur in abruptum magno mons improbus actu,  
 Exsultatque solo, silvas, armenta, virosque  
 Involvens secum: disiecta per agmina Turnus  
 Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso 690  
 Sanguine terra madet, striduntque hastilibus aurae;  
 Significatque manu, et magno simul incipit ore:  
 Parcite iam, Rutuli, et vos tela inhibete, Latini;  
 Quaecumque est Fortuna, meast; me verius unum  
 Pro vobis foedus luere, et decernere ferro. 695  
 Discessere omnes medii, spatiumque dedere.

At pater Aeneas, audito nomine Turni,  
 Deserit et muros, et summas deserit arces,  
 Praecipitatque moras omnis, opera omnia rumpit,  
 Laetitia exsultans, horrendumque intonat armis: 700  
 Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis  
 Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali  
 Vertice se attollens pater Appenninus ad auras.  
 Iam vero et Rutuli certatim et Troes et omnes  
 Convertere oculos Itali, quique alta tenebant 705  
 Moenia, quique imos pulsabant ariete muros,  
 Armaque deposuere umeris. Stupet ipse Latinus  
 Ingentis, genitos diversis partibus orbis,  
 Inter se coiisse viros et cernere ferro.  
 Adque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi, 710  
 Procurso rapido, comiectis eminus hastis,  
 Invadunt Martem clipeis adque aere sonoro.  
 Dat gemitum tellus; tum crebros ensibus ictus  
 Congeminant; fors et virtus miscentur in unum.  
 Ac velut ingenti Sila summove Taburno 715

Cum duo conversis inimica in proelia tauri  
 Frontibus incurrunt; pavidi cessere magistri;  
 Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuvencae,  
 Quis nemori inperitet, quem tota armenta sequantur;  
 Illi inter sese multa vi volnera miscent, 720  
 Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo  
 Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:  
 Non aliter Tros Aeneas et Daunius heros  
 Concurrunt clipeis; ingens fragor aethera complet.  
 Iuppiter ipse duas aequato examine lances 725  
 Sustinet, et fata inponit diversa duorum,  
 Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.  
 Emicat hic, inpune putans, et corpore toto  
 Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,  
 Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini, 730  
 Arrectaeque amborum acies. At perfidus ensis  
 Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,  
 Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,  
 Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.  
 Famast, praecipitem, cum prima in proelia iunctos 735  
 Conscebat equos, patrio mucrone relicto,  
 Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci;  
 Idque diu, dum terga dabant palantia Teucrici,  
 Suffecit; postquam arma dei ad Volcania ventumst,  
 Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu 740  
 Dissiluit; fulva resplendet fragmen harena.  
 Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus,  
 Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbis;  
 Undique enim densa Teucrici includere corona,  
 Adque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt. 745

Nec minus Aeneas, quamquam tardante sagitta  
 Interdum genua inpediunt, cursumque recussant,  
 Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet:  
 Inclusum veluti siquando flumine nactus  
 Cervom aut puniceae saeptum formidine pinnae 750  
 Venator cursu canis et latratibus instat;  
 Ille autem, insidiis et ripa territus alta,

Mille fugit refugitque vias ; at vividus Umber  
 Haeret hians, iam iamquē tenet, similisque tenenti  
 Increpuit malis, morsuque elusus inanist. 755  
 Tum vero exoritur clamor, ripaeque lacusque  
 Responsant circa, et caelum tonat omne tumultu.  
 Ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnis,  
 Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.  
 Aeneas mortem contra praesensque minatur 760  
 Exitium, si quisquam adeat, terretque trementis,  
 Excisurum urbem minitans, et saucius instat.  
 Quinque orbis explent cursu, totidemque retexunt  
 Huc illuc; neque enim levia aut ludicra petuntur  
 Praemia, sed Turni de vita et sanguine certant. 765  
 Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris  
 Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,  
 Servati ex undis ubi figere dona solebant  
 Laurenti divo et votas suspendere vestes ;  
 Sed stirpem Teucrici nullo discrimine sacrum 770  
 Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.  
 Hic hasta Aeneae stabat; huc impetus illam  
 Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.  
 Incubuit voluitque manu convellere ferrum  
 Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu 775  
 Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,  
 Faune, precor, miserere, inquit, tuque optuma ferrum  
 Terra tene, colui vestros si semper honores,  
 Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.  
 Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit. 780  
 Namque diu luctans lentoque in stirpe moratus  
 Viribus haud ullis valuit discludere morsus  
 Roboris Aeneas. Dum nititur acer et instat,  
 Rursus in aurigae faciem mutata Metisci  
 Procurrit fratrique ensem dea Daunianum reddit. 785  
 Quod Venus audaci Nymphae indignata licere,  
 Accessit, telumque alta ab radice revellit.  
 Olli sublimes, armis animisque relecti,  
 Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,  
 Adsistunt contra certamine Martis anhelant. 790

Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi  
 Adloquitur, fulva pugnās de nube tuentem:  
 Quae iam finis erit, coniunx? quid denique restat?  
 Indigetem Aenean scis ipsa, et scire fateris,  
 Deberi caelo, fatisque ad sidera tolli. 795  
 Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?  
 Mortalin decuit violari vulnere divom?  
 Aut ense — quid enim sine te Iuturna valeret? —  
 Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?  
 Desine iam tandem, precibusque inflectere nostris; 800  
 Nec te tantus edat tacitam dolor, et mihi curae  
 Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.  
 Ventum ad supremumst. Terris agitare vel undis  
 Troianos potuisti, infandum accendere bellum,  
 Deformare domum, et luctu miscere hymenaeos: 805  
 Ulterius temptare veto. Sic Iuppiter orsus;  
 Sic dea submisso contra Saturnia voltu:  
 Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,  
 Iuppiter, et Turnum et terras invita reliqui;  
 Nec tu me aëria solam nunc sede videres 810  
 Digna indigna pati, sed flammis cincta sub ipsa  
 Starem acie traheremque inimica in proelia Teucros.  
 Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri  
 Suasi, et pro vita maiora audere probavi;  
 Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum; 815  
 Adiuro Stygii caput implacabile fontis,  
 Una superstitio superis quae reddita divis.  
 Et nunc cedo equidem, pugnāsque exosa relinquo.  
 Illud te, nulla fati quod lege tenetur,  
 Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum: 820  
 Cum iam conubiis pacem felicibus, esto,  
 Component, cum iam leges et foedera iungent,  
 Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,  
 Neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari,  
 Aut vocem mutare viros, aut vertere vestem. 825  
 Sit Latium, sint Albani per saecula reges,  
 Sit Romana potens Italia virtute propago;  
 Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.

Olli subridens hominum rerumque repertor :  
 Es germana Iovis Saturnique altera proles : 830  
 Irarum tantos volvis sub pectore fluctus !  
 Verum age et inceptum frustra submitte furorem :  
 Do, quod vis, et me victusque volensque remitto.  
 Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,  
 Utquest, nomen erit; commixti corpore tantum 835  
 Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum  
 Adiciam faciamque omnis uno ore Latinos.  
 Hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,  
 Supra homines, supra ire deos pietate videbis,  
 Nec gens ulla tuos aequae celebrabit honores. 840  
 Adnuat his Iuno, et mentem laetata retorsit.  
 Interea excedit caelo, nubemque relinquit.

His actis aliud Genitor secum ipse volutat,  
 Inturnamque parat fratris dimittere ab armis.  
 Dicuntur geminae pestes cognomine Dirae, 845  
 Quas et Tartaream Nox intempesta Megaeram  
 Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit  
 Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.  
 Hae Iovis ad solium saevique in limine regis  
 Adparent, acuuntque metum mortalibus aegris, 850  
 Siquando letum horrificum morbosque deum rex  
 Molitur, meritas aut bello territat urbes.  
 Harum unam celerem demisit ab aethere summo  
 Iuppiter, inque omen Inturnae occurrere iussit.  
 Illa volat, celerique ad terram turbine fertur. 855  
 Non secus, ac nervo per nubem impulsa sagitta,  
 Armatam saevi Parthus quam felle veneni,  
 Parthus, sive Cydon, telum inmedicabile, torsit,  
 Stridens et celeris incognita transilit umbras :  
 Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit. 860  
 Postquam acies videt Iliacas adque agmina Turni,  
 Alitis in parvae subitam collecta figuram,  
 Quae quondam in bustis aut culminibus desertis  
 Nocte sedens serum canit inportuna per umbras ;  
 Hanc versa in faciem Turni se pestis ob ora 865

Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.  
 Illi membra novos solvit formidine torpor,  
 Arrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.  
 At, procul ut Dirae stridorem adgnovit et alas,  
 Infelix crinis scindit Iuturna solutos, 870  
 Unguibus ora soror foedans et pectora pugnis:  
 Quid nunc te tua, Turne, potest germana iuvare?  
 Aut quid iam durae superat mihi? qua tibi lucem  
 Arte morer? talin possum me opponere monstro?  
 Iam iam linquo acies. Ne me terrete timentem, 875  
 Obscenae volucres; alarum verbera nosco  
 Letalemque sonum; nec fallunt iussa superba  
 Magnanimi Iovis. Haec pro virginitate reponit?  
 Quo vitam dedit aeternam? cur mortis ademptast  
 Condicio? possem tantos finire dolores 880  
 Nunc certe, et misero fratri comes ire per umbras.  
 Immortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum  
 Te sine, frater, erit? O quae satis alta dehiscat  
 Terra mihi, Manisque deam demittat ad imos?  
 Tantum effata, caput glauco contextit amictu 885  
 Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.

Aeneas instat contra telumque coruscat  
 Ingens arboreum, et saevo sic pectore fatur:  
 Quae nunc deinde morast? aut quid iam, Turne,  
 retractas?  
 Non cursu, saevis certandumst comminus armis. 890  
 Verte omnis tete in facies, et contrahe, quidquid  
 Sive animis sive arte vales; opta ardua pinnis  
 Astra sequi, clausumque cava te condere terra.  
 Ille caput quassans: Non me tua servilia terrent  
 Dicta, ferox; di me terrent et Iuppiter hostis. 895  
 Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,  
 Saxum anticum, ingens, campo quod forte iacebat,  
 Limes agro positus, litem ut discerneret arvis;  
 Vix illud lecti bis sex cervice subirent,  
 Qualia nunc hominum producit corpora tellus; 900  
 Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,

Altior insurgens et cursu concitus heros.  
 Sed neque currentem se nec cognoscit euntem,  
 Tollentemve manu saxumque inmane moventem;  
 Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis. 905  
 Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,  
 Nec spatium evasit totum, neque pertulit ictum.  
 Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit  
 Nocte quies, nequiquam avidos extendere cursus  
 Velle videmur, et in mediis conatibus aegri 910  
 Succidimus; non lingua valet, non corpore notae  
 Sufficiunt vires, nec vox aut verba secuntur:  
 Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,  
 Successum dea dira negat. Tum pectore sensus  
 Vertuntur varii. Rutulos adspectat et urbem, 915  
 Cunctaturque metu, telumque instare tremescit;  
 Nec, quo se eripiat, nec, qua vi tendat in hostem,  
 Nec currus usquam videt aurigamque sororem.  
 Cunctanti telum Aeneas fatale coruscat,  
 Sortitus fortunam oculis, et corpore toto 920  
 Eminus intorquet. Murali concita numquam  
 Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti  
 Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar  
 Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit  
 Loricae et clipei extremos septemplicis orbis. 925  
 Per medium stridens transit femur. Incidit ictus  
 Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.  
 Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit  
 Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.  
 Ille humilis supplexque oculos dextramque precan-  
 tem 930  
 Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit;  
 Utere sorte tua. Miseri te siqua parentis  
 Tangere cura potest, oro, — fuit et tibi talis  
 Anchises genitor — Dauni miserere senectae,  
 Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis, 935  
 Redde meis. Vicisti, et victum tendere palmas  
 Ausonii videre; tuast Lavinia coniunx;  
 Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis



## 378 VERGILI AENEIDOS LIB. XII.

Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit ;  
Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo 940  
Cooperat, infelix umero cum adparuit alto  
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis  
Pallantis pueri, victum quem volnere Turnus  
Straverat adque umeris inimicum insigne gerebat.  
Ille, oculis postquam saevi monumenta doloris 945  
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira  
Terribilis : Tune hinc spoliis indute meorum  
Eripiare mihi ? Pallas te hoc volnere, Pallas  
Immolat, et poenam scelerato ex sanguine sumit.  
Hoc dicens ferrum adverso sub pectore condit 950  
Fervidus. Ast illi solvontur frigore membra,  
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

P. VERGILI MARONIS  
AENEIDOS LIB. XII EXPL. FELICITER.

---

# ORTHOGRAPHIA VERGILIANA.



## ORTHOGRAPHIA VERGILIANA.

---

**A** littera in compositis *attractare*, *detractare* et *adspargine* servata; vid. Var. Lectt. ad Ge. III, 57. 419. Aen. III, 534. adde Arntzen. ad Panegy. pag. 605. Duker. ad Flor. I, 22. Oudendorp. ad Frontin. I, 1, 9. et ad Appulei. Met. pag. 525. Kritz. ad Sallust. Iug. 53, 8.

A interiectio ubique in Mediceo, Romano aliisque optimis libris sine adspiratione scribitur; vid. Ecl. II, 60. 69. VI, 47. 52. 77. X, 47—49. Idem volunt veteres Grammatici; vid. Heins. ad Ecl. I, 15. et Hand. Tursell. Vol. I. p. 211. sqq. Contra Palatinus, deterioris orthographiae auctor, ubique habet *Ah*. Ambrogius quidem *Ah* etiam in Romano se invenisse testatur Ecl. II, 60. et X, 47.; sed, qua est oscitantia, non vidit priore loco in Rom. legi *adeo mens* pro *a demens*; itaque Bottario potius fidem habebimus ad Ecl. VI, 47. affirmanti, ita *A* ubique exstare in Rom. Nunc scribit Schulz. meus, et Ecl. X, 47. et I, 15. et ceteris locis *A* exaratum esse in Rom.

AB. Vide Quaest. Virgil. I. et infra ADSIMILATIO §. 18.

ABLATIVUS III. Declinat. in ...*i* terminatus. Vid. V. L. ad Ge. I, 13. IV, 165. cf. Servii Ars Grammat. pag. 499. vid. etiam quos laudat Weichert. Poet. Latt. Reliqu. p. 56.

ACCUSATIVUS Singular. I. Declinat. Nominum propriorum in ...*as* aut ...*es* desinentium. Vid. Quaest. Virgil. III, 1. 2.

ACCUSATIVUS in ...om. Vid. LITTERAE SIBI INSIDENTES §. 4. et 6.

ACCUSATIVUS Singular. III. Declinat. Nominum propriorum in ...is desinentium. Vid. Quaest. Virgil. III, 3.

ACCUSATIVUS Plural. III. Declinat. in ...es et ...is terminatus.

1. Quantum titubatum sit in terminatione Accusativi Plural. tertiae Declinationis, satis constat. Quid igitur? num aequae fluctuasse Vergilium in simillimis iisdemque saepe vocabulis censebimus, ac factum videmus a librariis et iis, Grammaticos dico et Editores, qui, quomodo ex his tricis se expedirent, non videntes, turbas non composuerunt, sed auxerunt? Nota est lex illa, quae Accusativum Pluralis eorum Nominum, quae Genitivum in ...ium mittunt, in ...is terminari iubet. At in libris et scriptis et impressis is casus modo ...es, modo ...is habet. Fuerunt et inter veteres et inter recentiores, qui hanc inconstantiam ipsius Vergilii fuisse dictitarent, qui acri nescio quo aurium iudicio confusus modo hanc, modo illam terminationem praeferret. Vellem docuissent illi causas ac rationes illius aurium elegantiae. Qui ubi videriat, aut eadem aut inter se simillima varie scribi in vetustis codicibus eosque etiam ipsos in ea re inter se crebro discrepare, nescient iam, Vergiliusne an librarii auribus usi fuerint eruditioribus. Sed multum profecerimus, si causas tantae dissensionis indagaverimus. Primum igitur tenendum, facillimam fuisse litterae *i* cum *e* permutationem, quod admodum similes sunt inter se hae litterae in veterrimis libris mss., ut specimina scripturae ex ipso Mediceo a Fogginio pag. XV., tum ab aliis ex aliis codd. prolata luculenter indicant. Tum ipsi librarii quodam quasi odio insectati sunt litteram *i*; cuius rei causam puto in eo fuisse positam, quod inferior aetas sonum huius litterae ita videtur corrupisse, ut prope idem esset, qui litterae *e*. \*) Quod ut appareat, satis erit, ea commemorasse, quae ipse Fogginus ad calcem Vergilii Medicei attulit, pleraque a manu emendatrice in ipso codice correcta. Ecl. VIII, 73. triplice. IX, 25. feret pro ferit. ib. 54. Moerem. Ge. I, 309. Balaaris temere mutatur in Balaaris. ib. 472. videmus pro vidimus. II, 67. Chaonique patris. 304. fortem pro furtim. 309. pecea Fogginio videtur primo scriptum fuisse pro picea. III, 333. sicube pro scubiz. ib. 517. et pro it. IV, 294. iacit stulte mutatur in iacet. Aen. I, 123. remis pro rimis. 490. agmena pro agmina. 622. decione pro dcione. II, 540. mentires pro mentiris. III, 620. sperabile pro spirabile. IV, 31. delecta pro dilecta. 573.

\*) De Fragm. Vatic. ita scribit Schulzius ad Aen. I, 236.: litteram *i* tenui admodum discrimine a littera *e* distingui in eo codice, multisque locis illam a posteriore manu in hanc converti.

consedite pro considite. 665. et pro it. 689. defecit pro deficit. 705. delapsus pro dilapsus. VII, 221. limena pro limina. 267. rege pro regi. 733. abebis pro abibis. VIII, 649. indignante pro indignanti. IX, 99. olem pro olim. 236. feremus pro ferimus. 599. morte pro morti. 664. et pro it. 686. verse pro versi. 733. mittet pro mittit. 803. Irem pro Irina. X, 290. spiculus pro speculatus. 330. partem pro partim. 401. dixerat pro dixerat. 785. transiet pro transiit. 788. trepidante pro trepidanti. 842. ingens pro ingenti, hoc a priore manu profectum, illud a correctore. XI, 184. et pro in. 347. sinestros pro sinistros. 366. abe pro abi. 491. praecepit pro praecipit. 591. violaret pro violarit. 663. agmena pro agmina. XII, 249. aligere pro aligeri. 304. feret pro ferit. 330. proteret pro proterit. 418. infecit pro inficit. 515. Peridae perperam in Peridae mutatum. 634. nequequam pro neququam. Multo plura inveniet, qui omnem variantium lectionum farraginem ex hoc codice a me enotatam in quarta Vergilii Heyniani editione perlustrare velit. Illud vero maxime operae pretium est videre, quoties librarii ipsam illam Accusativi terminationem ...is mutarint in ...es, de quo infra dicetur.

2. Sed quam infesti illi huic formae fuerint, multo etiam clarius apparet ex eo, quod caeco quodam studio abrepti saepe Nominativos quoque aut etiam Genitivos in ...is exeuntes ridicule corruerunt. Afferam huius quoque rei exempla quaedam ex Mediceo, quae facile augeri possunt. Ge. I, 426. „neque insidiis noctes capiere serenae.“ II, 533. „sic fortes Etruria crevit.“ IV, 156. „Venturaeque hiemes memores.“ 564. „ignobiles oti.“ Aen. VI, 138. „hunc tegit omnes lucus.“ VII, 728. amnesque vadosi Accola.“ X, 806. „aut amnes ripis“ pro Genitivo *amnis*. XI, 151. „Et via vix tandem voces laxata dolore est.“ 343. „nostrae nec voces egentem.“ 383. „meque timores Argue.“ XII, 444. „omnesque relictis Turba fluit castris.“ 546. „Hic tibi mortes erant metae.“ IV, 41. „inhospita Syrtes.“ VII, 302. „Quid Syrtes — Profuit?“ Hinc vitiose olim legebatur Ecl. IX, 9.: „ad veteris iam fracta cacumina fagi.“ Servavit veram lectionem *fagos* unus Mediceus; nempe *veteris* Genitivum esse putarant librarii. Foedius etiam vitium item unius libri ms. ope nuper sustulit Zumptius Cic. Off. II, 10, 37.: „nam et voluptates, blandissimae dominae, maioris partis animos a virtute detorquent.“ uti scribendum esse multo ante vidit Chapmannus; antea legebatur *maiores partes animi*. Taceo, quam saepe Accusativi in ...is terminati in Accusativum Singularis numeri conversi sint; cf. Var. Lectt. ad Aen. II, 804. V, 359. XII, 232. Sed ut etiam aliis in codicibus librariorum pariter peccasse intelligatur, addam ex Romano quaedam iis, quae modo ex Mediceo protuli, simillima: Ecl. V, 10. Phyllides pro Phyllidis. ib. 58. alacres pro Nominat. Singul. *alacris*. Ge. I, 22. alites pro alitis.

ib. 242. sublimes pro Nominat. Singul. sublimis. II, 428. opes pro opis. III, 73. gentes pro Genitivo gentis. Aen. VI, 167. insignes pro Nominat. Singul. insignis. Denique Ge. IV, 297. pro artis, quod fit ab artus, in eodem legitur artes! In Vatic. Aen. IV, 61. candentes pro Genitivo candentis.

3. In ipsis autem eiusmodi vitiis saepe sunt certissima veri vestigia; aut quis non videat, cum Aen. XI, 298. in Medic. scriptum sit a pr. m.: „ceu saxa morantur Cum *rapidus amnis*,“ pro *rapidos*, non *amnes* a librario mutatum esse in *amnis*, sed cum *amnis* in vetere illo, unde transscribebat, exemplari invenisset, Nominativo *amnis*, ut ille quidem rebatur, etiam Adiectivum accommodandum putasse; aut cum Aen. IV, 34. pro *Manes* in Vaticano a m. pr. scriptum sit *amnis*, male hoc ab altera manu mutatum esse in *Manes*, cum ipsa illa vitiosa lectio veram et antiquam fuisse *Manis* probet; similiter in eodem Aen. IV, 490. *movit samnis* pro *momet manis*. Aen. V, 62. quum in Mediceo exstet *innabis*, id non ex *in naves*, sed ex *in navis* ortum patet; constat autem  $\nu$  saepe transisse in *b*, et contra *b* in  $\nu$ , ut in cod. Rom. Aen. IV, 57. „lectas de more *videntis*“ pro *bidentis*. Ge. III, 152. *horribili* scriptum est a m. pr. pro *horribilis*, et Aen. X, 194. aequali item a m. pr. pro *aequalis*. Aen. X, 465. pro *inantis* primo scriptum fuerat *in annis*, et Ge. IV, 105. *in stabulis* pro *instabilis*, et *maris* pro *naris* Aen. VI, 497. In Rom. Ecl. II, 47. legitur: „*Palletis violas*“ pro *Pallentis*; in eodem Ge. II, 217. pro volucris scribitur *lucoris*, et Aen. V, 265. pro „*palantis* Troas“ exstat *Pallantis Tr.* Quod est in Medic. Aen. X, 571. „*Quadriugis* in equis (hoc a m. pr.) adversaque pectora tendit,“ ostendere videtur, *quadriugis* a librario pro Ablativo esse habitum.

4. Quam inimici fuerint vel librarii vel Grammatici antiquiori isti Accusativorum terminationi, testatur Mediceus, — nam de aliis nihil possumus affirmare\*), — in quo multis locis ...is, quod primo scriptum fuerat, mutatur in ...es. Factum hoc est in voc. *artis* Aen. VI, 663. in *auris* Aen. II, 119. IV, 428. XII, 618. in *cratis* Ge. IV, 214. *gentis* Aen. XII, 504. *hostis* Aen. X, 398. *ignis* Aen. VIII, 267. *Manis* Aen. VI, 119. 506. XII, 884. *montis* Aen. XI, 810. *partis* Aen. VII, 69. X, 717. XI, 748. *viris* Aen. V, 415. 466. X, 786. XI, 71. crebrius etiam in Adiectivis et Participiis; in *agrestis* Ge. I, 41. *anilis* Aen. IX, 489. *ardentis* Aen. XII, 670. *audentis* Aen. X, 284. *celeris* Aen. VII, 811. *euntis* Aen. V, 777. *exsortis* Aen. VI, 428. *ferocis* Aen. VII, 384. *fortis* Ge. III, 50. *insontis* Aen. III, 249. *omnis* Aen. XII, 837. *palantis* Aen. XI, 734. *patentis* Aen. XI, 879. *rigentis* Aen. XI, 72. *ruentis*

\*) Possumus tamen nunc de Vaticano; vid. quae supra pag. 382. not. scripsimus.

Aen. IX, 727. *spirantis* Aen. IX, 645. *surgentis* Ge. III, 29. *tenentis* Aen. VI, 788. *tenuis* Aen. VI, 292. *torrentis* Aen. X, 114. *tremantis* Aen. XII, 761. *viridis* Ge. IV, 121. Rarissime contra aut numquam ...*es* conversum est in ...*is* in Mediceo; duobus id locis factum vidi, sed utroque falsus videtur Fogginius. Nam cum Aen. I, 375. ita sit scriptum: „si vestras forte per AU STRES,“ inter emendanda pag. 446. haec legimus: „AU-STRES. In Cod. AU-STRIS, litteris *S* et *T* transfixis; et littera *E* in *I* commutata est.“ Scilicet scribere voluisse videtur: *I* in *E* commutata est. Et Aen. IX, 766. ita est in codice: „Martemque *clentes*“. Fogginius pag. 454. haec habet: „CLEMENTES. Littera *E* in *I* commutata est.“ Utra igitur *E*, prior an posterior? nisi forte hoc dicere voluit, *L* mutata esse in *I*.

5. Nec ita raro ipsos antiquissimos codices hac in re inter se videmus dissentire, multisque locis aut Mediceum, aut Romanum, aut Vaticanum vel in ...*is*, vel in ...*es* desinentes Accusativos exhibere, ubi unus aut duo ex illis contrarium sequuntur; addo Fragmentum Sangallense, de quo in Praefatione dictum; idque multo saepius animadvertere liceret, si de Romano Vaticanoque (sed vide Notam infra in margine adiectam) aequae ac de Mediceo constaret. Nam omittenda putavi omnia, quae non viderentur certissima fide niti. *aurēs* Ge. IV, 349. habent Medic. et Rom., contra *auris* ibi Vatic. — *collis* Medic. Ge. II, 276., *colles* Rom. — *imbres* Medic. Aen. IX, 60., *imbris* Vatic. — *ignis* Medic. Ge. I, 427., *ignes* Rom. — *Manes* Medic. Ge. IV, 505., *Manis* Rom. — *Manes* Medic. Aen. IV, 34., *amnis* Vatic., unde manus emendatrix fecit *Manes*. — *Manis* Medic. Aen. V, 99., *Manes* Rom. — *montis* Medic. Ge. I, 283. et III, 412., *montes* utroque loco Rom. — *navis* Medic. Aen. III, 465., *naves* Fragm. Sangall. — *navis* idem Medic. Aen. V, 471., *naves* Rom. — contra *naves* Medic. Aen. I, 573., *navis* Rom. — *orbis* Medic. Ge. I, 337., *orbes* Rom. — *ovis* Medic. Ecl. X, 68. et Ge. III, 296., *oves* utroque loco Rom., altero etiam Vatic. — *Penates* Medic. Aen. I, 527. 704., *Penatis* utroque loco Rom. — *puppis* Medic. Aen. V, 663., *puppēs* Rom. — *soles* Aen. III, 203. Medic., *solis* Fragm. Sangall. — *vires* Medic. Aen. VI, 114., *viris*

(Not.) Haec dudum scripseram ac prope iam in eo erat ut typographo traderentur, cum mihi affertur collatio Fragmenti Vaticani a Schulzio et Schweersio facta. Hinc iam facile novis exemplis ab ipsis legentibus illustrari poterit haec nunc a me instituta comparatio. Illud tamen a me iam hoc loco non videtur praetereundum, hanc esse in ea re huius codicis rationem, ut ex octonis exemplis Accusativi Pluralis vel Adiectivorum vel Participiorum tertiae Declinationis septena in ...*is* mittantur, octavum quodque dumtaxat in ...*es*.



Rom. — Adiciamus Adiectiva et Participia. *agentis* Medic. Ge. I, 352., *agentes* Rom. — *amantis* Med. Ge. III, 218., *amantes* Rom. — *ardentis* Aen. I, 472. Vatic., *ardentes* Medic. — *bicornis* Medic. Ge. I, 264., *bicornes* Rom. — *crudelis* Vatic. Aen. III, 44., *crudeles* Medic. — *cunctantis* Medic. Ge. III, 488., *cunctantes* Rom. — *dulcis* Ge. I, 414. et III, 495. Medic., *dulces* Rom. — *florentis* Ecl. X, 25. Medic., *florentes* Rom. — *gradientis* Fragm. Sangall. Aen. I, 411., *gradientes* Medic. — *gravis* Medic. Ge. III, 415., *graves* Rom. — *horrentis* Medic. et Vatic. Ge. III, 315., *horrentes* Rom. — *inmanis* Medic. cum Vatic. Aen. I, 428., *inmanes* Rom. — *inanis* Medic. Ge. I, 496., *inanes* Rom. — *inermis* Vatic. Aen. I, 487., *inermes* Medic. — *levis* Medic. Ge. II, 358. III, 274., *leves* Rom. — *minacis* Rom. Ge. III, 77., *minaces* Medic. — *morantis* Medic. Ge. IV, 28., *morantes* Rom. — *omnis* Vatic. Aen. II, 266., *omnes* Medic. — *omnis* Rom. Ge. II, 326., *omnes* Medic. — *omnis* Medic. Ge. III, 266., *omnes* Rom. — *pallentis* Vatic. Aen. IV, 26., *pallentes* Medic. — *pallantis* Rom. Aen. V, 265., *palantes* Medic. — *pinguis* Medic. Ge. III, 450., *pingues* Rom. — *putris* Medic. Ge. I, 392., *putres* Rom. — *rudentis* Rom. Ge. III, 374., *rudentes* Medic. — *salubris* Rom. Ge. III, 530., *salubres* Medic. — *sequacis* Medic. Ge. IV, 230., *sequaces* Rom. — *sequentis* Medic. Ge. I, 33., *sequentes* Rom. — *sollemnis* Medic. Ge. III, 22., *sollemnes* Rom. — *sonantis* Medic. Ge. III, 184. Aen. V, 169., *sonantes* Rom. — *tenuis* Medic. et Vatic. Ge. III, 335., *tenuēs* Rom. — *tris* Medic. Aen. IX, 329. XII, 514., *tres* utroque loco Rom. — *trudentis* Rom. Ge. III, 373., *trudentes* Medic. — *vacantis* Medic. Ge. III, 477., *vacantes* Rom. — *viridis* Medic. Aen. V, 330., *virides* Rom. Postquam autem semel consuescere coeperunt eiusmodi Accusativos in ...es terminare, fieri non potuit, quin, quo quis esset codex recentior, eo rarius antiquiorem terminationem retineret. Cuius rei illustre est exemplum liber Ciceronis de Republica cum codice Orationum Ciceronis Erfurtensi collatus, quorum codicum lectiones ad hanc causam spectantes conguessit Freund. ad Orat. pro Mil. p. 11. sqq., unde intelliges multo pluribus locis manum Ciceronis in illo libro servatam esse, quam in hoc. Ac nuper fuit, qui Lectionis Varietatem, quam appellant, ex recentissimo aliquo codice Sallustii collectam proponens, uno tantum loco, in ipso quidem principio *Omnis homines*, veterem Accusativi formam in eo retentam scriberet.

6. Sequitur iam index omnium et Participiorum et Adiectivorum, eorum quidem, quae Genitivum Pluralis in ...ium mittunt, aut, etsi Genitivum in ...um terminant, tamen Accusativum litteris ...is finiunt, ex Mediceo confectus. Adicietur tamen eorum quoque, quos supra commemoravi, codicum, ubi quidem certa videtur, auctoritas; quod ita faciam, ut Vaticanus singulis stellulis \*, Romanus binis \*\*, Fragm. Sangall. ternis \*\*\* significetur, ubi hi codi-

ces cum Mediceo consentiunt; ubi autem unus alterve ex his dissentit a Mediceo, simplex, duplex aut triplex crux figetur. Neque vero mutati ...is in ...es hic ratio habebitur:

*absentis* A. IX, 63\*.

*acris* A. VII, 164. VIII, 3. IX, *acres* Ecl. X, 56††.

665. 718. XI, 48. 800.

*adstantis* A. III, 677\*.

*aequalis* A. X, 194.

*agentis* Ge. I, 352††.

*agrestis* Ge. I, 41. A. III, 34\*. *agrestes* Ge. II, 493.

VII, 482. 504\*. VIII, 349.

IX, 11. X, 310.

*amantis* Ge. III, 218††. 315\*.

IV, 124\*. A. IV, 221. 520\*.

*anilis* A. IX, 489.

*aniles* A. VII, 416.

*ardentis* Ge. IV, 451. A. II, 210.

*ardentes* Ge. III, 46. A. I, 472†.

734. V, 637. 648. VII, 781.

IX, 568. XI, 200. XII, 670.

*arentis* Ge. IV, 268.

*audentis* A. X, 284.

*bicornis* Ge. I, 264††.

*bilinguis* A. I, 661\*.

*bimembres* A. VIII, 293.

*brevis* Ge. IV, 194.

*canentis* A. VI, 657\*.

*carentes* A. VI, 333.

*celeris* vid. §. 16.

(ciens) *clentes*(?) A. IX, 766.

*comantis* A. III, 468\*\*\*.

*comantes* Ge. III, 312†. A. XII, 6.

*communes* Ge. IV, 153†.

*crepantis* A. XI, 775.

*crescentis* Rom. E. II, 67.

*crinalis* A. VII, 403.

*crudelis* A. I, 355. VI, 501\*.

*crudoles* A. III, 44†.

585.

*cunctantis* Ge. III, 488††. A.

*cunctantes* Ge. II, 236.

X, 831.

*difficilis* A. IV, 694. V, 865.

*dulcis* Ge. I, 414††. III, 495††.

*dulces* Ge. III, 178\*\*. IV, 61.

A. II, 138. IV, 33†. 281. 342.

sed *dulcis* ap. Prisc. p. 775.

X, 782. Sic etiam Rom. Ecl.

A. III, 140\*.

III, 110.

*duplicis* A. IV, 470\*. VII, 140.

*duplices* A. I, 93.

IX, 16. X, 617.

*egentes* A. V, 751. VII, 197.

25 \*

*errantis* A. I, 185\*. III, 101\*.

VI, 68. Sic etiam Rom. Ecl.

IV, 19.

*euhantis* A. VI, 517\* et \*\*.

*exsanguis* A. VI, 401\*.

*exsortis* A. VI, 428.

*facilis* Ge. IV, 535\*. A. VIII, 310.

*fatalis* A. XI, 130.

*felicis* Ge. I, 277.

*feralis* A. VI, 216.

*feracis* Ge. IV, 114\*.

*ferentis* Ge. IV, 145. A. III, 678\*.

IV, 430. XII, 465.

*ferocis* Ge. III, 179†. A. VII, 384.

*flagrantis* A. I, 710\*\* et \*\*\*.

XII, 65.

*flaventis* Ge. III, 350. A. IV, 590.

*flectentis* A. IX, 372.

*florentis* E. X, 25††. Ge. III,

126\*\*. A. VII, 804. XI, 433.

Schulzius tamen contra quam

Bottarius *florentis* affert ex

Rom. Ecl. X, 25.

*fluentis* A. I, 320.

*fortis* Ge. II, 296. III, 50. 121.

A. VII, 151.

*fragilis* E. VIII, 82. Ge. I, 76\*\*.

*fremetis* A. VII, 638(\*). XII, 82.

*frequentis* G. III, 394.

*frondentis* A. IV, 399.

*fulgentis* A. VIII, 593. Medic.

apud Bottar.

*fumantis* A. VII, 457\*. XII, 338.

*furentis* A. X, 578. XI, 609\*\*.

*gravis* Ge. III, 415††. 451. A.

IV, 688\*. VI, 56. X, 321.

Sic etiam Rom. E. I, 50.

*hiantis* Ge. I, 91. A. VI, 493\*.

*horrentis* Ge. III, 315\*††. A.

X, 237.

*equestres* A. V, 667.

*exsultantes* A. VIII, 663.

*felices* Ge. IV, 329\*\*.

*ferentes* A. I, 189†. II, 49. XI,

872\*.

*feroces* A. I, 263\*. VII, 724.

*ferventes* A. XI, 195.

*fluentes* Ge. II, 190. 370. VIII,

487.

*fugaces* A. IX, 591.

*fumantes* A. XI, 908.

*furentes* A. X, 37.

*gradientes* A. I, 411†††.

*graves* Ge. III, 526.

*habitantes* A. XI, 265.

*horribilis* Ge. III, 152\*.

*humilis* Ge. II, 213.

*illustris* A. VI, 758.

*immanis* A. I, 428\*††.

*implumis* Ge. IV, 513.

*inanis* Ge. I, 496††. IV, 375.

A. VI, 651\*. 740†. VII, 593.

IX, 219\*. X, 82. 465. 627.

*inertis* Ge. III, 136. A. X, 595\*\*.

XI, 414.

*ingentis* Ge. III, 207\*. 338\*.

IV, 83. A. II, 20. V, 701.

VI, 182. VII, 167. VIII, 204.

475. IX, 470. 528\*. X, 245.

509. XII, 708.

*insontis* A. III, 249.

*instabilis* Ge. IV, 105\*.

*instantis* A. XI, 872†.

(iens) *euntis* A. II, 111. III, 130\*.

V, 554. 777. IX, 243. 308.

*iacentis* A. IX, 329.

*iugalis* A. VII, 280†.

*labantis* A. II, 463\*.

*laetantis* A. I, 393\*\*\*.

*latentis* A. III, 32\*.

*Laurentis* A. VI, 892\*.

*lēvis* Ge. III, 274††. A. XI, 595.

*lēvis* Ge. II, 358††. A. V, 558.

VII, 626\*. 634\*. 815. VIII,

624., Medic. apud Bottar.

*liquentis* A. VI, 724\*.

*liventis* (rectius pro Genitivo habetur) A. VII, 687.

*madentis* A. XII, 100.

*migrantis* A. IV, 401.

*mollis* A. (II, 683\*) IV, 423.

VII, 390.

*impubes* A. VII, 382. IX, 751.

*inanes* Ge. IV, 241.

*incolumes* A. VI, 415\* et \*\*.

*inermes* A. I, 487†.

*inertes* E. VIII, 24. Ge. I, 94\*\*.

III, 523. A. X, 322.

*ingentes* A. XI, 367.

*iacentes* Ge. I, 65\*\*. A. I, 224†.

*iugales* A. VII, 320†.

*legentes* Ge. II, 152.

*leves* Rom. Ecl. V, 2.

*loquentes* E. VIII, 22.

*luctantes* Ge. II, 357\*\*. A. I  
53\*\*.

*metuentes* Ge. I, 246\*\*.

*minaces* Ge. III, 77††.

*molles* Ge. III, 435\*\*.

*morantis* Ge. IV, 28††. 70. A. VII, 620\*.

*mortalis* A. II, 605. IV, 277. IX, 657.

*nantis* Ge. I, 369.

*nigrantis* A. V, 97. VI, 243\*.

*nitentis* A. I, 228\*. VI, 654\*.

*nivalis* Ge. III, 318†.

*olentis* cod. Rom. Ecl. II, 11.

*omnis* Ge. II, 491. III, 123.

266††. IV, 221. 411. 485\*.

A. I, 74. 194\*. 347. 501\*.

II, 40. 102. 498. 523. III,

513. IV, 59\*. 141. 496\*.

581\*. 630. V, 406. 492. 540.

570. 627. 720. 782. 818.

828. VI, 113. 618\*. 626\*.

667\*. 748\*. 754\*. 788 bis.

857. VII, 55\*. 154. 393.

VIII, 26. 566. IX, 13. 38\*.

224\*. 277. 293. 438. 498.

513\*. X, 673. 717. 854.

XI, 244. 422. 476. 806. XII,

21. 282. 448. 699. 837. 891.

Sic etiam Rom. Ecl. III, 97.

*ovantis* A. III, 544. IV, 543. XI, 13.

*palantis* A. IX, 21. 780. XI, 734. XII, 615.

*pallentis* E. VI, 54\*\*.. Ge. IV, 124\*. A. IV, 243†. *palletis* Rom. Ecl. II, 47.

*pascentis* Rom. Ecl. IV, 45.

*patentis* Ge. IV, 77. A. IX, 683. 693. XI, 879\*.

*pendentis* A. VIII, 632. Medic. ap. Bottar.

*pinguis* E. VII, 65. Ge. I, 192. III, 450††. IV, 118\*. A. I, 635. IV, 62\*. Sic etiam Rom. Ecl. VI, 4.

*moventes* A. VI, 821.

*nitentes* A. VI, 677†.

*olentes* Ge. I, 188.

*omnes* E. VIII, 32. Ge. I, 482.

II, 326††. 335. A. II, 66.

266†. 598. 750. V, 833. VI,

482. IX, 292. X, 3. (XI,

258.?) XII, 499., sed hic ver-

sus in margine inferiore aliis

iisque recentioribus litteris scri-

ptus est. 758.

*orantes* A. XI, 885†.

*ovantes* A. IX, 71. X, 409. 690.

*palantes* A. V, 265††. X, 674.

*pallentes* Ge. III, 357. A. IV, 26†.

*pares* Ge. I, 208. III, 169\*. (vid. §. 17.)

*pascentes* Rom. Ecl. III, 96.

*patentes* A. IV, 153. V, 552.

*pedestres* A. X, 364.

- pluris* Ge. I, 89. Sic etiam Rom. *plures* A. XI, 327.  
 Ecl. II, 32.  
*portantis* A. XI, 333.  
*praecipitis* A. XI, 888†.  
*(praestantis* cod. Rom. Ge. IV, 538.)  
*praecipites* A. II, 307\*. III, 682\*. X, 232.  
*praestantes* A. VIII, 548.  
*precantes* A. XI, 106.  
*putres* Ge. III, 562.  
*putris* Ge. I, 392††.  
*quadriugis* A. X, 571.  
*qualis* A. X, 641.  
*rapacis* Ge. III, 142\*\*.  
*recentis* Ge. IV, 304. A. VII, 748. IX, 612.  
*regalis* A. I, 686\*\*\*. VII, 75.  
*recentes* Ge. III, 301†. IV, 56.  
*revertentes* Ge. I, 427.  
*rogantes* A. VIII, 120.  
*rorantes* A. XI, 8.  
*rubentes* A. IX, 270. (*comantis* Rom.)  
*rudentes* Ge. III, 374††.  
*rubentis* Ge. IV, 47.  
*ruentis* A. II. 440\*. IV, 401. IX, 727. XII, 505.  
*salubris* A. XII, 418.  
*segnis* Ge. III, 42.  
*seminecis* A. IX, 455.  
*sequacis* Ge. IV, 230††.  
*sequentis* Ge. I, 33††. 106. Sic etiam Rom. Ecl. III, 46.  
*semineces* A. XII, 329.  
*sequentes* Ge. I, 425\*\*.  
*serentes* Ge. I, 193.  
*silentes* Ge. I, 476.  
*silvestris* Ge. II. 302.  
*sitientis* Ge. IV, 425.  
*sollemnis* Ge. III, 22††. A. II, 202. III, 301†. V, 53.  
*sonantis* Ge. III, 184\*††. IV, 364. A. I, 200\*. V, 169††.  
*sontis* A. VI, 570.  
*spirantis* A. VII, 281. IX, 645††.  
*sonantes* E. X, 58††. A. XI, 863†.  
*squalentis* Ge. II, 348.  
*spumantes* A. X, 300.  
*sternentis* A. X, 318.  
*steriles* Ge. I, 84\*\*. A. III, 141\*.  
*stantes* A. II, 485.  
*stridentes* A. VII, 561.  
*sublimes* A. VI, 720†.

*surgentis* Ge. III, 29\*\*.

*tabentis* A. I, 173.

*talis* A. III, 183\*. IV, 437. 551.

V, 409. 723. 780. VII, 555.

VIII, 70. IX, 249. X, 669.

XI, 278. 285. XII, 69.

*tenentis* A. VI, 788.

*tenuis* Ge. I, 177. II, 75. III,

335\*††. IV, 410††. A. V,

526. 690. 740. 861. VI, 292.

VII, 14\*.

*teretis* A. VI, 207.

*terribilis* A. VIII, 266.

*torrentis* A. IX, 105. X, 114.

*trementis* A. IV, 643. XII, 761.

*tris* A. I, 108. 110. 184. III,

203\*. V, 772. VI, 355. 484.

VIII, 429 bis. 430. 564. IX,

329††. X, 350. 351. XII,

514††. Sic etiam Rom. Ecl.

III, 105.

*tristis* Ge. II, 126. IV, 531. A.

I, 238\*. III, 366. VI, 534\*.

VII, 617\*. XI, 534. et Rom.

E. II, 14.

*tuentis* A. X, 397.

*tumentis* A. II, 273\*.

*turpis* Ge. II, 60. III, 299\*. IV,

395.

*undantis* A. XII, 471.

*vacantis* Ge. III, 477 ††.

*valentis* Ge. II, 359.

*velocis* Ge. III, 405.

*venientis* A. X, 277.

*vescentis* A. VI, 657\*.

*veteris* vid. §. 16.

*viridis* Ge. III, 162\*. A. V,

330††. VIII, 96\*.

*virilis* A. III, 342.

*vitalis* A. I, 388 \*\*\*.

*tales* A. I, 227†.

*tenaces* Ge. IV, 421. IV, 161†.

*tenacis* etiam Priscian. p. 777.

*tenues* Ge. IV, 224. 500.

*tondentes* A. III, 538.

*trudentes* Ge. III, 373††.

*turpes* E. VI, 49††.

*urentes* Ge. II, 196.

*valentes* Ge. II, 70. 426.

*veloces* A. V, 253.

*venientes* A. XII, 446.

*victrices* E. VIII, 13.

*viventis* A. X, 519.

(*volantis*, quod eo loco vim Substantivi habet, primo scriptum fuisse videtur Fogginio Ge. IV, 16.)

*volentis* Ge. IV, 561.

*volucris* A. V, 503. XI, 795. *Volucres* est Accusativus Substantivi; Charisius quidem pag. 119. edit. Fabric. utramque Genitivi formam, *volucrum* et *volucrium* agnoscit.

*volantes* Ge. I, 321. III, 181†.

*volucres* Ge. II, 217††. A. VIII, 433.

7. Ex hoc indice primum perspicitur, quamvis infensi fuerint librarii formae horum Accusativorum antiquiori, tamen eam multo pluribus locis in Mediceo esse servatam. Tum illud etiam apparet, Romanum codicem, auctoritate Mediceo inferiorem, plus, quam illum, favere recentiori eiusdem casus terminationi, at praestantissimum Vaticanum plus etiam fortasse, quam Mediceum, antiquiori. Porro intelligitur, aequae Participiorum atque Adiectivorum Accusativos in *...is* desinere; et Participiorum quidem sive participialiter positurum, ut

Aen. III, 677. Cernimus *adstantis* nequidquam lumine torvo.

Ge. I, 352. Aestusque pluviasque et *agentis* frigora ventos.

A. VI, 657. *Vescentis* laetumque choro Paeana *canentis*.

A. IX, 372. Cum procul hos laevo *flectentis* limite cernunt.

sive Adiectivorum vim obtinentium, ut

A. XII, 65. *Flagrantis* perfusa genas.

A. IV, 590. *Flaventis* abscissa comas.

Ge. I, 91. venas adstringit *hiantis*.

Ge. II, 359. Fraxineasque aptare sudas furcasque *valentis*.

sive Substantivorum, ut

Ge. III, 218. Cornibus inter se subigit decernere *amantis*.

A. IV, 221. oblitos famae melioris *amantis*.

A. X, 284. *Audentis* Fortuna iuvat.

A. VI, 570. *sontis* ultrix succincta flagello Tisiphone quatit.

Praeterea nullo sunt discrimine Accusativi in *...is* terminati; Nominibus et masculini et feminini generis vel praemittuntur vel subiiciuntur, nec quam iidem in versu sedem teneant, aut, quale sti orationis genus, refert, humile an elatum. Denique, ut quaedam in Mediceo in *...es* terminata contendamus cum contrariis, quid interest inter *acres* et *acris*

E. X, 56. Aut *acres* venabor apros.

A. VIII, 3. Utque *acris* concussit equos.

*agrestes* et *agrestis*



Ge. II, 493. deos qui novit *agrestes*.

A. VII, 482. animos accendit *agrestis*.

*comantes et comantis*

Ge. III, 312. saetasque *comantes*.

A. III, 468. cristasque *comantis*.

*crudeles et crudelis*

A. III, 44. *crudeles* terras.

A. I, 355. *Crudelis* terras.

*dulces et dulcis*

Ge. III, 178. in *dulces* consumunt ubera natos.

A. II, 138. et IV, 33. Nec *dulcis* natos.

A. III, 140. Linquebant *dulces* animas.

Ge. III, 495. Et *dulcis* animas plena ad praesepia reddunt.

*ferentes et ferentis*

A. I, 189. capita alta *ferentes*.

A. III, 678. capita alta *ferentis*.

A. II, 49. timeo Danaos et dona *ferentes*.

Ge. IV, 145. spinos iam pruna *ferentis*.

*feroces et ferocis*

A. I, 263. populosque *feroces*.

A. VII, 384. populosque *ferocis*.

Sed mittamus reliqua et unum illud addamus, quo nihil crebrius hoc in genere recurrit, *omnes* et *omnis*.

*omnes* E. VIII, 32. dum despicias *omnes*.

A. II, 66. Disce *omnes*.

... *is* A. II, 523. haec ara tuebitur *omnis*.

A. XI, 476. vocat labor ultimus *omnis*.

*omnes* Ge. I, 482. camposque per *omnes*.

... *is* A. II, 498. camposque per *omnis*.

*omnes* Ge. II, 326. et *omnes* Magnus alit fetus.

... *is* A. III, 513. et *omnis* Explorat ventos.

*omnes* Ge. II, 335. et frondes explicat *omnes*.

A. X, 3. terras unde arduus *omnes*.

A. XII, 758. Rutulos simul increpat *omnes*.

... *is* A. I, 501. deas supereminet *omnis*.

A. VI, 618. Phlegyasque miserrimus *omnis*.

A. VI, 857. viros supereminet *omnis*.

A. XI, 244. casus superavimus *omnis*.

*omnes* A. II, 266. portisque patentibus *omnes* Accipiunt socios.

... *is* A. IX, 513. cum tamen *omnis* Ferre iuvat casus.

*omnes* A. II, 598. quos *omnes* undique Graiae Circumerrant acies.

A. VI, 482. quos ille *omnes* longo ordine cernens:

... *is* A. X, 673. Quosne — nefas — *omnis* infanda in morte reliqui.

- omnes* A. II, 750. Stat casus renovare *omnes*.  
 A. IX, 292. In casus *omnes*.  
 ... *is* Ge. IV, 485. casus evaserat *omnis*.  
 A. IX, 277. comitem casus complector in *omnis*.  
*omnes* A. V, 833. ante *omnes*.  
 ... *is* Ge. III, 266.  
 A. II, 40.  
 A. IV, 59.  
 A. V, 406. 492. 540. } ante *omnis*.  
 A. VI, 767.  
 A. XI, 806.

et aliquoties praeterea „ante alios *omnis*“.

8. Surdis igitur auribus canent in posterum, qui eleganti nescio cui aurium iudicio hoc dedisse Vergilium praecipunt, ut modo hac, modo illa Accusativi forma uti maluerit. Qui si mihi obiiciant illud, quod legitur in Mediceo A. XI, 872.: „*stantis* Teucros letumque *ferentes*,“ tantum abest ut me confundant, ut quovis pignore, si liceat, contendam *ferentis* poetam scripsisse. Nempe amat in his sedibus aequaliter cadentia Vergilius; Ecl. VIII, 80.: „*Limus* ut hic *durescit* et haec ut cera *liquescit*.“ Ge. I, 479.: „*sistunt* amnes terraeque *dehiscunt*.“ Aen. VIII, 649.: „*Illum indignanti* similem similemque *miinanti*.“ IX, 621.: „*Talia iactantem* dictis ac dira *canentem*.“ vide, quae de hoc genere scripsi ad Ge. I, 157. Aut si illud rectum, vitiosa iudicanda etiam haec sunt: Ge. III, 115.: „*Horrentisque* rubos et *amantis* ardua *dumos*.“ IV, 124.: „*Pallentisque* ederas et *amantis* litora *myrtos*.“ Aen. VI, 657.: „*Vescentis* laetumque choro *pacana canentis*.“ Aen. IV, 401.: „*Migrantis* cernas totaque ex urbe *ruentis*.“ At in eodem Mediceo est Ge. I, 427.: „*Luna revertentes* cum primum colligit *ignis*.“ Sed idem haec habet: Aen. IV, 638.: „et *partis* animum versabat in *omnis*.“ VI, 788.: „*Omnis* caelicolas, *omnis* supera alta *tenentis*.“ X, 854.: „*Omnis* per *mortis*.“ Aut retinendum erit etiam illud Aen. X, 300.: „*Spumantesque rates*.“ adde, quae §. 12. in medium afferuntur. Quocumque igitur se vertent fictae illius elegantiae auctores, irretitos se iis laqueis videbunt, unde non sit quomodo se expediant.

9. Si igitur nullum est vestigium, quo nixum conicere liceat Vergilium aliqua de causa modo hac, modo illa forma usum esse; si certum est testatumque et *i* vocalem saepissime a librariis in *e*, inprimisque ... *is* illam Accusativi III. Decl. extremam syllabam frequenter in ... *es* conversam, et multa etiam menda orta ex illo syllabae finalis ... *is* in ... *es* mutandae studio, et nihilo tamen minus multo plura antiquioris formae exempla relicta esse; denique si dubitari non potest, quin ipsi antiquissimi codd. mss. in ea re haud

raro inter se dissentiant aliusque ab alio emendetur, unum hoc relinquitur, ut Vergilium in omnibus vel Adiectivis vel Participiis supra propositis sola antiquiore ista Accusativi Pluralis terminatione usum credamus. Itaque hanc ubique restitui. Eandem etiam veteres Grammatici multis locis apud Vergilium agnoscunt.

Verum ne quid dissimulasse videar, non sunt praetereunda, quae scripsit Gellius N. A. XIII, 20.: „Nos autem aliud quoque postea consimiliter a Virgilio duplici modo scriptum invenimus; nam et *tres* et *tris* posuit eodem in loco ea iudicii subtilitate, ut, si aliter dixeris mutaverisque, et aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere. Versus ex decimo (350. sq.) hi sunt:

*Tres* quoque Threicios Boreae de gente suprema,

Et *tris*, quos Idas pater et patria Ismara mittit.

*tres* illic, *tris* hic. Pensacula utrumque et modulare: reperies suo quodque in loco sonare aptissime.“ Quamvis affirmate haec scribat Gellius, tamen non desunt causae dubitandi iustissimae. Primum optimus quisque liber ms. adversatur eius auctoritati; tum aliis quoque locis, ubi eandem vocem iteratam legimus, Aen. I, 108. et 110. VIII, 429. sq., *tris* exhibent consentientes inter se libri praestantissimi; porro si versus a Gellio commemoratos contuleris cum VIII, 429. sq.

*Tris* imbris torti radios, *tris* nubis aquosae

Addiderant, rutili *tris* ignis et alitis austri, auribus in consilium adhibitis potius hoc loco ter scribendum erat *tres*, quam illo semel. Ac sive librarius verba dedit Gellio, sive ipse erravit, finxisse videtur vir optimus illam, quam in hac variatione se deprehendisse putat, suavitatem. Certe Vergilio satis erat, ut prius *tris* ictum haberet, alterum eo careret; sic enim talia collocari solent; alia mutatio nec usitata est, nec necessaria, nec apta.

10. Sed veniamus iam ad Substantiva, quorum non est eadem causa, quae Participiorum atque Adiectivorum, et impeditior ratio. Ac primum quidem, ut horum supra, ita hoc loco Substantivorum indicem proponemus.

*amnis* Ge. IV, 233. A. V, 634 ††. *amnes* A. VI, 671\*.

XI, 298.

*anguis* Ge. III, 38. A. VI, 572. *angues* Ge. IV, 482\* et \*\*. A. VII, 450\*. VIII, 437. 697. VII, 658. VIII, 289.

*annalis* A. I, 373.

*artis* Aen. IV, 493\*. V, 359., *artes* Ge. I, 133. II, 52. A. I, 657\*. XII, 393. 397. ubi est *artes*, sed supra scripta *i*, non tamen expuncta *e*. VI, 663 †. XI, 716.

- auris* A. I, 375., ubi *austres* in *auris* mutatur. II, 81. 119. III, 93\*. 294. IV, 183. 428. 440. V, 435. VII, 166. VIII, 582. IX, 395. 474., ubi a m. pr. *auras*. XII, 618. Sic etiam Rom. Ecl. III, 73.
- bidentis* Ge. II, 355. A. IV, 57\*\*†. V, 96. VI, 39\*. VII, 93. VIII, 544.
- biremis* A. I, 182. VIII, 79\*.
- civis* A. XII, 583. Et sic OB  
CIVIS SERVATOS nummi Aug-  
usti et Galbae apud Eckhel.  
T. VI. p. 121. 123. 298.  
Consentit Rom. Ecl. I, 72.
- classis* Ge. I, 255. A. VIII, 675.
- collis* Ge. II, 276††. A. III, 522.
- cratis* Ge. IV, 214.
- crinis* E. VI, 68\*\*. A. II, 277\*.  
IV, 509\*. 559\*. VI, 810. VII,  
418. VIII, 34. IX, 651. X,  
137. XII, 99. 605. 870.
- finis* A. I, 564. III, 440. V,  
82. VI, 345. VIII, 159. XI,  
317. 324. 588. Sic etiam Rom.  
Ecl. I, 68.
- fontis* Ge. IV, 376. Sic etiam  
Rom. Ecl. I, 53.
- funis* A. IV, 575. (vide Not.) †.
- gentis* A. I, 523. VIII, 13. X,  
71\*\*. XI, 847. XII, 504.
- hostis* A. II, 43. 377. 527. 632.  
III, 283. IX, 386. 400\*\*. 554.  
556. 799. X, 372. 379. 398. 729.  
XI, 899. XII, 266. 456. 461\*\*. 477. 582.
- aures* Ge. IV, 349\*\*†††. A. II,  
731. III, 40†. VII, 437†.
- cives* A. XI, 360.
- classes* A. III, 300\*. IV, 537.  
VII, 436†. X, 36.
- colles* Ge. II, 113. A. VII, 798.  
XI, 319. 902.
- crates* Ge. I, 95\*\*. A. VII, 633.,  
sed *crateis* eo loco Vatic., e  
quidem puncto notata, ut de-  
lenda. XI, 64. XII, 508.
- fines* A. I, 570. VII, 149. 334.  
VIII, 602. Medic. apud Bottar.
- fontes* E. IX, 20. Ge. II, 175.,  
ubi *fontis* Prisc. p. 776.
- funes* A. VIII, 708.
- gentes* Ge. I, 331. III, 33. A.  
VI, 60. 92.
- hostes* E. X, 45††. Ge. III, 120.  
A. II, 358. 511. IX, 356.  
XII, 650.

Not. quamquam *funis* plur. num. accus. dici negat Plinius apud Charis. pag. 104. Putsch.

- ignis* Ge. I, 427 ††. A. II, 276\*. 502. 664. III, 406. V, 743. VII, 320\*. 786. VIII, 199. 267. 590., Medic. apud Bottar. IX, 145\*. 522 †. 570. X, 271. XII, 201. 596.
- imbris* Ge. IV, 115 †.
- Laurentis* A. VIII, 613., Medic. ap. Bottar.
- manis* A. III, 565. IV, 490\*. V, 99 ††. VI, 119. 506\*. X, 820. XI, 181. XII, 884.
- messis* E. VIII, 99.
- montis* Ge. I, 283 ††. III, 412 ††. A. II, 636. III, 206\* et \*\*\*. XI, 810. Sic etiam Rom. Ecl. VI, 40.
- mortis* A. X, 854.
- naris* A. VI, 497. VII, 480.
- navis* A. I, 644. 656\*. III, 465 †††. V, 29. 62. 247. 471 ††. VI, 900 †. XI, 326.
- orbis* Ge. I, 337 ††. III, 424.
- ovis* E. VII, 3. VIII, 52. X, 18\*. 68 ††. Ge. III, 296 † et ††. 441. Sic etiam Rom. Ecl. II, 33. III, 5.
- paludis* Ge. I, 363.
- partis* A. IV, 286(\*). 630. VI, 540\*. VII, 69. VIII, 21. X, 717. XI, 748.
- Penatis* A. VIII, 11.
- pontis* A. IX, 170. XII, 675.
- ignes* Ge. I, 291. A. I, 525. II, 624. 686 †. VII, 296 †. VIII, 410. IX, 78. 129. X, 56.
- imbres* Ge. II, 352 \*\*. A. IX, 60., ubi Prisc. p. 776. cum Vatic. *imbris*.
- manes* Ge. IV, 469 \*\*. 505 ††. A. III, 303\*. IV, 34., ubi *amnis* Vatic., et ab alt. m. *manes*; *manis* ibi Priscian.; 387. 427. VI, 743 †. X, 524.
- messes* Ge. I, 103 \*\*. IV, 330 \*\*. *montes* E. VI, 65 ††. Ge. II, 260 \*\*. III, 253. 535. IV, 461 \*\*. A. I, 61 \*\*. II, 804. IV, 151. 155. VIII, 692. XII, 113.
- naves* A. I, 145. 168., sed *navis* Prisc. p. 775. 573 ††. (362. incertum est, Nominativus sit an Accusativus.)
- orbes* Ge. II, 153. III, 173\*. 361 \*\*. A. I, 269. VIII, 137. 448. X, 885. XII, 481. 670. 743. 763. 925.
- oves* E. VI, 85 \*\*. Sic Rom. ibid. vs. 5. et Ecl. III, 98. VI, 5.
- partes* Ge. II, 483.
- Penates* Ge. II, 505 \*\*. IV, 155\*. A. I, 68. 378. 527 ††. 704 ††. II, 293\*. 514. 717. 747. III, 603. IV, 21\*. 598. V, 62 \*\*. VIII, 543. IX, 258. XI, 264.
- pontes* A. X, 658.

- postis* A. II, 442†. XI, 890\*. *postes* Ge. II, 463. A. II, 480.  
490. VII, 622\*. VIII, 227.  
*puppis* A. V, 635. 663††. 794\*. *puppēs* A. I, 69. X, 268.  
*rudentis* A. III, 682., ubi *ruen-* *rudentes* A. III, 267. V, 753.  
*tis* Vatic. X, 229.  
*Sarrastis* A. VII, 738.  
*Syrtis* A. I, 111. *Syrtes* A. 1, 146.  
*tigris* Ge. IV, 510. Sic etiam *tigres* A. VI, 806.  
Rom. Ecl. V, 29.  
*turris* A. II, 445\*. VII, 160.  
XI, 466. XII, 132.  
*vallis* A. I, 186\*. *valles* A. VII, 802. *convalles*  
Ge. III, 276.  
*viris* Ge. II, 286. A. V, 415. *vires* Ge. I, 86. II, 427\*\*. III,  
466. X, 786. XI, 71. 209†\*\*. 214\* et \*\*. 229. A.  
II, 617. IV, 175. V, 191.  
446. 455. 680. VI, 114††.  
834. VIII, 687. IX, 611. 717.  
764. 802. XI, 539.  
*vitis* Ge. II, 191. IV, 331††. *vites* Ge. I, 2. II, 299. (Rom.  
Sic etiam Rom. Ecl. III, 11. Ecl. I, 74.)

11. Comparemus et hoc loco, ut supra in Adiectivis et Participiis fecimus, quaedam inter se pugnancia.

*amnis* et *amnes*

- Ge. IV, 233. Plias, et Oceani spretos pede reppulit *amnis*.  
A. VI, 671. Venimus, et magnos Erebi transnavimus *amnes*.

*anguis* et *angues*

- Ge. III, 38. tortosque Ixionis *anguis*.  
A. VII, 450. et geminos erexit crinibus *anguis*.  
VIII, 697. geminos a tergo respicit *anguis*.  
VIII, 289. geminosque premens eliserit *angues*.

*artis* et *artes*

- A. IV, 493. magicas invitam accingier *artis*.  
XI, 716. patrias temptasti lubricus *artis*.  
XII, 397. mutas agitare inglorius *artes*.

*auris* et *aures*

- A. II, 81. Fando aliquod si forte tuas pervenit ad *auris*.  
II, 119. volgi quae vox ut venit ad *auris*.  
III, 93. petimus terram et vox fertur ad *auris*.  
II, 731. subito cum creber ad *aures*.  
III, 40. et vox reddita fertur ad *aures*.  
et VIII, 582. gravior neu nuntius *auris* Volneret.  
VII, 437. meas effugit nuntius *aures*.  
et XII, 618. arrectasque impulit *auris*.  
Ge. IV, 349. maternas impulit *aures*.

*civis et cives*

A. XII, 583. Exoritur trepidos inter discordia *civis*.

XI, 860. Quid miseros totiens in aperta pericula *cives*.

*classis et classes*

A. VIII, 675. In medio *classis* aeratas.

VII, 436. Ore refert *classes* invectas.

Ge. I, 255. Conveniat quando armatas deducere *classis*.

A. X, 36. Quid referam exustas Erycino in litore *classes*.

*finis et fines*

A. VIII, 159. Arcadiae gelidos invisere *finis*.

VII, 834. Italosve obsidere *fines*.

*funis et funes*

A. IV, 575. Festinare fugam tortosque incidere *funis*.

VIII, 708. Vela dare et laxos iam iamque inmittere *funes*.

*hostis et hostes*

A. II, 527. per tela, per *hostis* Porticibus fugit.

X, 372. rumpenda per *hostis* Est via.

XII, 477. medios Iuturna per *hostis* Fertur.

II, 358. per tela, per *hostes* Vadimus.

IX, 356. via facta per *hostes*.

XII, 650. medios volat ecce per *hostes*.

et II, 377. medios delapsus in *hostis*.

IX, 554. medios moriturus in *hostis*.

X, 379. densos prorumpit in *hostis*.

II, 511. densos fertur moriturus in *hostes*.

*ignis et ignes*

A. IX, 145. Neptuni fabricata manu considerare in *ignis*.

II, 624. Tum vero omne mihi visum considerare in *ignes*.

et V, 743. cinerem et sopitos suscitatur *ignis*.

VIII, 410. cinerem et sopitos suscitatur *ignes*.

et II, 276. Phrygios iaculatus puppibus *ignis*.

I, 525. prohibe infandos a navibus *ignes*.

*manis et manes*

A. XI, 181. gnato *Manis* perferre sub imos.

XII, 884. *Manisque* deam demittat ad imos.

IV, 387. haec *Manes* veniat mihi fama sub imos.

*montis et montes*

Ge. III, 412. *montisque* per altos.

III, 535. *montesque* per altos.

et Ge. I, 283. exstructos disiecit fulmine *montis*.

A. XII, 113. vix summos spargebat lumine *montes*.

et A. XI, 810. Continuo in *montis* sese avius abdidit altos.

IV, 151. Postquam altos ventum in *montes*.

*navis et naves*

A. V, 29. Quoque magis fessas optem demittere *navis*.

I, 168. hic fessas non vincula *naves* Ulla tenent.

*orbis et orbes*

Ge. I, 337. Quos ignis caeli Cyllenius erret in *orbis*.

A. X, 885. Ter circum adstantem laevos equitavit in *orbes*.

*Penatis et Penates*

A. VIII, 11. Advectum Aenean classi victosque *Penatis*.

I, 68. Ilium in Italiam portans victosque *Penates*.

*postis et postes*

A. XI, 890. Arietat in portas et duros obice *postis*.

VIII, 227. fultosque emuniit obice *postes*.

*puppis et puppes*

A. V, 635. infaustas exurite *puppis*.

I, 69. submersasque obrue *puppes*.

*viris et vires*

Ge. II, 286. Sed quia non aliter *viris* dabit omnibus aequas.

A. V, 415. Dum melior *viris* sanguis dabit.

XI, 71. Non iam mater alit tellus *virisque* ministrat.

IX, 717. animum *viresque* Latinis Addidit.

764. Iuno *vires* animumque ministrat.

802. *vires* audet Saturnia Iuno Sufficere.

12. Haec qui consideraverit, facile intelliget, quod supra §. 9. de Adiectivis et Participiis conclusimus, idem ad Substantiva modo recensita spectare, nec esse Vergilii illam, quam in his quoque observavimus, varietatem, sed librariorum. Rursus autem fortasse cantabunt suam de euphonia cantilenam, qui talia legi in Mediceo animadverterint: Ecl. VI, 85.: „Cogere donec oves stabulis.“ A. I, 69.: „Incute vim ventis submersasque obrue puppes.“ II, 358.: „Faucibus expectant siccis, per tela, per hostes.“ aut talia: Ge. I, 331. „Per gentes humilis stravit pavor.“ A. VII, 320.: „ignis enixa iugales.“ At in eodem haec invenies: Ge. III, 535.: „Unquibus infodiunt fruges montesque per altos.“ Ge. II, 52.: „In quascumque voles artes haud tarda sequentur.“ Ge. IV, 461.: „Impleverunt montes, flerunt Rhodopeiae arces.“ A. VII, 296.: „medias acies mediosque per ignes.“ ib. 149.: „Orta dies, urbem et fines et litora gentis.“ porro Ecl. VII, 3.: „Thyrsis ovis.“ Ge. III, 441.: „Turpis ovis.“ ib. 38.: „Ixionis anguis.“ A. V, 415.: „dum melior viris sanguis dabit.“

13. Illud autem fortasse miraberis, quod in tanta illa, quantum vidimus, varietate quaedam vocabula constanter in ...is exeunt; omitto, quae semel aut bis leguntur, *turris* quater, *bidentis* series, *crinis* duodecies recurrit. Infra a Charisio relatum legemus, iam M. Terentii Varronis aetate non omnium Substantivorum, quorum Genitivus plur. in ...ium desinit, Accusativum ab omnibus in ...is, sed a quibusdam etiam in ...es terminatum esse; et paulatim antiquior illa forma ita obsolevit, ut in paucis nominibus retineretur;



id quod docet Consentius p. 2040.: „Sane plerique omnes has regulas, quae genitivum in ...*ium* mittunt, dicunt etiam accusativum pluralem in ...*is* mittere; sed in hoc quoque sequenda euphonia est. Pleraque enim ex omnibus istis regulis consuetudine cernimus immutata.“ Itaque fieri potuit, ut, cum dudum aliam consuetudinem in ceteris sequerentur, in his nominibus *turris*, *bidentis*, *crinis*, et aliis fortasse, veterem morem vulgo retinerent eo tempore, quo scriptus est liber Mediceus.

14. Reliqua iam est illa multitudo Nominum, quae contra regulam Accusativum in ...*es* terminatum habet. Atque in Mediceo quidem, quocum fere consentit Vaticanus, qui ubi ab illo discedit, suis locis notatum videbis, in ...*es* ubique exeunt *Alpes* \*), *ambages*, *apes*, *arces*, *aves*, *caedes*, *cautes*, *dentes* (secundum praeceptum Varronis, de quo infra dicetur), *enses* (*ensis* tamen Vatic. A. VII, 636.), *fascēs*, *fauces*, *fores*, *frondes*, *glandes*, *grates*, (*iuvēnes*), *lances*, *lites* Ecl. IX, 14. (Ecl. III, 108. *lites* Rom.), *menes*, *mentes*, (sed *mentis* exstat Aen. IV, 487. in Vatic.) *moles*, *noctes*, (sed Aen. VI, 556. dubitat Fogginus, an littera *e* primo fuerit *i*; et ad G. I, 290.: „noctes lentus non deficit humor“ Servius: „*Noctis*, inquit, Accusativus pluralis.“) *nubes*, *parentes*, (sed *parentis* Aen. III, 180. in Vatic. exstat,) *rades*, *rupes*, *secures*, *sedes*, (sed Aen. VI, 639. Bottario Vaticanus habere videtur *sedisque beatas*; cfr. Matth. ad Cic. pro Sext. c. XX.) *soles*, (*solis* tamen cod. Sangallens. Aen. III, 203.) *strages*, *sudes*, *trabes*, *urbes*, (semel tamen *urbis* in Medic. Aen. VIII, 434., sed a m. sec. *urbes*.) *vestes*; praeterea semel in IV. casu lecta *aedes*, *antes*, *calles*, *casses*, *cohortes*, *lintres*, [*merces* E. IV, 39., probatum a Varrone,] *nives*, *novalēs*, *pisces*, *Quirites*, *sortes*, *stirpes*, *utres*, *vepres*, [*vulpes* E. III, 91.]

15. Quid igitur? Num haec quoque, quae modo recensuimus, contra optimi codicis auctoritatem, ad notam illam ac vulgarem regulam accommodabimus? minime vero, etsi vix dubito, quin etiam ex his quaedam a Vergilio in ...*is* terminata fuerint. Atque iam aurea aetate aliorum Nominum, quorum Genitivus in ...*ium* desineret, Accusativum plur. in ...*is*, aliorum in ...*es* exisse, locupletissimus auctor est M. Terentius Varro. Charisius Institutt. Grammat. I. I. p. 128. ed. Fabric. pag. 104. ap. Putsch. ita scribit: „Quorum nominum genitivus pluralis ante *um* syllabam *i* littera terminabitur, accusativus, inquit Plinius, per *eis* locutus, *montium monteis*; licet Varro, inquit, exemplis hanc regulam confutare tentarit istiusmodi: *falcium falces*, non *falceis* facit, nec has *merceis*, nec hos *axeis*,

\*) Velleio *Alpis* nunc restituit Kritz. Prolegg. p. CXXIII.

*lintreis, ventreis, stirpeis, urbeis, corbeis, vecteis, nepteis.* Et tamen manus dat praemissae regulae ridiculae (*ridicule?*), ut exceptis his nominibus valeat regula.“ Adde ipsius Varronis de L. L. l. VIII, 38.: „Quid potest similis esse, quam *mens, dens, gens*? cum horum casus patricus et accusativus in multitudine sint dispariles: nam a primo fit *gentium* et *gentis*, utrobique ut sit *i*; ab secundo *mentium* et *mentes*, ut in priore solo sit *i*; ab tertio *dentum* et *dentes*, ut in neutro sit *i*.“ Quae cum ita sint, cavendum erit, ne quaedam inferamus in libros veterum, quae respuat ipsa cultior Latinitas; quamquam omnes scriptores num intra fines a Varrone positos sese continuerint, dubitari fortasse potest. Eorum Nominum, quae Varro commemorat, Accusativi apud Vergilium inveniuntur *dentes, lintres, mentes, merces, stirpes, urbes*, illa quidem fere singulis locis, *urbes* autem satis crebro. Itaque consultius erit, Ge. I, 25.: „*urbis* ne invisere, Caesar, Terrarumque velis curam,“ *urbis* pro Genitivo habere. Ita fit, ut concidat Val. Probi apud Gellium XIII, 20. ratio: „diversis in locis *urbes* et *urbis* dixit (Vergilius) arbitrio consilioque usus auris. Nam in primo Georgicon, quem ego librum manu ipsius correctum legi, *urbis* per *i* litteram scripsit. Verte et muta, ut *urbes* dicas, insubidius nescio quid facies et pinguius. Contra in tertio Aeneidos *urbes* dixit per *e* litteram:

Centum *urbes* habitant magnas.

Hic item muta, ut *urbis* dicas: nimis exilis vox erit et exanguis; tanta quippe iuncturae differentia est in consonantia vocum proximarum.“ Haec ille. Esto autem, ut aliud sonuerit *Manes*, aliud *Manis*; non tamen continuo inde sequitur, eadem vocabula ab eodem scriptore diversis modis et scripta et pronuntiata fuisse, ut *urbes* et *urbis*; et ubi discrepant in his codices, tribuerim hoc potius consuetudini posteriorum saeculorum, omne inter has Accusativi formas discrimen exaequant, id quod supra §. 13. luculento testimonio Consentii est cognitum. Ac non sum nescius iam Varronis aetate quaedam et in *...is* et in *...es* terminata fuisse, quod ex ipsius l. VIII. de L. L. p. 440. ed. Spengel. discitur: „sine reprehensione vulgo alii dicunt in Singulari hac *ovi* et *avi*, alii hac *ove* et *ave*; — in accusandi casu hos *montes, fontes, hos montis, fontis*.“ Sed haec verba minime favent iis, qui Vergilium multa modo in *...es*, modo in *...is* terminasse opinantur; hoc enim scribit Varro: alios quaedam aliter, non eosdem eadem diverso modo pronuntiasse. Id ipsum tamen si haud dubie contendit Valerius Probus apud Gellium l. I., probe distinguas aetates necesse est; quod enim Neronis aetate fecerunt, id non continuo sequitur Augusteo saeculo factum esse.

16. Verum ea res videtur etiam latius patere, quam vulgo creditur. Ut paucis rem complectar: Accusativum nominum liquidam

*r* ante terminationem habentium in ...*is* a Vergilio terminatum esse admodum probabile est. Eam rationem in Mediceo diligentissime observatam videbis in Adiectivo *celer*, cfr. Aen. I, 187\*. IV, 226. 270. 357. V, 217. VII, 811. XI, 765. XII, 394. 859. In eodem exstat *veteris* Aen. I, 358.; quod idem Ecl. IX, 9. restituendum esse contra codicum auctoritatem idoneis argumentis ad eum ipsum locum dudum probavimus. Et *prioris* est in duobus codd. Ge. II, 59.; ex editione autem Vergilii diobolari Vimariae 1826. edita enotavi *minoris* cod. 6. Aen. I, 733. et *degeneris* cod. 7. Aen. IV, 18. Praeterea *laboris* bis in Mediceo legitur, Aen. VI, 65. et IX, 202., item in Vatic. Aen. II, 306. et a m. pr. in alt. Mentel. Ge. II, 478. Porro *fratris* exstat in Medic. Aen. IX, 695. et *pastoris* in Leid. Ge. III, 339. Contra *memores*, *immemores*, *maiores*, *pares*, *prioris* ubique in Mediceo. Nec dubitavi Accusativos *celeris*, *veteris* et *laboris* ubique revocare. Etsi autem credibile est, in ceteris quoque idem secutum Vergilium scripsisse *prioris*, *minoris*, (cfr. §. 18.) *maioris* \*), *amoris*, *odoris*, *oloris*, fortasse *floris* etiam, *moris*, et quae sunt eius generis alia, tamen idoneis exemplis destitutus manum cohibui. — Num etiam alia quaedam Nomina hanc terminationem admiserint, difficile est dictu; tamen *hiemis* Ge. III, 197. etiam Heynius exhibuit; et sic est eo loco in Vatic.; vid. quae ibi scripsimus. *dapis* a m. pr. habet Gud. Aen. III, 301.

17. Ceterum in ...*is* an in ...*eis* Accusativum plur. tert. Declinat. exire voluerit Vergilius si quaeritur, parum commendatur forma ...*eis* a libris mss., neque eam usquam exhibitam vidi, praeterquam quibusdam locis in cod. Palatino, non optimo orthographiae Vergilianae auctore. Nam quod Aen. VII, 633. in Vatic. a m. pr. legitur *crateis*, nihil fere probat, quam librarium primo scribere voluisse *crates*, deinde, cum in illo, unde transcriberet, exemplari *cratis* legi animadvertisset, adiecisse *i*, *e* autem puncto ut delendam notasse. Vid. de hac Accusativi forma a scriptoribus aevi Augustei spreta Kirchneri Praefat. ad Horat. Satiras pag. LXXXIV.

18. Denique (liceat enim haec propter quandam argumenti cognationem adiicere) ne a Nominativo quidem Pluralis aliena fuit haec forma. Varro de L. L. VIII, 37. pag. 440. Speng.: „Sine reprehensione vulgo alii dicunt in Singulari *haec ovi* et *avi*, alii *haec ove* et *ave*; in multitudinis *haec puppis*, *restis* et *haec puppes*, *restes*.“ Nec, quod cuipiam in mentem venire possit, *has pro hae*

---

\*) „ferocior, peior, melior ait Stilo in ...*eis* accusativo posse proferri.“ et paulo post: „facilioreis Caecilius et sanctioreis.“ Haec Charisius pag. 104. Putsch.

scribendum esse, docent, quae sequuntur: „in accusandi *hos montes, fontes, et hos montis, fontis*.“ Atque in Monumento Ancyrano scriptum est *pluris conflixerunt* Edit. Sueton. Wolf. pag. 374., quamquam alias in eodem *plures* exaratur; sed etiam *minoris* pag. 369. videtur esse Nominativus plural. Itaque non continuo reiicienda erunt, quae Freundius, vitiosa esse ratus, ex antiquissimis codd. Ciceronianis attulit ad Orat. pro Mil. pag. 14. Quae ex tribus antiquissimis codicibus Vergilii collegimus eius rei exempla, haec sunt: 1) ex Mediceo: „*viridis* apio ripae“ Ge. IV, 121. „*tris* equitum turmae“ Aen. V, 560. „multae — *gentis*“ Aen. VII, 238. „laetique *minoris* Servavere diem“ Aen. VIII, 268. 2) e Vaticano: „campique *natantis*“ Ge. III, 198. „*viridis* apio ripae“ Ge. IV, 121. „quo pontus et *omnis* Intremuere undae“ Aen. III, 672. „Heu vatam ignarae *mentis*“ Aen. IV, 65. „ocius *omnis* Inperio laeti parent“ Aen. IV, 294. „*ultrici-*que sedent in limine dirae“ Aen. IV, 473. „paremus *ovantis*“ Aen. IV, 577. „Conlabsam adspiciunt *comitis*“ Aen. IV, 664. „Unde ruunt totidem *vocis*“ Aen. VI, 44. „cremantur — fuso *crateris* olivo“ VI, 225. „purpurei cristis *iuvenis*“ IX, 163. 3) ex Romano: „*bellantis* — Grai“ Aen. I, 466. „*dulcis* nidi“ Aen. V, 214. „donati *omnis*“ Aen. V, 268. „*omnis* fecere pedem“ Aen. V, 830. „*Terribilis* visu formae“ Aen. VI, 277. „datae sine iudice *sedis*“ Aen. VI, 431. „*omnis* Corporeae pestes“ ib. 736. Non videtur ea vis esse horum exemplorum, ut continuo iudices ita Vergilium scripsisse. Nam ut littera *i* infinitis locis in *e* litteram mutata est a veteribus librariis, id quod supra vidimus, ita facile etiam *e* in *i* converti poterat. Nec cum in Vaticano Aen. II, 197. et V, 804. *Achillis* reperiatur, ita, non *Achilles*, scripsisse Vergilium in animum induces; nec quomodo illud, quod est in eodem codice Aen. VI, 225.: „fuso *crateris* olivo“ defendas, facile dixeris. Sed in exiguo horum exemplorum numero cum *omnis* quater inveniatur, non recusabo, quin hoc saltem Vergilianum censeas.

ACHAIUS, ACHAICUS. vid. V. L. ad Aen. II, 462. Weichert. Poetar. Latt. Reliqu. p. 322. sq. not. et Doederlin. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. V. p. 306.

ACHILLES, Genit. *Achillis* et *Achilli*, Accusat. *Achillen*. vid. V. L. ad Aen. I, 30.

ACLYDES. vid. V. L. ad Aen. VII, 730. Ita etiam ex optimo cod. editur apud Silium III, 363. VIII, 552. Aliter Doederl. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. VI. p. 5.

ACRAGANS. vid. litt. N. §. 6. Et *Acragas* per *c* Graeco

## 406 AD — ADSIMILATIO PRAEPOS.

more scriptum in Rom.; *Mediceus Agragans*, in quo decepit fortasse librarium inflexa Latinorum forma *Agrigentum*; vid. tamen Heins. ad Silium XIV, 210.

AD et AT. vid. litteram *D*. §. 4. 8. 9.

AD in compositis. vid. ADSIMILATIO §. 2—8.

ADESSUS. vid. litt. *S*. §. 2.

ADQUE. vid. litteram *D*. §. 5. et 10.

ADQUL. vid. litteram *D*. §. 5.

ADRIACUS. vid. HADRIACUS.

ADSIMILATIO PRAEPOSITIONUM in compositis.

1. Praeter alios, qui hac de re dixerunt, vid. A. Mai. *Conspect. Orthographiae Cod. Vatic. de Rep.* pag. 621. edit. Moser. Schneider. *Gramm. Lat. Vol. I. P. II.* p. 515. sqq. Kirchneri *Praefat. ad Horat. Satiras* pag. LXXXV. sq. Wunder. *Praefat. ad Cic. Orat. pro Plancio* p. XV. et Freund. *ad Orat. pro Mil.* p. 25. sqq.; adde Reisigii *Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft* p. 280. sq. et ad eum librum notam 308. Fr. Hasii. Servius semel hanc rem attigit, ad Aen. I, 616.: „ADPLICAT. Secundum praesentem usum per *d* prima syllaba scribitur; secundum antiquam orthographiam, quae praepositionum ultimam litteram consonam in vicinam mutabat, per *p*.“ Sed Servii in eiusmodi re non maior est auctoritas, quam cuiuslibet veteris grammatici.

Praepositiones in quibusdam verbis vocabulisque immutatas et, ut hodie loquuntur Grammatici, adsimilatas esse, in aliis integras relictas, pro certo habendum est. Sed illud iure dubitatur, quibus finibus contineantur eius rei praecepta; nec audeo sperare ita de ea praecipi posse, ut omnis error tollatur. Non una hanc rem expedire conanti obiicitur difficultas; nam nec quando apud Romanos initium factum sit adsimilandarum praepositionum constat, nec qui fuerit cuiusque vel aetatis vel scriptoris usus. Illud et res ipsa probat et declarant vetera monumenta, primo rariorem fuisse adsimilationem, post magis magisque increbuisse ac, prouti vel auris vel consuetudo posceret, in simili compositorum genere modo admissam esse, modo reiectam. Sed cum posterior aetas multo etiam magis, quam Augusteum saeculum, quo fuit Vergilius, faveret adsimilationi, fieri non potuit, quin vetus mos a librariis multum obscuraretur. Maxime id factum est in verbis vocabulisque plurimum frequentatis. Nos quidem Mediceum ducem ita sequemur, ut in iis

verbis, in quibus constanter inflexa est praepositio, retineamus adsimilationem, respuamus eandem in iis, in quibus praepositiones integras a Vergilio servatas esse vel pluribus exemplis vel etiam uno satis probabili declaratum videatur. Consentiant cum Mediceo Vatic. et Rom., in quibus si quam deprehendero memorabilem discrepantiam, suo loco adnotabitur.

2. AD ante litteram *c* immutatur in verbis *Accedere*, *Accendere*, *Accessus*, *Accidere*, *Accingere*, *Accipere*, *Accire*, *Accitu*, *Accola*, *Accolere*, *Accubare* (*Adcubet* tamen Vatic. apud Bottar. Ge. III, 334.), *Accumbere*, *Accurrere*. Servata littera *d* in quibusdam rarius lectis, *Adclinis* Aen. X, 835., *Adcommodus* Aen. XI, 522. (quare etiam *adcommodat* Aen. II, 393. exarandum putavi), *Adcumulo* Aen. VI, 886.; et Ge. II, 276. cum exstet *Aclive*, supra scripta est *d*. Praeterea *Atcelerare* legitur Aen. V, 675. IX, 221. 505., *Adcelerare* Aen. VI, 630. XII, 157.

3. Ad subiectis litteris *f*, *g*, *m*, *n*, retinet *d*, nisi quod perpaucis locis in eandem transit: *affatur* Aen. XII, 10. 71., *affectare* Ge. IV, 562. Aen. III, 670.; praeterea *atfata* Aen. XII, 138. et *atfatu* Aen. IV, 284., sed utroque loco *t* mutata in *d*; denique *afteabilis*, sic, Aen. III, 621.; (Pompeii Comment. Art. Don. pag. 405.: „Non dicebant *affero*, sed *adfero*.“) *a morso*, a m. s. *a morsu*, pro *admorso* Ge. II, 379. Maior quaedam est varietas in verbo *adgnosco*, quod *d* habet his locis: Aen. I, 406. 470. 488. II, 423. III, 180. 347. IV, 23. VI, 407. 452. 498. IX, 16. 457. 659. 734. X, 224. 843. XII, 260. 449. 632.; caret idem *d* littera Aen. III, 82. 173. 351. V, 576. 679. VI, 193. VIII, 531. X, 874. XI, 910. XII, 869. Praeterea *abnosco* scriptum fuerat A. VIII, 155., sed *b* transfixa et supra scripta *g*; sed facilius *D* et *B*, quam *G* et *B*, permutari poterant; quare librarius in eo, quod describebat, exemplari *adnosco* videtur invenisse. In Vatic. *agnosco* deprehenditur Aen. III, 173. VI, 498., ceteris iisque pluribus locis *adgnosco*. Quod autem semel legitur *aggeritur* Aen. III, 63., quo in verbo mature adsimilationi adsuevisse Romani videntur, non censui movendum.

4. Item recte a superioribus editoribus retentum *Ad* ante litteram *l*; vid. Heins. ad Aen. I, 229. Ita ubique in Mediceo, nisi quod *Alligat* ter (nec saepius exstat hoc verbum apud Vergilium) invenitur, quare hoc quidem mutare religioni habuerim. *Alligat* etiam Vatic. *Adlocutio* constanter in nummis. Ceterum *alapsa* Aen. XII, 319., sed *d* supra adiecta.

5. *Ad* ante *p* servati pauca quidem sunt exempla, sed satis idonea, quae certe ea verba, in quibus aliquo loco servatum deprehenditur, ad eum modum ubique exigenda esse probent. *Ad-*

*parent* Aen. XI, 605. *Adpetii* Aen. XI, 277., ut etiam Rom., *Adpone* Ge. IV, 280. *Adplicat* Aen. I, 616. *Adpulit* Aen. I, 377., ut etiam Vaticanus Aen. VII, 39. Retinui *Apparare* et *Appellare*; et *Appellare* quidem etiam Monument. Ancyran. et Fasti Praenestini.

6. *Adq...* Ita compositum verbum semel apud Vergilium legitur, *Adquirat*, sic scriptum in Mediceo, Aen. IV, 175.; *Adquisita* etiam in nummis apud Eckhel. T. VI. p. 420.

7. *Ads...* Constanter in Mediceo scribitur *Adsciscere*, *Adsensu*, *Adsensire*, *Adsisistere*, *Adspirare*, *Adsiduus* (hoc etiam in Voll. Herculanens. P. II. Col. I. lin. 6.), *Adsurgere*, *Adsum*. Adde semel lecta *Adstringere* Ge. I, 91., *Adscire* Aen. XII, 38., quod iniuria damnat Kritz. ad Sallust. Cat. 47, 1., *Adservare* Aen. II, 763., *Adsultibus* Aen. V, 442.; porro *Atsimilis* Aen. VI, 603., *Atsimulat* Aen. X, 639., *Adsimulata* Aen. XII, 224. *Adstare* ubique, si discesseris ab Aen. III, 194. IV, 702. V, 10., ubi *astitit*, sed ubique supra scripta *d*; *astare* etiam Vatic. Aen. II, 303. III, 123. 150. 194., sed *adstare* idem III, 677. VII, 181. *Adsuetus* quoque cum Vatic. semper Medic. praeter Aen. IX, 201., ubi *assuetus*; *Advescite*, sic, Rom. Aen. VI, 833. pro *adsuescite*. *Adspargere* Ge. III, 419. Aen. III, 625.; aliter Ge. IV, 62. Aen. III, 534. Contra ubique, ut etiam in Vatic. et Rom., *Aspicere*, *Aspectus*, de quo vid. Noris. Cenotaph. Pis. p. 483., *Ascendere*; quae scriptura Vergiliine fuerit, an librariorum, haud facile dixeris. Tribuendum fortasse hic quoque aliquid consuetudini rationem et quandam in his rebus aequabilitatem nihil curanti. Sexies *Aspectare* exaratum est in Mediceo, semel deprehenditur *Adspectare* Aen. X, 4.; *adspectans* etiam Rom. Ge. III, 228.; et in Vatic. cum Aen. I, 420. *spectat* scriptum esset, antiqua manus adiecit *ad*. His tribus exemplis satis defensam tectamque puto antiquiorem in hoc verbo rationem, quam non dubitavi adsciscere. Nec mirum, si Verbum simplex *aspicere*, plurimo usu tritum, litteram *d* mature expulerit, diutius contra retinuerit Verbum frequentativum, quod non habebat sedem in quotidiana consuetudine. Mirum videtur Reisigio (*Vorles. über lat. Sprachw.* p. 280.), quod Passovius ad Tacit. Germ. p. 3. *adsum* retinere voluerit, cum *assum* pronuntiasset Romanos ostendat Plautus Poen. I, 2, 67.: „*assum* apud te eccum. AG. ego *elixus* sis volo.“ At ea res non impedit, quominus *adsum* scripsisse Romanos putemus; alia esse potuit scribendi, alia pronuntiandi ratio; ac si illo quidem loco Plautus *assum* scripsit, ut ibi debuit, non sequitur continuo sic eum ubique scripsisse, qui semel hoc pronuntiandi consuetudini tribuerit, ut ita scriberet. Quid autem, si hanc ipsam vulgi consuetudinem ridendam eo loco proponere Plautus voluit? quod mihi quidem ita videtur. — Denique *Aspernari* ubique veteres illi, quos supra me-

moravi, codices; et recte; vid. Heusinger. Obs. antibarb. pag. 327. Doederl. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. II. p. 178. sq. coll. Vol. III. p. 323. sq.

8. Ante *r* et *t* in eadem litteras *d* mutatur constanter. Itaque Mediceo auctore scribemus *Arrigere*, *Arripere*, *Atterere*, *Attingere*, *Attollere*, et quae sunt eiusdem modi. Quae res cum innumerabilium exemplorum testimonio confirmetur, Aen. XII, 322. casu nescio an Foggini errore *Adtulerit* exaratum sit. Sed, ne quid dissimulemus, enotantur a Bottario ex cod. Rom. *adtritā*, quod vidit etiam Schulzius, Ecl. VI, 17. Ge. I, 46., *adtractus* Ge. III, 505., *adtoniti* Ge. III, 545., *adterat* Ge. IV, 12., *adtraxerit* Aen. XI, 250. Praeterea *adtorquens* Vatic. apud Bottar. Aen. IX, 52. — Ceterum ante litteras *c*, *f*, *g*, *l*, *n*, *p*, *r*, *s*, *t*, litteram *d* in eadem abire vult Priscianus l. II. c. 1. s. 7., etsi frequenter inveniatur litteris *f* vel *n*, vel *l*, vel *r*, vel *s* sequentibus *d* scripta, quod ille scriptorum errori adsignandum putat.

Progredimur ad Praepositiones IN et CUM.

9. In constantissime servatur ante litteram *l*. Ergo ubique in Mediceo *Inlabor*, *Inlacrimo*, *Inlido*, *Inludo*, *Inlustris*, etiam *Inlecebrae*, *Inluvies*, et quae sunt reliqua. Pariter *inlita* in Voll. Herculanens. P. II. Col. VI. lin. 5. Atque eam rationem et Vergilii aetate et postea pervulgatam fuisse, cognosci potest ex ridiculo errore, qui deprehenditur in nummo Decii apud Eckhel. T. VII. p. 344., in quo est *Inluricus* pro *Illyricus*. Hinc vide, quid facias severa illa in Wunderum animadversione Lindemanni Grammat. Lat. Vol. I. p. 235. not. 38. *Illaudati* tamen Vatic. Ge. III, 5. apud Bottar.

10. Non eadem est alterius Praepositionis constantia. Et *Colligo* quidem, quod in hoc genere longe frequentissimum est, sic semper, non *Conligo*, scriptum invenitur; (Quintil. XI, 3, 35.: „Vitatur etiam duriorum inter se congressus, unde *pellexit* et *collegit*.“) neque aliter illa semel apud Vergilium lecta *Colloco*, (Placidi Glossae p. 441.: „*Collocat* melius dicimus per *l*“, nam mollior et levior sonus est; interdum enim praepositio praecedens sumit litteram sequentis verbi.“) *Colludo* et *Collatus*. Obtemperavi in ea re Mediceo, quamquam *Conlegit* exstat in Rom. Aen. XII, 491.; nam quod in eodem Aen. XII, 711. *Conlectis* pro *Coniectis* legitur, nihil probat. Contra ubique, Vaticano consentiente, in Mediceo *Conlapsus* et *Conlucere*, nisi quod Aen. X, 539. est *collucens*. Praeterea etiam semel lecta *Conloquium* et *Conlustrō*. Mihi quidem in his discrepantia compositionis eam videtur habuisse causam, quod in aliis produceretur, in aliis corripere Praepositio; cfr. Gell. N. A. infra ad litt. IV. §. 3. et 4. laud. Aliter de ea



## 410      ADSIMILATIO PRAEPOS.

re iudicat Muellerus Praefat. ad Varron. de L. L. p. XXXVIII., a quo dissentit Freund. ad Cic. Orat. pro Mil. p. 27.

11. Porro ubique *Inr...* in Mediceo, nusquam *Irr...*; sic, ut quaedam crebrius lecta afferam, *Inridere*, *Inrigare*, *Inritus*, *Inrumpo*, *Inruo*; consentiunt Rom. Vatic. et Fragn. Sangall., adde Voll. Herculanens. P. II. Col. VII. lin. 4. Contra eadem constantia *Corr...*, nusquam *Conr...* Cum autem *Inr...* ubique retinuerit Mediceus, mirum profecto esset, si eadem ratio in *Conr...* prorsus oblitterata esset in eodem. Scilicet in haec quoque usus (vel etiam varius pronuntiandi modus, cfr. §. 10. extr.) imperium suum exercuisse putandus erit.

12. *In* ante *m* servandum esse, etsi aliquoties inversum invenitur, satis multa exempla docent. *Inmanis* legitur Ge. IV, 458. Aen. I, 110. 139. V, 351. 822. VII, 666. IX, 730. XI, 173. 552. et aliis locis; *Inmemor* Ge. IV, 440. Aen. II, 244. III, 617. VII, 439. IX, 256. et saepius; *Inmensus* quoque crebrius est, quam *Immensus*; *Inmergere* Ge. IV, 29. Aen. III, 605.; *Inmiscere* saepius quam *Immiscere*; *Inmittere* Ge. III, 371. Aen. III, 593. VI, 1. 312. X, 406. XI, 562. et saepius; *Inmitis* Ge. IV, 17.; *Inmobilis* Aen. IX, 448. XII, 400.; *Inmotus* Aen. I, 257.; *Inmortalis* Ge. IV, 208. Aen. IX, 95. XII, 882.; *Inmundus* Aen. V, 333. X, 844.; porro semel lecta: *Inmaturus* Aen. XI, 166.; *Inmedicabilis* Aen. XII, 858.; *Inmeritus* Aen. III, 2.; *Inmulgere* Aen. XI, 572.; *Inmurmurat* Ge. IV, 261., et bis lectum *Inmugire* Aen. III, 674. XI, 38. Contra semper scribitur *Inminere*, ut etiam in Voll. Herculanens. P. II. Col. I. lin. 7.; *Immolare*, *Immunis*, geminata *m*; vid. infra §. 18. Vaticanus crebrius in hoc genere adsimilatione utitur; cuius quam studiosus fuerit is, qui scripsit eum codicem, licebit fortasse inde suspicari, quod etiam *im mentem* exaravit Aen. IV, 39. et *im pace* Aen. VII, 46. Hinc recte coniecturam facias de consuetudine talia pronuntiandi. Legitur tamen in eodem *inmensam* Aen. II, 185. *inmeritam* III, 2. *inmanis* VI, 618. *inmota* VII, 314. et *inmittere* V, 805. IX, 889. Ut autem supra vidimus *Corr...* ubique, non *Conr...* in Mediceo exarari, sic etiam *Comm...*, non *Conm...* Consentit in ea quoque re Vatic.

13. *In* ante litteram *p* in Mediceo nunc servatur, nunc inflectitur, ita quidem, ut appareat, si non in omnibus, certe in longe plurimis verbis vocabulisque antiquiorem formam exhibitam esse a Vergilio. In omni autem hac quaestione de vera germanaque verbi cuiusque scribendi ratione illud maxime videndum est, quae sit forma verborum rarissime lectorum, quippe in quibus fere antiquam manum servarint librarii. Itaque *Inpastus*, *Inpatiens*, *Inpavidus*, *Inpensa*, *Inpensius*, *Inperditus*, *Inperfectus*, *Inperterritus*, *Inpexus*, *Inpiger*, *Inplacabilis*, *Inplacatus*, *Inplumis*,

*Inprecor*, *Inproperatus*, *Inprovidus*, *Inproviso*, *Inpubis*, ubique sic per *n* scripta sunt in Mediceo. Et cum multo crebrius *Impellere*, quam *Impellere*, in eodem compareat, non est praetereundum, quod Aen. VIII, 239. legitur: „*Impulit: impulsu*“; nempe hoc nomen semel exstat in carminibus Vergilii. Nec leve praesidium huic rationi etiam inde paratum, quod, ubi esset in eiusmodi vocabuli prima parte, quod corrigeretur, *in* positum est, non *im*; quippe in retractandis iis, quae scripsimus, deposita perpetuae scriptionis festinatione, accuratius singula expendimus. Aen. XII, 357. *expresso* legitur in Mediceo; sed supra scriptum *in*, ut fieret id quod requiritur *inpresso*. Similiter Aen. X, 844., cum in Mediceo scriptum fuisset *mullo*, manus emendatrix *in* supra scripsit et *lt* in *nd* mutavit, ut existeret *inmundo*. Nec, quod in cod. Rom. Aen. X, 363. legitur *intulerat* pro *inpulerat*, fieri ex *impulerat* facile potuit. Sed persequor reliqua. *Inpar* legitur Ge. III, 532. IV, 245. Aen. X, 459. XII, 149. 216. (et in Vatic. Aen. I, 475.) *Inpedire* Aen. IX, 385. X, 553. XI, 21. *Impellere* Aen. I, 11. II, 465. IV, 594. XI, 278. XII, 856. Ge. II, 211. *Inpendere* Ge. I, 365. IV, 191. *Inpendere* Ge. II, 61. III, 74. *Inplere* Ecl. VI, 48. Aen. I, 215. 716. (etiam in Fragn. Sangall.) III, 526. VIII, 278. (denique in Vatic. Aen. IV, 30.); *Implicare* Aen. II, 552. IV, 148. XI, 632. 752. *Inplorare* Aen. X, 19. (et in Vatic. Aen. VII, 311.); *Inponere* Ge. II, 73. 540. IV, 173. Aen. IV, 418. V, 463. VI, 246. VII, 573. VIII, 188. et saepius; (tum Vatic. Ge. III, 173. Aen. IV, 497.) *Inportunus* Aen. XI, 305. XII, 864. *Inprimere* Aen. IV, 659. (ut in Vatic.), V, 536. X, 497. XII, 303. *Inprobus* Aen. II, 80. IV, 386. XI, 512. XII, 261. *Inprovisus* Aen. I, 595. II, 182. et reliquis locis; (etiam in Vatic. Aen. I, 195. II, 182. IX, 49.) *Inprudens* Ge. I, 373. Aen. IX, 386. *Inpune* Aen. III, 628. VI, 880. (ut in Vatic.), IX, 653. 784. XI, 134. Habes hic prope omnia litteris *inp* incipientia, quae quidem apud Vergilium leguntur. Ex paucis, quae restant, *impingere* est Aen. V, 805. et *implexae* Ge. IV, 482., quae non dubitabis quin ad ceterorum formam revocanda sint et ita scribenda: *inpingere*, *inplexae*. Difficilius est statuere de verbo *imperare*, quod, quoties scriptum est, *m* habet, non *n*; et *Imperium*, *Imperator*, haec ita per *m* scripta prope constanter exhibent Nummi et Inscriptiones, etiam Voll. Herculanens. P. II. Col. II. lin. 4. et Col. III. lin. 4. Apparet igitur mature in hoc verbo, utpote usu maxime trito, *n* in *m* transisse. Quare minime mirum videbitur, quod in cod. Mediceo eadem regnat ratio; sed certa germanae scripturae vestigia exstant Aen. VIII, 509., ubi est *inperium*, et Aen. XII, 719., ubi *inperitet*, frequentativum semel a Vergilio positum; quae ipsa res quam habeat vim, supra declaravimus. Restituemus igitur prope oblitteratas formas *inperare* et *inperium* ubique, quas etiam Ciceroni vindicat cod. palimpsestus libror. de

Rep. Restant *Impetus* et *Impius*; ex quibus etsi certe alterum *Inpius* ab ipso poeta exaratum credas, malui tamen, ne quid temere fecisse videar, utrumque ita, ut in Mediceo scriptum repperi, servare. *Impetus* etiam Voll. Hercul. P. II. Col. I. lin. 8. Ceterum *in.primis* (sic) Rom. Ecl. V, 69.

14. Multo rarius antiqua consuetudo servata est in verbis vocabulisque a litteris *comp* incipientibus; servatam his tantum locis reperies: *Conpages* Aen. II, 51. *Complere* Aen. IX, 39. XI, 140. (et in Rom. IX, 567.) *Complexus* Aen. VIII, 532. *Conpositus* Aen. XI, 599. *Comprensus* Aen. VI, 701. XI, 723. et in Vatic. VI, 626. Nec parvi est momenti, de qua re paulo ante diximus §. 13., quod, cum Aen. XI, 140. *replet* scriptum exstet in Mediceo, *con* supra appositum cernitur, ut fiat *conplet*. His exemplis refutandus K. L. Schneiderus, qui Grammat. Lat. Vol. I. P. I. p. 306. rationem solam secutus usum neglexit; adde, quae ab ipso afferuntur P. II. p. 544. Cetera, *Compellare*, quod ita scriptum ter etiam in Vaticano visitur, *Compellere*, *Compescere*, *Compin-gere*, *Comportare*, *Comprimere*, per *m* ubique exarata inveniuntur. Atque ex his quoque intelligitur, maturius immutari coeptum esse *Con*, quam *In*; cf. supra §. 10. 11. 12. extr.; unde factum videtur, ut consuetudo posteriore aetate per totum hoc genus dominans prope omnia ipsi contraria inverterit. Ac reputantes ex numero verborum ita compositorum nulla crebrius legi, quam *Complecti* et *Complexus*, *Complere* et *Componere*, quibus addere licet *Comprehendere*, et tamen vix plus, quam singula exempla antiquioris consuetudinis relicta esse, facile nobis persuadebimus, non haec solum, sed etiam cetera, exceptis fortasse, si qua sunt excipienda, verbis *Compellare* et *Compescere*, per *n* scripta fuisse a Vergilio. Tamen, ne calidius rem gessisse videar, in sex illis verbis, quae supra sunt proposita, *m* servavi.

15. *Inbellis* Mediceus ubique; consentit Rom., qui Ge. III, 265. habet *in.bellis*. Contra idem Mediceus semper *Imbuo*; et consultius fuerit huius codicis auctoritatem in hoc verbo sequi, cum compositionis rationem in eo mature obliti esse Romani videantur.

Venimus ad Praepositiones OB et SUB ante litteras *c, f, g, m, p, r, s, t*, in compositis collocatas.

16. *Ob* servatur ante *m*; Aen. VI, 155. *obmutuit*; et cum Aen. IV, 279. primo scriptum fuisset *ommutuit*, ut est eo loco in Rom., altera manus prius *m* transfixit et *b* supra scripsit. Idem dicendum de praepositione *Sub*. Et *submergere* ubique Mediceus, nisi quod Aen. V, 125. *sumersum* (sic) legitur, sed supra scripta *b*. *Submittere* exstat his locis: Ge. III, 159. Aen. XII, 832. Contra *summovere* in eodem, non *submovere*; sed quod pro *sub* *vomere* ter scriptum est *submovere*, Ge. II, 203. 356. III, 515.,

pro melioris scripturae testimonio esse debet. *Summotis* Rom. Ecl. VI, 38. In Vaticano cum quater omnino Verba, quibus praefixa est haec praepositio, a littera *m* incipientia deprehendantur, Ge. III, 159. Aen. III, 93. V, 125. VII, 226., ubique admissa est adsimilatio. Denique eadem praepositio in Mediceo integra servatur ante litteram *r* duobus locis, qui sola, quae exstant in carminibus Vergilii, habent huius compositionis exempla, *Subremigo* et *Subrigo*; nam *Surgo* facit *Surrexi*.

17. Iam quaeritur, num etiam *obc*, *subc*, *obf*, *subf*, *subg*, *obp*, *subp*, scribendum sit, an *occ*, *succ*, *off*, *suff*, *sugg*, *opp*, *supp*? Et *obfuit* quidem Medic. Ge. I, 374., ubi *offuit* Rom.; praeterea non legitur hoc Perfectum; sed in ceteris idem codex constanter praebet *off*. In reliquis, quae modo attuli, compositis ubique admissa est adsimilatio, nisi quod Aen. XI, 119. *subponite* scriptum est in Mediceo; sed id unum inter tot contraria pro regula sequi nolim cuiquam suadere. Itaque satis habeo, tenuia quaedam asperioris formae, quae collegi, exempla subiungere. *Subcinctam* Rom. Ecl. VI, 75. *Subcumbere* Vatic. Aen. IV, 19. *Subfosso* Alburg. Aen. IX, 671. *Subsecti* affertur e duobus codd. ab Iaeckio Aen. II, 110.; item ex uno *Subgeritur* Aen. VII, 463. Singularia in suo genere sunt *Substantant*, quod habet Palat. Aen. XII, 662., et *suppedibus*, quod est in Vatic. Aen. VI, 256.

18. Denique dicendum est de iisdem Praepositionibus, quibus adiungimus Praepositionem *Ab*, ante litteras *s* et *t* collocatis. Littera *b* in iis vocabulis verbisque, quibus Praepositiones *Ab*, *Ob* et *Sub* praefixae sunt, cum succedit vel *s* vel *t* littera, ut propius ad sonum tenuis *p* accedebat, sic etiam in hanc ipsam non raro conversa est. Quintil. Inst. Orat. I, 7, 7.: „Quaeri solet, in scribendo praepositiones sonum, quem iunctae efficiunt, an, quem separatae, observare conveniat; ut cum dico *obtinuit*; secundam enim *b* litteram ratio poscit, aures magis audiunt *p*; et *immunis*; illud enim, quod veritas exigit, sequentis syllabae sono victum *m* gemina commutatur.“ Glossae Placidi p. 487.: „Nuptiae quamquam a nubendo dicantur, scribuntur per *p*, quia *p* littera mitior.“ His compara, quae leguntur apud Quintilianum XII, 10, 32.: „Quid, quod syllabae nostrae in *b* litteram et *d* innituntur adeo aspere, ut plerique non antiquissimorum quidem, sed tamen veterum molire tentaverint.“ Et *aps*, *apt*, *ops*, *opt*, pro *abs*, *abt*, *obs*, *obt*, fuisse qui scriberent, et Nummi et Marmora et libri mss. testantur. De libris mss., nam de his solis hic agam, vid. praeter alios Niebuhr. ad Cic. Orationum pro Fonteio et Rabirio Fragmm. pag. 110. A. Mai. Conspect. Orthographiae ad calcem libror. de Rep. p. 624. edit. Moser. adde Pontederæ Ep. I. p. 335. apud Schneid. Satis antiquam fuisse hanc rationem docet nobile illud,

brevisimum quidem, sed idem antiquissimum Fragmentum carminis epici Herculani repertum, in Part. II. Voluminum Herculaneis. editum. Ibi Col. I. *opsessis* et Col. VIII. *opsidione* est scriptum. In Mediceo haec inveni: *opstipui* Aen. II, 560. III, 48. 298. *opstipuit* Aen. I, 613. II, 378. *opstipuer* Ge. IV, 351., *opser-vans* Ge. IV, 513., *opsuitur* Ge. IV, 301., *optendere* Aen. X, 82., *optestemur* Aen. XI, 358., *optulerat* Aen. II, 61. cum Rom., *optusis* Ge. I, 433., *optutu* Aen. I, 495. cum Rom., adversante ibi Vaticano, et VII, 250. cum Vaticano, *apsens* Aen. IX, 361., denique *supter* Ecl. X, 4., alias *subter*, ut etiam Vatic. Ge. III, 298. Aen. IX, 514. Praeterea Rom. *optat* pro *obstat* Aen. VI, 438., sed idem *obstabis* pro *optubis* Aen. X, 57. In Vatic. apud Bottar. legitur *optulit* Aen. VIII, 611.; sed illud *optulit* Mediceo vindicavit nunc Ang. Maius, qui eam paginam ex Mediceo in cod. Vatic. translata esse vidit. Denique *optunsior* est in versu Vergiliano, quem affert Pompeius Comment. in librum Donati de Barbarismis VI, 7. p. 472. *Sub* ubique retinet in Mediceo mediam; quamquam Schneider. Gr. Lat. Vol. I. P. I. p. 220. quaedam mutatae in ea quoque voce mediae exempla protulit; nec plane praetereundum, quod Aen. VI, 414. pro *sutilis* in Rom. legitur *suptilis*. Atque hac in re magis fortasse audiendus est usus, quam ratio et analogia; quamquam haud scio, an etiam usus suam habuerit quandam rationem, quam indicare fortasse liceret, si de vario eiusdem consonae (*b*) pronuntiandae modo constaret; quae cum fere idem sonuisse in plerisque vocibus videatur, quod *ν*, (vid. infra litt. PS.) in aliis, maxime vero, id quod et Quintilianus quodammodo probat et multo apertius numerus exemplorum, in Praepositione *ob* asperius elatam esse coniicias. Contemplantibus autem nobis exempla supra proposita probabile videbitur, duriorum fuisse huius Praepositionis sonum in Verbis et in iis Nominibus, quae a Verbis originem habent; molliorem in ceteris; nam *obscenus* et *obscurus* etsi crebro usurpantur, tamen nullum in his reperitur vestigium tenuis *p*. Ac fortasse ne in Verbis quidem omnibus durius pronuntiabatur. Sed cum in cetera copia vix singula in Verbis singulis positae tenuis exempla reperiuntur, non potuit casu evenire, ut ea in Verbo *obstipescere* sexies compareat; adde, quod, cum Aen. I, 513. *obstipuit* in Mediceo legatur, *opstipuit* in Fragm. Vatic. exstat. Itaque cetera quidem, ne quid temere novasse videar, reliqui intacta, *opstipui* tamen et *optutu*, quod, cum ter omnino apud Vergilium legatur, bis in uno Mediceo per *p* scribitur, quasi postliminio restituere non dubitavi.

ADSIMULARE et ADSIMILARE. vid. V. L. ad Aen. XII, 224.

ADSPARGERE. vid. litt. A.

AENEIS, AENEIDOS. vid. GENITIVUS §. 3. lis autem,

quae scripsi ad Aen. IX, 653., nunc adde, quae scripsit Th. Fr. Freytagius ad Hom. Il. I. p. 4.

AENUS, AHENUS. vid. litteram H.

AEQUIPARO. *Aequiperas* „in vetustioribus“ (quibus?) ait Heinsius, scriptum Ecl. V, 48.; sic ibi Servius Dresd.; eodem modo in vetere Epigrammate apud Ciceron. Tuscul. V, 17. editur. Parum aut nihil conficitur iis, quae scripta sunt a Dansquio Orthograph. P. II. p. 20. ab Oudendorp. ad Sueton. Neron. c. 53. ab Arntzen. ad Panegy. vett. IX. c. 4. pag. 554. et ab ipso Heinsio ad Vergil. l. l. Plerisque locis critici non satis dignam habuerunt hanc lectionis varietatem, quam curarent. Itaque factum est, ut nondum certi quidquam de ea re statuere liceat. Cod. Gud. Arusiani apud Lindem. Vol. I. p. 214., etsi praescriptum est *aequipero*, in ipso tamen exemplo ex Ecloga supra laud. petito exhibet *aequiparas*. Vossius quidem *aequiperes* recepit, quia sit antiquior haec forma. Equidem *aequiparas* ut antiquius retinui; est enim necesse antiquiorem formam esse primitivam, inflexam recentiorem. Nunc ex schedis Schulzianis comperi *aequiparas* esse in Rom. Is, ut antiquissimus testis, utique sequendus.

AESCULUS, ita cum diphthongo, probat etiam Servius ad Ge. II, 290. et vid. Doederlin. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. VI. p. 11.

AETHERIUS constanter Mediceus, non AETHEREUS. vid. V. L. ad Aen. I, 201. Iniuria tuetur alterum Drakenb. ad Silium V, 73.

AFUI, AFORE, non ABFUI, ABFORE. vid. V. L. ad Aen. VII, 498. cfr. Cic. Orat. 47. s. 158. et Gell. N. A. XV, 3.

ALAESUS. vid. HALAESUS.

ALARE. vid. HALARE.

ALCYONES, non HALCYONES. vid. V. L. ad Ge. I, 399.

ALIQUID, ALIQUIT. vid. litt. D.

ALLECTO, non ALECTO, ubique Medicus, etiam, ut videtur, Rom.; in hoc quidem certum est geminata / hoc nomen scriptum esse Aen. X, 41. et VII, 324., ubi Bottarius: „Sic alibi.“ item in binis versibus, quibus in Vatic. exstat, VII, 324. 445.

ALLIA Aen. VII, 717., ubi vid. V. L. Servius metri causa Vergilium ait geminasse litteram / in hoc nomine. Et *παρά τὸν*

'*Ἄλλαν ποταμὸν* est apud Plutarchum. Sed in Romanorum scriptorum codicibus fere exhibetur *Allia*, *Alliensis*, item in Cenotaphio Pisano teste Norisio Dissert. IV. p. 481., a quo Servius refutatur. Vid. etiam Duker. ad Flor. I, 13. Simplicem consonam tuetur Zumpt. ad Cic. Divinat. in Caecil. c. XV, 48.

ALLIUM. *Alium*, non *Allium*, scribendum praecipit Probus A. Gr. p. 1435. Et *alia* Pierius Ecl. II, 11. in quibusdam libris, scriptis an impressis? invenit. Res amplianda; interim consultius erit sequi consuetudinem. — Haec dudum scripseram, cum ad me perfertur collatio cod. Rom. a Schulzio meo instituta, unde didici, Ecl. II, 11. (praeterea enim non legitur hoc voc. apud Vergil.) in Rom. esse *Alia* simplici consona. Sic etiam Thuan. II. Moret. vs. 88., ubi *Alea* duo alii. Itaque extrivi alterum /. Cf. etiam Oudendorp. ad Sueton. Vespas. c. 8.

ALVUS an i. q. ALVEUS? vid. Quaest. Virgil. XVI, 4.

AMBESSUS. vid. litt. S. §. 2.

AMENTUM. Semel hoc vocabulum legitur apud Vergilium, Aen. IX, 665. Verius puto *ammentum*, geminata *m*, ut ibi exstat in Medic., quod confirmare quodammodo videtur Romanus, in quo est *armentum*. Et sic scripsisse veteres probat fortasse Festus p. 25., qui hoc vocabulum a Graeco *ἄμμα* ortum tradit; etsi ipsum *amentum* scripsisse locus videtur docere et ordo elementorum.

AMFRACTUS, ANFRACTUS. vid. V. L. ad Aen. XI, 522.

AMMON, HAMMON. vid. V. L. ad Aen. IV, 198. Drakenb. ad Silium I, 39. Oudendorp. ad Lucan. III, 292.

AMURCA. Scripsi *amurga* Mediceum secutus; vid. V. L. ad Ge. I, 194. adde Oudendorp. ad Appulei. Met. pag. 272. Lindemann. Grammat. Latt. Vol. I. p. 124. not. 1.

ANCHISĀ, ANCHISE, Vocativus. vid. V. L. ad Aen. III, 475.

ANCORA, ANCHORA. vid. V. L. ad Aen. VI, 902. et *ancora* Medic. etiam Aen. VI, 4. vid. Schneider. ad Caes. B. G. III, 15, 5.

ANHELARE, ANHELUS, ANHELITUS. vid. V. L. ad Ge. III, 497.

ANTEMNA, ANTENNA. vid. V. L. ad Aen. III, 549. Doederlin. Lat. Synonymen u. Etymolog. Vol. V. p. 94. Vol. VI. p. 21.

APOSTROPHUS. vid. litt. *N.* §. 9.

APPENNINUS, APENNINUS. vid. V. L. ad Aen. XI, 700. XII, 703.

APPULEIUS, Luc. Caecil. Minuc., vid. VERGILIUS.

APUD, APUT. vid. litt. *D.* §. 3. 8.

ARABS, ARAPS. vid. litt. *P.* §. 2.

ARBOS, non ARBOR. vid. V. L. ad Ecl. III, 56. Ge. II, 150.

ARCESSO, ACCERSO. vid. V. L. ad Aen. V, 746. Schmid. ad Horat. Ep. I, 5, 6. II, 1, 228. Klotz. ad Cic. Tusc. IV, 1, 3. adde, qui aliter, ac vulgo fieri solet, de ea re statuunt, Doederlin. *Synonym.* Vol. III. p. 281. sq. Kritz. ad Sallust. Cat. 40, 6., quem equidem malim ex paucis codd. *arcessere*, quam ex multis *accersere* Sallustio restituisse. Incredibile est enim, quam inimici fuerint librarii formae *arcessere*. Scripsit de hoc verbo in Programmata 1839. edito R. Stuerenburg, qui (ut refert H. Harless in *Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft* 1840. fasc. VIII. no. 97. p. 799.) utramque huius verbi formam a Romanis usurpatam esse ait, sed ita, ut non idem utramque significasse statuatur, veteres Grammaticos secutus, quibus ad stipulatur Kritz. ad Sallust. Iug. 32, 1. Dissentit a Stuerenburgio Ellendt. ad Cic. de Orat. II, 27, 117. Non negligendae in hoc verbo veteres glossae; vid. Casaub. ad Sueton. Iul. c. 2. Apud Caesarem codicum auctoritate motus ubique *arcessere* edidit Oudendorp.; vid. ei. not. ad B. G. I, 31. Ex paucis, sed optimis libris affertur *arcessere*, teste Zumptio, Cic. Verr. I. IV, 39, 85., cum Lagomarsinii praeter unum omnes *accersere* tueantur, quare nolim ex Lagomarsiniis *arcessere* arcessivisse Ellenditium apud Cic. I. I.

ARCUS, ARQUI. vid. LITT. SIBI INSID. §. 9.

ARENA. vid. HARENA.

ARISTA. Legitur etiam *harista*, sed a m. pr., in Mediceo, vid. V. L. ad Aen. VII, 809. Nempe videntur librarii propter primae syllabae similitudinem *arista* cum *arena*, *harena*, confudisse; et *harena* aliquoties pro *arista* in libris mss. reperiri, docet Burmann. I. I.

ARRUNS, non ARUNS. vid. V. L. ad Aen. XI, 759. Confirmatur ea res etiam *Arruntii* nomine, de quo praeter alios vid. Kritz. ad Vellei. II, 77, 3.

ARTUS, non ARCTUS. vid. V. L. ad Aen. I, 293. Priscian. VI, 15, 77. adde quos laudant Cellar. et Harles. *Orthographiae* pag. 180. Schmid. ad Horat. Ep. I, 5, 29.

ARUNDO, vid. HARUNDO.

VERGIL. TOM. V.



ARUSPEX. vid. HARUSPEX.

ASBYTES, non ASBUTES. vid. litt. Y. §. 2.

ASILAS, non ASYLAS. vid. litt. Y. §. 2.

ASTYR, non ASTUR. vid. litt. Y. §. 2.

AT et AD. vid. litt. D. §. 4.

ATIUS, non ATTIUS. vid. V. L. ad Aen. V, 568. Ellendt. ad Cic. de Orat. Vol. I. p. 453.

ATLAS, ATLANS. vid. litt. N.

ATTRACTARE. vid. V. L. ad Ge. III, 57. et supra litteram A.

AUD, AUT, pro HAUD, HAUT. vid. litt. D. §. 1. extr.

AUTUMNUS. Quid iam dicent illi, qui certissimis argumentis evincere se posse sibi persuadent, *auctumnus*, sic adiecta *c*, scribi oportere, cum resciverint in illo venerando veteris orthographiae Latinae monumento, codicem Mediceum dico, eadem constantia, qua *auctor* ubique exhibetur, eadem, inquam, constantia *autumnus* sine *o* exarari? vid. Torrent. ad Horat. Od. II, 14, 15. et IV, 7, 11., cui prudenter obtemperavit Bentleius, Kreyssig. ad Sallust. Histor. l. III. Fragmm. Part. II. p. 6. et 45. De *auctor* lege, si tibi videbitur, quae scripsit Beier. ad Cic. Oratt. Fragmm. p. 244. sq.

BACA, simplici *c*, non BACCA, ubique legitur in Mediceo, ut etiam *bacatum* Aen. I, 655. Et cum Ge. II, 519. *bacca* scriptum esset, altera *c* et transfixa est et puncto notata, tamquam quae exulare debeat. Consentit cum Mediceo Romanus et (Aen. I, 655.) Vatic.; vulgarem rationem tuetur, ut solet, Palatinus.

BACCHARIS, BACCARIS, Graecis et *βάρχαρις* et *βάρχαρις* dicta; vid. notata ad Hesych. T. I. p. 680. A Bacchi nomine tractum esse hoc vocabulum licebit fortasse ex eo colligere, quod salubris erat baccharis ad crapulam edormiendam; vid. Plutarch. Sympos. l. III. pag. 641. cd. Francof. Et *baccharis* ut plurimum apud Romanos scriptores exaratum inveni; sic ipse Mediceus Ecl. VII, 27.; quare hanc formam restituendam putavi.

BELUA, non BELLUA, Medic. et Rom. Aen. VI, 287.; recte, etsi a bello quibusdam dicta videtur; vid. MILLE.

BERECYNTIUS, non BERECYNTHIUS. vid. V. L. ad Aen. VI, 785.

BIPINNIS, vid. PINNA.

**BOVOM** scribe, non **BOUM**, cfr. V. L. ad Ge. III, 419. Aen. II, 306. Et plane ita *bovom* scriptum est in Vatic. Ge. III, 211., nisi quod altera *o* expuncta est; *bovom* idem Aen. II, 306.

**BRACCHIA**, geminata *c*, ubique Mediceus, nisi quod Aen. IX, 623. incuria relictum a Foggino videtur *brachia*; et Ge. I, 202. altera *c* puncto notatur. Consentiant cum Mediceo Vaticanus (Ge. IV, 174. Aen. V, 136. VI, 700. i. e. quoties id vocabulum in eo codice legitur), Romanus et Fragg. Sangall. Nempe factum est *brachium* e Graeco *βραχίον*, quod primam brevem habere constat, sicut in omni vocabulo Graeco *α* ante *χ*, praeterquam in iis, quae *η* in *α* converterunt, ut *πραχῦς*, breve est. Ut igitur *brachium* primam produceret, (et videtur etiam in soluta oratione vulgo producta fuisse) factum est geminata consona, i. e. tenui *c* praeposita aspiratae *ch*.

**BUCINA**, non **BUCCINA**, Medic. et Aen. VII, 519. et XI, 475.; bis enim omnino legitur; altero quidem loco *bucina* etiam e Rom. affertur a Bottario. Vid. Drakenb. ad Liv. VII, 35, 1. Waas. et Oudendorp. ad Frontin. I, 5, 17.

**CAEDRUS** scripsi Medicei auctoritatem secutus, non *cedrus*, vid. V. L. ad Ge. III, 414., ut *caestus*, de quo paulo post dicitur, etsi haec nomina *s* habent apud Graecos. *Cedrum* in Vatic. apud Bottar. exstat Aen. VII, 13. Glossae Placidi p. 441.: „*Caedrus* cum *a* scribi oportet.“

**CAELUM**, **COELUM**. Mediceus cum optimis libris Vatic. Rom., etiam Fragg. Sangall., *Caelum*, non *Coelum*, constanter exhibet; nec est dubium, quin ita scribendum sit. Varro de L. L. V, 3. (8.) „*Caelum* dictum scribit Aelius, quod est *caelatum*“ cet. eum locum qui totum perlegerit, facile sibi persuadebit ne nosse quidem Varronem aliam huius nominis formam. Cic. Verr. II, 52, 129.: „Quae iste cum cognosset novus astrologus, qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti duceret“ cet. Rectene an secus origo huius vocabuli a verbo caelandi repetatur, hic non disputo; vid. Heusinger. Obs. antibarb. p. 330.; illud tamen intelligendum est Varronem et Ciceronem *caelum* scripsisse, non *coelum*. Quod autem *Coelius* ad Cic. Verr. IV, 17. et V, 70. Zumptius et propter libros mss. et propter nummos scribendum esse ait, distinguenda est duplex gens et *Caelia* et *Coelia*; vid. Morell. Thesaur. Vol. II. pag. 103. Niebuhr. *Römische Geschichte* Vol. I. not. 926. Repudiaverunt *caelum* nuper Beier. ad Cic. Oratt. Fraggm. p. 245. Handius *Lehrb. d. lat. Stils* I. II. c. 1. §. 6. immerito.

**CAENUM**, non **COENUM**, Medic. Ge. IV, 49. et Aen. VI, 296., item Roman.; quod reduxi. Vid. Cellar. Orthograph. p. 195.

ed. Harles. Volunt hoc vocabulum a verbo *cunire* esse factum; potius erat dicendum *cunire* natum esse ex *coenum*; *oe* enim in *u*, non *u* in *oe* mutari solebat. Festus: „*Cunire* est stercus facere.“ At *coenum* proprie non est stercus; nec quod addit Festus: „unde et *inquinare*,“ hoc significat: *cunire* eandem etiam vim habere, quam *inquino*, sed factum inde esse *inquino*. Itaque suspicari licet verbi *cunire* primam syllabam fuisse correptam. Quare nolim pro certo affirmare *cunire* ortum esse ex vocabulo *coenum*. Atque ut cognata haec statuamus, usus certe obtinere potuit, ut *caenum* scriberetur, simili quodam modo, ut *maereo*, quod fit a *μύρομαι*, aut ut *faenum* pro *feno* dixerunt veteres, ut Varro testatur; vid. etiam SCAENA.

CAESPES, CESPES. Festus p. 76. *caespitem* a caedendo dictum videtur putare. Glossae Placidi p. 445.: „*Caespites* — et diphthongum scribimus.“ Et diphthongum habet in eo voc. Medic. Ge. IV, 273., tum Vatic. Aen. III, 304. Rom. Ecl. I, 69. Praeterea cum Aen. XI, 566. in Mediceo *cespitem* exaratum esset, supra scripta est *a* littera.

CAESTUS, quo utuntur pugiles, scribitur in Mediceo praeter unum locum, Aen. V, 420., ubi tamen *a* supra scripta; *cestu* supra adiecta *a* etiam Vatic. Vid. Heyn. ad Aen. V, 379. Servius ad Aen. V, 69.: „*Caestus* per diphthongum pugilum arma significat; *cestus* balteum Veneris.“ Festum quoque *caestus* scripsisse, apertum est.

CALVUS poeta. vid. VERGILIUS.

CAMARINA, CAMERINA. vid. V. L. ad Aen. III, 701.

CAMURUS, CAMYRUS. vid. litt. Y. §. 3.

CASSANDRA. vid. litt. S. §. 1.

CASSUS, CASUS, et CASSURUS. vid. litt. S. §. 2.

CATILLUS, CATTILLUS. vid. V. L. ad Aen. VII, 672.

CATULLUS. vid. LITTERAE SIBI INSIDENTES §. 6. et voc. *Holus*.

CAUCASIUS, ut est in Rom. Ecl. VI, 42., non CAUCASEUS. vid. V. L. ad Aen. I, 201.

CAUSA, CAUSSA. vid. litt. S.

CELEMNA pro CELENNA nunc edidi Aen. VII, 739.

CEREALIS ubique, i. e. quater, in Mediceo, nisi quod Ge. II, 517. primo *Cerialis* fuerat, mutata deinde *i* in *e*.

CETERA Mediceus cum Vaticano, non CAETERA, vid. V. L. ad Ge. III, 3. Aen. XII, 606., Hand. Tursell. Vol. II. p. 31. sq., Fr. Haas. nota Reisigii *Vorlesungen üb. lat. Sprachwissenschaft.* inserta pag. 185. Spretam nunc, quae olim vera habebatur, originationem huius vocabuli nova ratione defendit Beier. ad Cic. Oratt. Fragmm. p. XLIII. not.

CETRA scripsi, non CAETRA, Aen. VII, 732., Mediceum secutus, cuius auctoritatem in re dubia pluris aestimandam putavi, quam recentiorum quorundam librorum testimonia; vid. ibi Heyn. adde Oudendorp. ad Sueton. Calig. c. 19.; quamquam non is sum, qui plane reiectam velim alteram huius vocabuli formam, satis illam quidem defensam verbis Hesychii: *καίτραι ὄπλα Ἰβηρικά.* vid. Doederlin. *Synonymen u. Etymolog.* Vol. VI. p. 61. Sed fuisse inter Latinos, qui *cetra* scriberent, fortasse etiam probat, quod in quibusdam libris mss. legitur *citra*. Ab Hebraeis hanc vocem repetit Vossius ad Caes. B. G. I, 1.

CH. Servius ad Ge. III, 223.: „Tria, inquit, habebant (maiores) nomina, in quibus *c* litteram sequeretur adspiratio: *sepulchrum*, *orchus*, *pulcher*: e quibus *pulcher* tantum hodie recipit adspirationem.“ Vid. C. L. Schneider. Gr. Lat. Vol. I. pag. 205. sqq. Antiquiore aetate Romanos adspiratione in his usos non esse satis constat; quae cum Ciceronis tempore quibusdam vocabulis suavioris soni causa addi coepta esset, vid. Cic. Orat. c. 48., posteriore aetate iisdem, certe ex parte, detracta est, id quod praeter alios Servius l. l. et Gell. N. A. II, 3. docent. Quae cum ita sint, non mirabimur, si quandam, at levem, inconstantiam in optimo Mediceo deprehendamus, ut, cum Ecl. VII, 65. *pulcerrima* et Aen. IV, 432. *pulcro*, hic tamen supra scripta *h*, exaratum inveniamus, reliquis locis omnibus retentam videmus adspirationem. *Pulcher* ubique Vatic. Cicero cum *sepulchrum* servasset, vid. locc. laudd., Vergilius *sepulchrum* videtur scripsisse, quod et Servii verba probant, et confirmat Mediceus, qui ubique hoc exhibet, si discesseris ab Ecl. IX, 59. Aen. VI, 152.; et Aen. VI, 177. puncto notata est *h*, quod idem factum in Vatic. Aen. IV, 29., qui reliquis quoque duobus locis, quibus hoc voc. exstat in hoc codice, tuetur adspirationem; *sepulchro* etiam Rom. Aen. VI, 152., ubi Bottarius: „Sic alibi,“ puta in eodem cod. Contra *simulacrum* et *lacrima* nusquam in Mediceo adspirationem habet, nec in Vaticano; *simulachra* tamen exstat in Rom. Aen. V, 585. et teste ibi Bottario aliis quoque locis in eodem codice.

CICERO. vid. EST. NEC. IMMO.

CIRCUM in compositis ante *d*. vid. Litt. *M*.

CLYPEUS, non CLUPEUS aut CLYPEUS. vid. litt. Y. §. 3. extr.

CLOANTHUS, non CLOANTUS. vid. V. L. ad Aen. I, 222.

CLUSAE Vatic. Aen. VI, 734.

COMTUS, COMPTUS, et similia, vid. litt. P.

CON... vid. ADSIMILATIO §. 10. sqq.

CONDICIO, non CONDITIO, vid. V. L. ad Aen. I, 236.; sic etiam nummi ac lapides. Consentit cod. Roman. Erudite vulgarem formam *ditione* et *conditio* defendit H. Harlesius in *Zeitschrift f. d. Alterthumswissensch.* 1840. fasc. V. no. 65. p. 529. sqq. Et cederem fortasse eius sententiae, si de originatione horum vocabulorum satis constaret, quae etiam fuit qui Graeca stirpe oriunda et cum *δλκν* cognata esse diceret.

CONEXUS, CONIXUS, CONUBIUM. vid. litt. N. §. 3.

CONIUX est Palatini scriptura; *coniunx*, ut iam ab Heynio editum est, probatum idem veteribus quibusdam Grammaticis confirmatumque Voll. Herculanens. P. II. Col. IV. lin. 4., longe plurimis locis tuetur Mediceus, consentiente Vaticano; *coniux* in Mediceo legitur Aen. I, 47. VI, 473. 523. 764. et Ge. IV, 465., sed hic quidem *n* supra addita. Nec existimandum, utrumque, sed cum quodam discrimine, scriptum a Vergilio, ut *Natus* et *Gnatus*.

CONTEMPNUNT Ge. IV, 104. in Vatic. apud Bottar. Praeterea nullum huius rationis vestigium inveni in vetustissimis libris mss. Vergilii. *Contempnere* Lips. uterque Aen. III, 77. et alibi.

COORTUS, COHORTUS. vid. litt. H. §. 3.

CORYLUS, non CORULUS. vid. litt. Y. §. 3.

CREBRESCERE, non CREBESCERE. vid. V. L. ad Ge. I, 359. Oudend. ad Caes. B. C. III, 26. et ad Sueton. Caes. c. 79. Zumpt. ad Cic. Divinat. in Caecil. c. IV, 13.

CRESSA, sed CRESIA. vid. V. L. ad Aen. V, 285.

CUM, QUUM. vid. LITTERAE SIBI INSIDENTES §. 7. 8.

CUMBA, non CYMBA. vid. litt. Y. §. 3.

CUPRESSUS, non CYPRESSUS. vid. litt. Y. §. 3.

CX. *Extincti* Medic. a m. sec. Aen. IV, 682., *prospecxit*

idem a m. pr. Aen. XII, 353., *micto*, sic, idem XII, 667., *respecxit* idem Ge. IV, 491. et a m. pr. XII, 671., *cincxere* Fragm. Sangall. Aen. I, 398. vid. etiam Schneider. l. I, p. 374.

CYBELE et CYBEBE, non CYBELLE. vid. V. L. ad Aen. III, 111.

CYCLOPIA, CYCLOPEA. vid. V. L. ad Aen. I, 201. Heins. ad Silium XIV, 33.

CYCNUM, non CYGNUS. vid. V. L. ad Ecl. VII, 38.

CYMAEUS, non CUMAEUS. vid. litt. Y. §. 2. extr.

*D* et *T*. In Mediceo modo HAUD, SED, APUD, AD, scribitur, modo HAUT, SET, APUT, AT.

1. Egit nuper de hac causa, sed ita, ut fere in commemorandis exemplis eius disputatio consisteret, Freundius ad Cic. Orat. pro Mil. p. 8. sqq. Quod Marius Victorinus p. 2462. docet ante vocales scribendum esse *haud*, ante consonas *haut*, ipsius esse inventum videtur. Nam cum in Mediceo legatur *Haud aliter* Aen. IX, 65. 797. X, 360. XI, 757., pro eo *Haut aliter* exstat Aen. IV, 256. IX, 554. X, 714. et *haut alio* V, 592. X, 456., *haut aliter* etiam Aen. I, 399. a m. pr. scriptum fuerat. *Haud equidem* Ge. I, 415. (ubi *Haut* Roman.) Aen. I, 335. V, 399. VII, 311.; contra *Haut equidem* Aen. V, 56. *Haud unus, ullus, umquam* Ge. II, 83. 249. Aen. XI, 441. (ubi *aut* Rom.) XII, 649. (ubi *haut* Rom.) 782.; *Haut unus, ullus, umquam* Ge. II, 133. III, 357. Aen. VI, 239. Porro *Haud ignarus, ignotus* Aen. X, 247. XI, 154.; at *Haut ignarus, ignotus* Aen. II, 91. IV, 508. 618. V, 284. *Haud mora* Ge. IV, 548. Aen. VII, 156. XI, 713.; *Haut mora* Aen. III, 207., ut etiam in Fragg. Sangall., 548. V, 140. 749. VI, 177. *Haud mollis* Aen. III, 41. XI, 728.; *Haut mollis* Aen. IX, 804. XI, 452. XII, 25. *Haud secus* Aen. VIII, 414. XI, 456. 814. XII, 9. 124.; *Haut secus* Aen. II, 382. III, 236. IV, 447. Reliqua persequar secundum litterarum ordinem:

*Haud animo* A. VIII, 370.  
*credo* A. I, 387. (*haut*  
 Fragg. Sangall.)  
*debile* A. XII, 50.  
*dubiam* A. II, 359.  
*dubitat* G. II, 29.  
*expers* A. X, 752.  
*incerta* A. VIII, 49.  
*ita* A. XI, 396.  
*iustus* A. X, 95.  
*Ligurum* A. XI, 701.  
*Mesentius* A. VII, 654.  
*minus* A. XI, 755.

*Haut ante* A. VI, 343.  
*aspernanda* A. XI, 106.  
*correpta* A. XI, 584.  
*deiectus* A. X, 858.  
*facilem* G. I, 122. (etiam  
 Rom.)  
*fit* A. X, 153.  
*impune* A. III, 628.  
*indiga* G. II, 428.  
*laeta* A. XI, 238.  
*leve* A. XI, 688.  
*licitum* A. X, 106.  
*minus* A. III, 561. XII, 481.

*Haud* nescia A. IX, 552.  
 numine A. II, 396.  
 pater A. VII, 558.  
 procul A. VIII, 478. 642.  
 quaquam G. IV, 455. A.  
 XII, 45.  
 sibi A. IX, 154.  
 talia A. X, 599.  
 tamen A. X, 276.  
 tarda G. II, 52.  
 vatum A. VIII, 627. (Medic. ap. Bottar.)

*Haut* multa A. III, 610.  
 obscura G. I, 229.  
 partem A. X, 128.  
 pertulit A. X, 786.  
 placitura A. XII, 76.  
 procul A. VIII, 603.  
 segnis A. III, 513. XI, 64.  
 setius A. VII, 781.  
 tamen A. X, 437.  
 temere A. IX, 375.  
 tenuit A. V, 332.  
 tibi A. I, 327. (etiam Rom. „Sic alibi,“ ait Bottar.)  
 timidus A. VI, 263.  
 tulit A. X, 578.  
 vincolo A. VII, 203. (ubi halit Rom.)

Nec raro aut pro *haut* in Mediceo legitur: Ge. II, 124. 265. (ubi aut etiam in Rom.), A. III, 214. (ubi *haut* Fragn. Sangall.), IV, 149. V, 284. 462. X, 494. 663. 732. 735. 737. 907. XI, 688. XII, 25. 227. 506., quibus quidem locis omnibus supra scripta est *h*, praeter Ge. II, 124. et A. X, 732. Semel, Aen. I, 387., invenitur *aud*, item supra appicta adspirationis littera. Aen. I, 672. incertum est, *aud* an aut principio scriptum fuerit; Rom. eo loco aut habet. At ibid. vs. 335., ubi *aud* expressum est, aut prius scriptum fuisse refert Fogginius.

2. Eadem varietas deprehenditur in particula *Sed*. Ac *Sed neque* scriptum in Mediceo Ge. II, 136. Aen. III, 242. XII, 903.; *Set neque* Ge. II, 103. *Sed non* Ecl. IX, 34. Ge. III, 209. Aen. V, 680. VII, 756. IX, 328. X, 302. 343. 584. XI, 32.; *Set non* Aen. III, 255. VI, 86. 140. VII, 736. X, 201. XI, 380. *Sed tamen* Ecl. IX, 55. Ge. I, 79. 305.; *Set tamen* Aen. III, 541. *Sed enim* Aen. I, 19. II, 164.; *Set enim* Aen. V, 395. VI, 26. Reliqua haec sunt:

*Sed* ante G. IV, 351.  
 cadat A. IV, 620.  
 caeca A. V, 164.  
 carmina E. IX, 11.  
 celerare A. IX, 378.  
 circum G. IV, 193.  
 comes A. VI, 538.  
 dicere A. XI, 345.

*Set* alter G. III, 224.  
 amoena A. V, 734.  
 amore A. V, 5.  
 argutos E. IX, 36.  
 aurae A. IX, 312.  
 bello A. V, 754. X, 411.  
 Buten A. XI, 691.  
 cape A. VI, 377.

*Sed dubius* G. II, 283.

*duris* A. IV, 366.

*falsa* A. VI, 897.

*ferro* A. VII, 525.

*finem* A. V, 463.

*flammis* A. XII, 811.

*fluctu* A. VIII, 672. (hic et  
pro *set* Rom.)

*fore* A. IV, 229.

*fortibus* A. X, 735.

*frater* A. X, 576.

*frigida* A. XI, 338.

*fugite* A. III, 639.

*furor* A. IX, 760.

*glomerare* A. II, 315.

*gnato* A. XI, 181.

*graviter* A. II, 288.

*haec* A. XI, 309.

*iaculis* A. X, 713.

*illos* G. I, 225.

*in* G. IV, 274.

*infelix* A. XI, 175.

*inter* A. XI, 816.

*iura* A. II, 541.

*laeta* G. II, 48.

*Latagum* A. X, 698.

*laxos* A. XI, 874.

*limine* A. XI, 881.

*linguam* A. X, 856.

*magnum* A. IX, 346. 705.

*manus* A. IX, 801.

*mare* A. X, 292.

*me* A. II, 788.

*mea* A. VIII, 131.

*mihi* A. VIII, 508

*motos* A. I, 135.

*nos* G. II, 541. A. VII, 239.

*nunc* A. IV, 345. XI, 509.

*pellere* A. IX, 519.

*pondere* A. V, 153.

*postquam* A. XI, 631.

*proelia* A. VII, 806.

*quid* A. II, 101.

*quis* A. IV, 98.

*rami* A. VIII, 318.

*rapit* A. X, 308.

*regna* A. I, 346.

*Set castra* A. IX, 57.

*certior* A. X, 510.

*circum* A. VII, 104.

*coram* A. III, 173.

• *cruda* A. VI, 304.

*cunctis* A. VIII, 162.

*dedita* A. XI, 63.

*famam* A. X, 468.

*fatis* A. IV, 110.

*fines* A. I, 339.

*fortuna* A. VII, 413.

*frons* A. VI, 863.

*frumenta* G. III, 176.

*frustra* G. III, 373.

*fugit* G. III, 284.

*gravidæ* G. II, 143.

*gurgite* A. VII, 704.; prius  
fuerat *sed*.

*haec* A. VII, 731.

*horrificis* A. III, 571.

*iacet* G. III, 354.

*in* A. I, 353.

*laetum* A. V, 531.

*magno* A. I, 675.

*me* G. III, 291. A. VI, 461.  
511. 564.

*mihi* A. I, 139. IV, 24.

*misera* A. IV, 697.

*modus* G. IV, 537.

*moriamur* A. IV, 660.

*nox* A. VI, 866.

*nubila* A. III, 586.

*nullis* A. IV, 438.; ubi *t*  
in *d* mutata.

*pater* A. I, 60.

*pectus* A. VI, 48.

*perisse* A. IX, 140.

*picis* G. II, 250.

*postquam* A. III, 37.

*pronus* A. V, 332.

*proximus* A. V, 320.

*quæ* E. X, 2.

*quando* G. IV, 411.

*quia* G. II, 286.

*quis* A. III, 186. X, 435.

XII, 634.; hic qui-  
dem *t* in *d* mutata.



*Sed res* A. I, 515.  
*si* G. IV, 281. A. IX, 210.  
*stirpem* A. XII, 770.  
*sublime* A. X, 664.  
*tarda* A. V, 431.  
*te* A. IX, 283.  
*tibi* A. VIII, 475.  
*Troius* A. VIII, 530.  
*trudit* G. II, 335.  
*tu* G. IV, 448.  
*Turni* A. XII, 765.  
*uncis* G. II, 365.  
*venit* A. XI, 149.  
*viribus* A. IX, 431. X,  
 786.  
*viva* G. IV, 226.  
*vos* A. I, 369. IX, 146.

*Set rapiat* G. III, 137.  
*revocare* A. VI, 128.  
*si* A. II, 10. V, 417.  
*summa* A. I, 342.  
*superent* A. V, 195.  
*sustinet* A. X, 884.  
*te* A. VI, 531. VII, 440.  
*terrae* A. VI, 84.  
*tibi* A. III, 337.  
*tota* G. III, 178. 472.  
*tristis* A. VI, 315.  
*truncis* G. II, 63.  
*ubi* G. III, 482.  
*una* G. III, 404.  
*variis* A. VII, 58.  
*votis* A. III, 261.

3. *Aput* crebrius in Mediceo, quam *Aput*: *aput Danaos* A. II, 71., item in Rom.; *aput memores* A. IV, 539. *aput rapidum* A. V, 261., item in Rom.; *aput superos* A. VI, 568. Praeterea *aput me* Rom. E. III, 62. Bis est *apud* in Mediceo: A. XI, 288. „*Quidquid apud durae*“ cet. et A. XII, 331.: „*Qualis apud gelidi*“ cet.; sed priore loco „*Quidquid aput*“ est in Rom., ubi scribit Bottar.: „*Sic semper*.“

4. *At* pro *Ad* praepositione non paucis locis legitur in Mediceo: *at templa* G. II, 148., *at terram* A. II, 566. et V, 243., *at tumultum* A. III, 304. V, 76. et 664., *at Troiam* A. III, 595. IX, 547., *at tua* A. IX, 626., „*vitulos attenta reducit*“ G. IV, 434. expuncta *n* et supra scripta *c*, quo fit *at tecta*; porro in versuum initiiis, praeter l. l. A. II, 566. V, 76. 243., *At caelum* G. II, 309., *At poenam* A. VI, 822., *At quem* A. I, 64., *At quae* A. VI, 509., *Atq subridens* A. X, 742., supra appicta littera *m*, ut fiat *at quem*. Pergimus ad reliqua: *at pabula* G. IV, 266., *at haec* G. IV, 450., *solebat at soceros* A. II, 452. *at sidera* ib. 687. *at sonitum* A. III, 669. *at portas* ib. 676. *at Hesperiae litora* ib. 186. *at belli auxilium* A. VIII, 472. *at portam* A. IX, 695. *at litora* A. X, 574. *at regia* A. XI, 236. *at portas* A. XI, 142. *at crudele* ib. 535. *superat convexa* A. VI, 241., supra scripta altera *a*, ut fiat *supera at conv*. Praeterea Aen. IV, 284. legitur *audeat atfatus*, ut etiam aliis quibusdam locis in eodem Mediceo ante litteras *F*, *H*, *I*, litterae *D* et *F* in *T* mutatae sunt, ut in *atfore*, *athuc* (A. VI, 807.), *atiungere*, *atfatus* (A. XII, 138.), *etfatus* (G. IV, 450.). Et etiam exstat pro *Ad*, G. III, 134.: „*et cum Surgentem et Zephyrum*“; sed *ad Z.* ibi repositum; Aen.

V, 55.: „Nunc ultro *et cineres ipsius et ossa parentis* Adsumus“; sed a manu emendatrice *ad cineres*; et in cod. Rom. A. VII, 242.: „Tyrrhenum *et Thybrim et fontis vada sacra* Numici.“ Ceterum illud est in hac causa memorabile, quod plerisque locis, quibus *at* in Mediceo pro *ad* exaratum deprehenditur, littera *t* in *d* litteram mutata est, id quod ipse testatur Fogginus de Ge. II, 148. 309. III, 134. IV, 266. 434. Aen. II, 452. 566. III, 186. 595. IV, 284. V, 55. 76. 243. 664. VI, 241. VIII, 472. IX, 547. 626. 695. X, 574. XI, 142. 236. XII, 138. Ac ne quid dissimulasse videar, Aen. IX, 901. in ipso versu legitur: „*ad* proelia veni“; sed a Fogginio accipimus *d* in *t* mutatam esse. Vix autem dubites, quin hoc ille dicere voluerit, antea *at* scriptum fuisse et *t* in *d* mutatum. Denique Vatic. Ge. III, 329. *at puteos*.

Verbo commemorasse sufficiet pro *at* coniunctione in eodem Mediceo interdum *ad* inveniri; sed hoc quoque, animadverso statim errore, ut plurimum ab ipso librario (quod certe de Aen. VIII, 608. affirmat Schweersius) in *at* mutatum. *Ad* pro *At* etiam Rom. Aen. X, 777.: „Iecit; *ad* illa“ cet. idem *adavos* pro *atavos* XII, 529. et *Adhos* pro *Athos* montis nomine XII, 701., merum sphalma, ut vides. Denique *ad* pro *at* etiam Sangall. Ge. IV, 360., et Vatic. Ge. III, 329. Aen. VI, 406. 542., quibus locis facile apparet librarium subiecto accusativo deceptum esse.

5. Contra *Adque* pro *Atque* Medic. tribus locis, sed ubique a m. sec. in *Atque* mutatum, Ge. III, 265. Aen. VI, 631. X, 305. Sed *Adque* etiam in reliquis tribus codd. antiquissimis saepe invenitur, in Vatic. Ge. III, 182. 315. Aen. III, 164. IV, 505. 663. 679. V, 807. VI, 35. 631. 723. 742. 747. VII, 224.;\*) porro in Romano Ecl. VI, 63., ubi Bottar.: „Sic ferme semper;“ eadem idem pronuntiat ad Ecl. X, 35.; praeterea Aen. VI, 509. X, 51. eandem formam in eodem exstare certum est; quam in Bucolicis praeter ll. iam ll. vidit Schulzius etiam II, 29. III, 91. IV, 36. V, 90. VI, 68. X, 35. 45., ubi ait: „Ut semper.“ Denique breve illud fragm. Sangall. *adque* tribus locis exhibet, Ge. IV, 347. Aen. I, 389. 687. Item fragm. Satirar. Iuvenalis, quod, quantum ex forma litterarum cognoscitur, eodem fere, quo fragmenta Vergilii Vaticana, tempore scriptum est, praefixum Classicor. Auctor.

\*) Contra *atque* in Vatic. est his locis: Ge. III, 170. 185. 187. 197. 212 bis. 323. IV, 110. 116. 475. 481. 484. 492. Aen. I, 227. 243. 252. 254. 464. 475. 500. 660. II, 267. 299. 303. 691. III, 88. 89. 684. IV, 637. V, 787. VI, 394. 422. 494. 607. 622. 668. 672. 716. 861. 888. VII, 17. 24. 29. 194. 205. 304. 314. 315. 317. 465. 502. 623. VIII, 81. IX, 57. 68. 127. XI, 865. 882.

ab A. Maio editor. Tomo III., etsi *set* et *aput* exhibet, tamen idem tuetur *adque*. Praeterea *Adqui* pro *Atqui* Rom. Ge. III, 526.

6. Multis locis etiam neutra Pronominum *t* pro *d* habent, in Mediceo, quantum constat, maxime. Ecl. VIII, 103.: „Nescio *quit* certe est.“ IX, 32.: „si *quit* habes.“ Aen. I, 518.: „*Quit* veniant cuncti.“ III, 339.: „*Quit* puer Ascanius.“ IV, 235.: „*Quit* struit.“ ib. 543.: „*Quit* tum.“ V, 6.: „*quit* femina possit.“ ib. 688.: „si *quit* pietas.“ VI, 694.: „ne *quit* Libyae.“ VII, 273.: „si *quit* veri.“ ib. 365.: „*Quit* tua.“ VIII, 395.: „*Quit* causas.“ IX, 94.: „*quit* petis.“ X, 900.: „*quit* increpitas.“ XII, 40.: „*Quit* consanguinei Rutuli, quid cetera dicit Italia.“ Bis *quit* in *quid* mutari in codice refert Fogginius, Aen. V, 6. et XII, 40. Porro *aliquit* exstat in eodem Aen. IX, 186. „*Ecquit* in antiquam“ Aen. III, 342. „*Quitquit* in arte mea“ Aen. VIII, 401. Praeterea Ge. II, 493. *quidquit* scriptum est pro *qui* novit, litterae *d* supra appicta n. *Aliut* pro *Aliud* visitur Aen. IV, 174.: „*aliut* velocius.“ ib. 315.: „*aliut* mihi.“ IX, 417.: „*aliut* summa.“ X, 19.: „*aliut* quid.“ *Illut* Aen. III, 173.: „*Illut* erat.“ ib. 435.: „*illut* tibi.“ XII, 819.: „*Illut* te“; vid. etiam a Maio notata ad Cic. Orat. pro Scauro pag. 175. edit. Beier. Denique etiam *It* pro *Id* Aen. V, 418.: „*Itque* pio sedet Aeneae“; et *Quot* pro *Quod* Aen. I, 539.: „*Quot* genus hoc hominum.“ VI, 133.: „*Quot* si tantus amor.“ In aliis codd. eiusdem scripturae vestigia deprehenduntur: *quit* cum Mediceo praebet, quod mireris, etiam Vatic. et fragm. Sangall. Aen. VI, 694., item Vatic. cum Mediceo VII, 273., tum Rom. Ecl. III, 52., et *aliquit* idem Rom. Aen. IX, 186., ubi Bottar.: „Sic alibi.“ Ecl. II, 71.: „*tua. liquit* saltim“, sic Rom. pro „*tu aliquit* s.“ Quod autem scribit Bottar. ad Aen. XI, 288.: „*QUIDQUID* *APUT*“: Sic semper,“ id ad solam posteriorem vocem referendum videtur, cf. §. 3.

7. Similiter autem, ut supra §. 4. extr., etiam *d* pro *t* aliquoties exaratum videas, ut in cod. Rom.: „*quod* abest“ Ge. III, 48. „*quod* sunt“ Aen. IV, 181. et *Quodque* pro *Quotque* XI, 674. *Quodannis* autem pro *Quotannis* ter ex eodem enotatur a Bottario, Ecl. V, 79. Ge. I, 198. II, 398.; addit Schulzius Ecl. V, 67.; idem etiam in Mediceo legitur Aen. VI, 21., ubi *t* supra scripta est, *d* tamen littera integra relicta; vid. Norisii Cenotaph. Pis. pag. 452. sq. Facilis erat lapsus, qui deprehenditur in Vatic. Ge. III, 342., ubi „*idque* pecus“ a. m. pr. scriptum est pro „*itque* pecus.“

8. Ex Grammaticis Latinis, quorum praecepta praeter alios collegit C. L. Schneider Grammat. L. L. Vol. I. pag. 251. sqq.,

fere nihil discitur, nisi pleraque ex iis, quae supra proposuimus, ab aliis per *d*, ab aliis per *t* scribi consuevisse; temporum aut singulorum scriptorum nullum habetur discrimen; qua in re nihil est, quod feras molestius, quam silentium Servii. His igitur missis alia via quaerendum erit, quam rationem in ea re secutus videatur Vergilius. Ac primum quidem illud negari non poterit, veram primariamque particularum supra commemoratarum formam fuisse *ad*, *apud*, *haud*, *sed*. Ab ea, quam extremo loco posui, ut incipiamus, sive ex *sedum*, ut volunt quidam (vid. Voss. Etymolog. p. 461.), sive, quod ipsa res et vocabulum *seditio* ostendere videtur, ex *se* et littera paragoga *d* factum est, *sed*, non *set*, verum esse apparet. *Haud* sive ex οὐδέ natum putas, sive ex *hau* et littera paragoga, in *d* exeat necesse est, non in *t*. In *apud* quoque litteram *d* paragogicam recte agnoscunt recentiores Grammatici; cfr. Hand. Tursell. Vol. I. p. 405. Pro *ad* autem cum antiquissimi *ar* dixerint, nulla fuit cognatio litterarum *r* et *t*, at fuit litterarum *r* et *d*, unde *meridies* dicebatur, quod proprie erat *medidies*: vid. Schneideri Grammat. supra laud. p. 258. adde nunc Glossas Placidi p. 435.: „*Arveniet*, adveniet.“ Hinc rursus probatur *apud*, quia idem est quod *apor*, ut veteres locuti sunt teste Festo. Litteram autem paragogicam, ut ad hanc revertar, *d* fuisse, non *t*, cum veteres Grammatici testantur, tum antiquissima etiam monumenta, imprimis Columna rostrata Duilii. *Apud*, sic scriptum, visitur in antiquissimo monumento Scipionum; *ad*, *apud*, *sed*, in monumento An-cyrano; *ad* et *apud* etiam in Fastis Praenestinis. Ceteras autem Inscriptiones si consulueris, vix ullum, quod quidem certum sit, inveneris exemplum particularum *haud*, *sed*, *ad* et *apud* per *t* scriptarum, quod attingat Augusteum aevum; complura, quae istum usum tenuis litterae *t* altero post Christ. nat. saeculo invaluisse testentur. Denique ne id, quod ad Vergilianam causam maxime spectat, silentio praetermittamus: in Vaticano nusquam *haut*, *set*, semper *haud*, *sed*, comparet. Leve est, quod in eo Aen. I, 508. *haut* pro *aut*, et Aen. VI, 694. *nequit* pro *nequid* legitur. Denique Romanum codicem semel in Eclogis *set*, Ecl. III, 9., praeterea *sed* in iisdem praebere auctor est Schulzius; est tamen in eodem ibid. vs. 43. *admovisset*, i. e. *admovi*, *set*; vid. §. 9.

9. Itaque pro explorato habendum erit Vergilium *ad*, *apud*, *haud*, *sed*, scripsisse. Quaerenti autem, unde orta sit tanta in libris mss., maxime in Mediceo, varietas, non deest quod respondeamus. Mediae *d* ea est natura, quod sua quemque experientia docere potest, ut extremis vocabulis adhaerens facile fortius, quam debet, pronuntietur similisque fiat tenui *t*, quod testatur Charisius pag. 87.: „*haud* similiter *d* littera terminatur — —, sed et per *t* scribi sonus vocis admittit.“ Sic factum est, ut, cum in mediis primisque vocibus, ut in *unda*, *nitidus*, *dare*, *densus*, illa

littera ubique suum teneatur locum, in extremis saepe cesserit litterae *t*. Nam multi, uti fit, in scribendo eandem sequebantur rationem, quam in eloquendo. Qui autem veterrimos codices multum volutaverit, facile sibi persuadebit, iis saeculis, quibus illi exarati sunt, in finibus vocabulorum *t* fere pro *d* et auditum esse et scriptum. Quare minime mirum videbitur, antiquissimos codices, maxime Vergilii ac Terentii, in ea causa ipsos sibi vehementer repugnare, cum librarii modo antiquiorum librorum auctoritati, modo sui saeculi consuetudini servirent. Unde illud quoque intelligitur, summum virum Bentleium, cum aliam in Horatio, aliam in Terentio rationem sibi sequendam duxerit, eo errore ductum id fecisse, ut, quae essent asperiora, eadem esse antiquiora iudicaret. Quod autem supra vidimus, ex ipsis vitiis veterum codicum coniecturam veritatis reperiri posse, id nihil ad hanc, quam modo tractamus, causam valet. Omitto et pro *ad* quibusdam locis exhibitum, ubi facile erat labi, ut Ge. III, 134. Aen. V, 55. VII, 242., cfr. §. 4., (quid, quod nullum inter *ad* et *at* discrimen statuere videtur Quintil. I, 7, 5.?). multis locis aut pro *haut* exstare vidimus §. 1. extr.; at vix auditam esse in *haud* vel *haut* aspirationem, quis ignorat? itaque facile fieri potuit, ut, quae vel non audiretur, vel vix perciperetur, ea ne scriberetur quidem. Quod affertur ex Romano *halit* pro *haut* Aen. VII, 203., nihil probat, cum vetus forma litterae U proxime accederet ad similitudinem litterarum LI. Illud quoque apparet, ex *admovi sed* facile nasci potuisse *admovisset*, ut est Ecl. III, 43. in Rom., aut *aequiparas set* ex *aequiparas sed* in eod. cod. Ecl. V, 48.; nec quod in eod. libro exstat Aen. IX, 79. *sit* pro *sed*, quemquam morabitur.

10. Atque ex *Ad* et *que* conflatum esse qui neget nostra aetate haud facile reperietur; et ita fuisse qui pronuntiarent aut certe scriberent, multis exemplis manifestum est; vid. §. 5. et quos laudat Hand. Tursell. Vol. I. p. 453. Quaeritur iam, utrum videatur secutus esse Vergilius? Nondum ex consuetudine abuisse *adque* eo tempore, quo fuit Vergilius, facile persuadebit Monumentam Ancyranum, in quo ita, *adque*, legitur pag. 376. lin. 6. Sueton. Wolf. Antiquissimos codices ita inter se dissentire videmus, ut Mediceus paucissimis locis *adque* offerat, Romanus contra vel plerisque vel omnibus, quemadmodum fortasse etiam is codex, cuius exigua est particula Fragmentum Sangallense; mediam quandam inter Mediceum et Romanum viam sequitur Vaticanus. Horum codicum longe vitiosissime scriptus est Romanus, in quo non quavis pagina, sed quovis prope versu, is, qui eum exaravit, insignem prae se fert stultitiam. Qui homo cum primoribus, ut aiunt, labris gustaverit sermonem Latinum, ubique ridiculum in modum dirimit iungenda iungitque dirimenda, aut verba planissima ac facillima ita detorquet, ut miracula et monstra videre tibi videre. Quae

res ut plurimum habet incommodi, sic etiam commodi aliquid. Nam cum alii veteres librarii in re orthographica, antiquae consuetudinis negligentiores, ea sectarentur, quibus ipsi adsueti essent, non potuit fieri, quin is, qui parum aut nihil didicisset, fere ea referret in chartam, quae in eo exemplari, quod transcribebat, scripta deprehenderet. Itaque hoc pro explorato habere possumus, in eo codice, quem in Romano expressum legimus, *adque* sic per *d* aut ubique aut prope ubique scriptum fuisse. Iam vero cum, qui describendis veterum libris operam dabant, vetustissima exemplaria ad eam rem solerent adhibere, iure quodam licet conicere ita, *adque*, scriptum fuisse in antiquissimis Vergilii codicibus idque ab ipso poeta profectum esse. Quid, quod eam consuetudinem tenuisse scriptores aurei, quod appellant, argenteique saeculi omnes haud improbabile est? Quod ex eo intelligere mihi videor, quod saepe nihil dicendo disertum est, silentio. Multis enim locis cum Grammatici veteres de permutatione litterarum *d* et *t* mentionem faciant, nihil isti umquam, quod equidem sciam, de duplici formula huius coniunctionis tradiderunt. Iam qui proximis saeculis de his rebus scribebant, fere ea in breve contracta reddebant, quae a Grammaticis primi secundique saeculi acceperant; quod ut de ceteris, ita maxime de Servio affirmari posse videtur. Nihil igitur mirum, si veteres, quibus adhuc utimur, Grammatici hanc quaestionem ne verbo quidem attigerunt. Appuleius quidem de Orthographia §. 13.: „Quod olim scribebatur per *d* *adque* coniunctio, nunc *atque*.“ Sed illud *nunc* ad quam aetatem pertineat, dubitari iam non potest; itaque Appuleius non habet ius inter veteres Grammaticos Latinos sententiam dicendi, etsi, quod h. l. scribit, verum est habendum. Ac nescio an *atque*, quod imperitiores, ut qui verba in lapides incidebant, pronuntiandi consuetudine decepti dudum usurpaverant, (quod nihil curabant Grammatici, raro talium monumentorum rationem habentes) multo serius calamo doctiorum hominum subrepsit. \*) Certe *adque* in decreto Populi Romani Senatusque consulto in honorem Stilichonis facto (vid. Gruter. T. I. P. II. pag. CCCXII. no. 3. et 4.) ter legitur, i. e. quoties in utroque positum est; in publicis autem monumentis maiore cum diligentia versatos esse artifices illos et per se consentaneum est et vulgo creditur. Ergo etiam ineunte quinto saeculo ita scribebant Romani. His rationibus motus restitui *adque* Vergilio.

D in compositis vel integrum relictum vel adsimilatum; vid. ADSIMILATIO.

---

\*) Nam quod in carmine Herculani reperto (Voluminum Herculans. P. II. Col. VIII. lin. 3.) visitur *atque*, nescias an et ipsum librarii potius imperitiae aurium iudicio male obtemperantis, quam ipsi poetae tribuendum sit.

DAHAE, DAAE. vid. V. L. ad Aen. VIII, 728. Drakenb. ad Silium XIII, 764.

DAMMAE geminata *m* littera ubique Mediceus, consentientibus Romano et Servio Dresdensi.

DECIM Rom. Ecl. III, 71. Ge. III, 61.

DECUMUS. Ge. I, 284. *septuma* et *decumam* Medic.; sed in utroque voc. prior hasta vocalis *u* abrasa, ut existeret vulgaris forma. Praeterea ubique *septimus*, *decimus* in Mediceo; *decumus* tamen etiam Vatic. Aen. IX, 155., quod ibidem Pierius invenit in vetere codice, Romano, ut puto. Haec vestigia secutus eam formam ubique restituendam putavi; vid. Drakenb. ad Liv. XXX, 18, 9. Et *septumae* legitur etiam ap. Cic. de Rep. II, 10. Reliqui tamen *undecimo* Ecl. VIII, 39., cum non sit eadem semper simplicium et compositorum ratio, ipsumque cardinale litteram *i* habeat. Parum diligens in eiusmodi rebus notandis Heinsius; quare quid quoque loco praebeant eius codices, fere incertum est; scripsit is tamen *decumum* etiam Aen. XI, 290. Cfr. infra SUPERLATIVUS.

DENSARE, DENSERE. vid. V. L. Ge. I, 248. Bentl. ad Hor. I, 28, 19. Drakenb. ad Silium IV, 159.

DETRACTARE. vid. litt. A.

DI et DIS, non DII, DIIS. vid. V. L. ad Aen. II, 190. Freund. ad Orat. pro Mil. p. 36.

DICIONE, ut est etiam in veteribus Glossis, non DITIONE. vid. supra *Conditio* et V. L. ad Aen. I, 236. VII, 737. Consentiant cum Mediceo Vatic. et Romanus.

DIES quot habeat formas Genitivi? vid. V. L. ad Ge. I, 208.

DISICERE, DISICERE, DISSICERE. Ex litterarum sibi insidentium ratione scribendum est *Disicere*; vid. LITTERAE SIBI INSIDENTES §. 1. extr.

DOMUS quomodo declinatum apud Vergil. v. V. L. ad Ge. I, 182. et Not. ad Aen. X, 52.

DONEC. Medic. Aen. XII, 254. *tonec* habet a. m. pr. pro *donec*.

DONYSA. vid. litt. Y. §. 2.

DORIUS, DORICUS. vid. V. L. ad Aen. II, 27.

EBENUM. vid. HEBENUM.

EBURNUS, EBURNEUS. vid. V. L. ad Aen. XI, 11.

EBYSUS, non EBUSUS. vid. litt. Y. §. 2.

ECFARI affertur e Gud. a. m. sec. Aen. IV, 76. vid. Bentl. ad Terent. Heautont. IV, 4, 23. Oudend. ad Appul. Met. p. 403.

EDERA. vid. HEDERA.

EDONUS, EDONIUS. vid. V. L. ad Aen. XII, 335.

EI, non HEI, Medic. Aen. II, 274. et cum Rom. XII, 620. *Hei* tamen exaratum video Aen. XI, 57.; sed ibi *Et* Rom., quod apparet ex *Ei* ortum esse; et *Ei* etiam Fragm. Vatic. Aen. II, 274. apud Bottar. Non saepius legitur haec interiectio apud Vergilium. Atque his gravissimis testibus morem gerendum putavi.

EIA. vid. HEIA.

...EIS Accusat. Plur. III. Decl. vid. ACCUSATIVUS §. 17.

ELISSA, non ELISA. vid. V. L. ad Aen. IV, 335.

ELLEBOROS Medic. Ge. III, 451., *Illeboros* Rom. Hos potius auctores sequeris, quam Appulei. de Nota Adspirationis p. 95., qui *Helleboros* tuetur. Graeci et ἡλλέβορος et ἡλλέβορος.

EMPTUS et similia ubique Mediceus; quare errori Fogginii tribuendum videtur, quod Aen. XI, 177. *perempto* exaratum est. Vid. litteram P. §. 1.

ERINYS, non ERINNYS, vid. V. L. ad Aen. II, 337. Illud etiam Homero reddiderunt Dindorf. et Spitzner.; vid. quae hic scripsit ad Iliad. IX, 454.

ERULUS, ERYLUS. vid. litt. Y. §. 2.

...ERUNT et ...ERE. vid. PERFECTI.

ERUS, ERILIS, non HERUS, HERILIS, ubique Medic., i. e. Aen. III, 324., ubi *eri* etiam in Fragm. Vatic., VII, 490. et VIII, 462., ubi *erilem* etiam e Rom. affertur a Bottario.

...ES Graeca Genitivi forma pr. Declinat. abstinuit Vergil. vid. V. L. ad Aen. III, 386.

EST elisum. Si dubitari non potest, quin librarii plurima, quae veteris orthographiae ratio tuetur, ad suae morem aetatis immutaverint, facile nobis persuadebimus, ut multa alia, ita etiam veterem verbi *est* elidendi rationem ab iisdem obscuratam ac paene oblitteratam e situ veterrimorum librorum esse revocandam. Nam ut concedam in ceteris semper priorem vocalem elisam esse, certe verbo *est* hiatus efficiente non prior vocalis exterebatur, sed posterior, hunc in modum: *secutast*, non *secut<sup>us</sup> est*. Argumento est, quod vitiosum habebatur, versum heroicum vocabulo monosyllabo claudere. Quo ex genere cum quaedam facilem habeant excusationem, vid. Herm. Elem. Doctr. metr. p. 342. sq., non potest idem dici de verbo *est* extremis versibus adiecto. Facilius quidem feramus talia, quale *null<sup>us</sup> est*, *im<sup>us</sup> est*, *und<sup>us</sup> est*; sed gravius offendunt haec: *labor<sup>us</sup> est*, *dolor<sup>us</sup> est*, *secut<sup>us</sup> est*, i. e. *laborum est*, *dolore est*, *secuta est*. Sed ex eo ipso,



quod ea semper lege *est* extremo versiculo subiectum invenimus, ut efficiat hiatum, apparet, quidquid in ea re vitiosum censi queat, ipsa elidendi ratione emendari. Itaque sic statuendum erit, verbum *est*, absorpta per praegressam vocalem littera *e*, in unum quasi verbum cum praecedente vocabulo coalescere, hunc in modum: *laborumst*, *dolorest*, *secutast*. Quam coniecturam per se probabilem confirmat auctoritas codicum minime contemnenda. Enotavi e Mediceo haec: *secutast* Ecl. X, 23. *turbast* Aen. VI, 325. *ademptast* Aen. XII, 879. *tantaest* Ge. III, 112. *necessest* Aen. III, 478. IV, 613. *amorest* Aen. VI, 455. *undest* Aen. VIII, 71. *quietest* IX, 187. *dolorest* XI, 151. *annost* Ecl. VII, 43. *imost* Aen. XI, 23.; et supra scripta est his locis vocalis *e*, praeterquam Ge. III, 112. Aen. III, 478. IV, 613. VIII, 71. XII, 879. Praeterea in eodem *certatust* Aen. XI, 313. supra adiecta littera *m*, unde fortasse intelligi potest, quomodo talia pronuntiarint veteres Romani. Ex codice Romano haec afferuntur: *coortast* Ge. III, 478. *abundest* Aen. VII, 552. *multumst* Ge. II, 272. *ventumst*, supra scripta *e*, Ge. III, 98. *Romanumst* Ge. III, 148. *laborumst* Ge. III, 452. Vitiose idem *cubilest* Ecl. IV, 63. et *imest* Aen. V, 178. pro *cubulist*, *imost*. Denique Fragm. Vatic. haec habet: *...ust*, *oestrum*, i. e. *Romanumst oestr*. Ge. III, 148. *puerost*, ab alia manu supra scripta *e*, Aen. III, 341. *necessest* Aen. VI, 514. In eodem codice Aen. VIII, 71. legitur *unde sit*, sed i puncto ut delenda notata supraque *e* adiecta, ut fieret *unde est*; sed facile intelligitur illud *unde sit* ortum esse ex *undest*, quemadmodum eo ipso loco exstat in Mediceo. Itaque non cunctaberis apud Cic. Tusc. I, 29. pro *ubiubi sit* reponere *ubiubist*; cf. Orell. ad eiusd. Orat. XXXI. §. 113.: „*dialecticorum est*. Sic scripsi: ut *sexcenties*, hic quoque *e* scriptura *dialecticorumst* ortum est *dial. sit*.” adde eiusd. Not. ad Brut. XXIII. §. 89. pro Sext. XXXXVIII. §. 102. Vide etiam, an Offic. II, 11.: „quod in quo viro *perspectum sit*, hunc igni spectatum arbitrantur,” scribendum sit *perspectumst*, i. e. *perspectum est*. Apud ipsum Vergil. Ge. II, 82. nescio iam an rectius legas *Miratastque*, salva illa, de qua dictum est ad Ge. I, 142., lege. Denique ita demum tolerabile erit, quod legitur Aen. V, 710. sq.: „superanda omnis fortuna *ferendost*. *Est* tibi Dardanius.”

Ceterum eadem ratio frequentatur in Ciceronis libris de Rep. I, 34. *iniquissimast*. II, 15. *ullast*. III, 10. *plenast*. ib. 33. *beluast*. II, 21. *ilast*. II, 10. *conditast*, et sic saepius praegresso participio: II, 31. 34 bis. 35. 37. Porro *ferest* III, 29. *bonist* III, 11. *ratioest* II, 36. et V, 5. *modost* III, 8. *verendumst* III, 5. Vide etiam Ferrar. ad Cic. Philipp. III, 14. Niebuhr. ad Cic. Oration. pro Font. et Rabir. fragm. p. 60. et 114. Beier. ad Cic. Orat. pro Scauro §. 19. A. Mai. et Moser. ad libr. de Rep. p. 623. Freund. ad Cic. Orat. pro Mil. pag. 19. sqq.

ETIAMNUM et ETIAMNUNC. vid. V. L. ad Ecl. II, 41. Improbatur, quae ibi scripseram, Handius in Tursell. Vol. II. pag. 587., iniuria, ut opinor. Usus veterum, quem ex emendatis optimorum scriptorum exemplaribus facile cognoscas, *etiamnum* et *etiamnunc* ita distinxit, ut, cum utrumque et *num* et *nunc* praesens tempus significet, *etiamnum* dicatur de eo tempore, quod aliquando praesens fuit, *etiamnunc* de eo, quod nunc est praesens; hinc illud veritas *damals noch*, hoc *ietzt noch*, nec raro utrumque ad quandam temporis perpetuitatem relatum idem significat, quod nostrum *immer noch*; denique quoquo modo haec usurpantur, certe probatissimi scriptores temporis discrimen diligenter videntur observasse. Ovid. A. A. III, 61.: „Dum licet et veros *etiamnunc* editis annos.“ Terent. Eun. II, 2, 55.: „*etiamnunc* hic stas, Parmeno?“ Ovid. Met. XIII, 231.: „nec Telamoniades *etiamnunc* hiscere quidquam ausit.“ Contra Statius Theb. VIII, 565.: „triplici velaverat ostro Surgentes *etiamnum* humeros et leviam mater Pectora.“ idem IX, 637.: „Illam diva ferox *etiamnum* in limine sacro Expositam linquit;“ nempe *linquit* est praesens historicum quod dicunt. His exemplis cum Handius ipse usus sit, miror, quod negat ullam esse inter has particulas discrepantiam. Si qua sunt autem apud meliores quoque scriptores exempla, quae videantur probare contrarium, causa eius rei in eo est posita, quod in plerisque codd. recentiore tempore exaratis crebro permutantur inter se *etiamnum* et *etiamnunc*. Quare in ea re prope soli poetae et ex libris mss. antiquissimi pondus habent verae auctoritatis. Num vero quidam ex iis scriptoribus, qui non censentur in classicis, nullo discrimine scripserint *etiamnum* et *etiamnunc*, aut etiam alterum ex his plane spreverint, aliis quaerendum relinquo.

EU..., non EV..., in Graecis vocc. scribendum esse vidimus in V. L. ad Aen. VII, 389. Idque probatur etiam eo, quod in Rom. Aen. VI, 447. legitur *Heuhadnen*, tum *euhantis* ib. 517. et in Medic., et in fragm. Vatic. et in Romano. Retinui optimis libris auctoribus etiam adspirationem in *euho* Aen. VII, 389., unde intelligitur non videri ridendos, qui εὐοῖ ex εὐ οῖ conflatum existimant, in *euhantis* et in *Euhadnen* l. l. Quae si vitiosa essent, mirum esset, quod librarii nomini Euanthis Phrygis Aen. X, 702. non adspirarunt. *Euhion* invenit Ang. Maius in longe vetustissimo fragmento Persii; vid. Classicor. Auctorum e Vatic. codd. editor. Tom. III. pag. XX. Editur *Parhedrus* apud Cic. Epp. ad Famil. XVI, 18. vid. Ernest. Clav. sub eo nom. Itaque nec *exhedra* reiecerim, quod damnat Ellendt. ad Cic. de Orat. III, 5, 17. Denique *Panhormus* restituit Zumpt. Cic. Verr. II, 26, 63.; vid. ibi eius Not. Ceterum vid. Villos. Prolegg. ad Hom. p. II. sq.

EUNDEM, EANDEM, non EUMDEM, EAMDEM. vid. litt. M.

...EUS, i. e. ...εὐς. Nomina ita terminata quomodo fluctantur a Vergilio, expositum est in V. L. ad Aen. V, 184.

EX ante consonas. vid. Quaest. Virgil. II.

EX Praepositio quaeritur in compositis utrum subiectam litteram *s* obtulerit apud Vergilium, an suo loco manere passa sit. Quintilianus I, 7, 4. abiecisce eam videtur; vid. ibi Spalding.; alii Grammatici eandem tuentur; vid. C. L. Schneideri Grammat. Lat. Vol. I. P. II. p. 555. Necesse est autem asperius fuisse *exsultare*, mollius *exultare*. Illa ratio erat antiquior, haec recentior. Hinc factum est, ut littera *X*, quam vastiorem appellat Cicero Orat. c. 43., etiam nullo subiecto sibilo in quibusdam vocabulis litterae *s* cesserit, ut in *mixtus* et *nixus*; hinc *Nason* pro *Naxon* Aen. III, 125. in libris Pierianis; et fere in sonum geminatae *s* posteriore aetate *x* transisse, ut taceam alia, inde fortasse potest intelligi, quod *ex ilicibus sus* Aen. VIII, 43. *ilice buxus* factum est in cod. Rom. Iam vero quam proclives fuerint librarii ad litteram *s* post *x* tollendam, optime discitur ex eiusmodi vitiis, qualia proposuit Freundius ad Cic. Orat. pro Mil. pag. 41.: *ex ummorum* pro *ex summorum*; de Rep. II, 21.: *ex erva* pro *ex serva*; ibid. II, 31.: *lex anxii* pro *lex sanxit*. Itaque si certa fuerint in optimis libris servatae post Praepositionem *ex* litterae *s* vestigia, existimandum erit veram ipsius scriptoris manum consuetudinemque ex ea re cognosci, atque, sicubi litteram *s* librarii detraxerint, eam esse restituendam. Iam in cod. Mediceo multo quidem rariora sunt retentae, quam extritae, litterae *s* exempla, satis tamen idonea, quae hanc causam dirimant: *exsanguis* Aen. VI, 401. *exsaturabilis* Aen. V, 781. *exsaturata* cum Vatic. Aen. VII, 298. *exsequi* Aen. V, 54. (et Vatic. VI, 236.) *exserere* Aen. XI, 649. *exsolvere* Aen. XI, 829. (in Vatic. Aen. IV, 652. incertum est, utrum *exsolvite* scripserit librarius, an *ensolvite*) *exsors* Aen. VIII, 552. (*exsomnia* Vatic. Aen. VI, 556.) *expectare* Ge. I, 226. Aen. VIII, 38. IX, 46. 130. XI, 54. (etiam Vatic. Ge. III, 348. Aen. V, 137. VI, 614.) *expirare* Aen. I, 44. III, 580. et cum Vatic. XI, 865. *exstruere* Ge. I, 283. Aen. V, 290. XI, 66. *exsultare* Aen. VII, 464. XII, 688. (et Vatic. Aen. V, 137.) *exsuperare* Aen. XI, 905. XII, 20. *exsurgere* Aen. VI, 607. cum Vatic., XI, 697. Ac saepe iam vidimus in ipsis vitiis latere interdum verae consuetudinis vestigia. Aen. XI, 263. scriptum est *etsolat*, sed *t* et *o* litterae transfossae, supra autem scriptae *X* et *U*, ut fiat *exsulat*;\*) sic etiam *etspirant* a m. pr. pro *expirant* Aen. XI, 883.

\*) Glossae Placidii p. 459.: „Exsul dicitur, qui extra solum est (?): ideo cum *s* debet scribi, ut est *extirpata*, a radice subversa.“ Contra p. 456.: „Exultat melius sine *s* littera dicimus: nam cum ipsa *X* ex *c* et *s* constet, quomodo, cum in ea iam sit *s*, rursus ei addimus illam?“ Apparet Placidum hoc verbum habuisse pro non composito.

Pro *exsilit* Ge. III, 433. scriptum est *extulit*. Ge. III, 39. legitur *experabile*, sed supra scripta est ommissa syllaba *su*. Denique cum *excindi* Aen. XII, 643. exaratum esset, altera manus supra apposuit *s*, ut *exsisteret excindi*. Praeterea *exsecare*, *existere*, *exstare*, quod servavit Vatic. Aen. VI, 668., *exstinguere*, ex veterinimis libris mss. enotavit Freund. l. l. pag. 37. sq. Vid. etiam Pier. ad Ge. I, 88.

EXAMEN. In Mediceo aliquoties legitur *exacmen* vel *exagmen*. vid. V. L. ad Ge. II, 452.; et *examen* factum esse ex *exagimen* facile apparet; quare videndum, ne ita *exagmen* scripserit Vergilius; et cf. SUBTEMEN.

EXANIMIS, EXANIMUS. vid. V. L. ad Aen. IV, 8. Drakenb. ad Silium V, 584.

EXESSUS. vid. litt. S. §. 2.

EXIM pro EXIN, de quo dictum in V. L. ad Aen. VII, 341. et XII, 92., sine dubitatione Vergilio reddidi. Respondet hoc particulis *him*, *illim*, *istim*. Vid. Hand. Tursellin. sub vocc. HINC, ILLINC, ISTINC, quosque idem laudat maxime Tom. III. p. 212.

EXSPARGERE. vid. G. III, 419.

F pro PH. *Eufrates* Medic. Aen. VIII, 726. *fulanx* idem XI, 92. et *Navatem* a m. pr., sed *Nisutem* a sec. Ge. III, 30. Porro Vatic. apud Bottarium *Fryges* Aen. I, 472. V, 785. et *Flegyas* VI, 618. Ex Romano haec adnotavi: *faretra* A. I, 323., ubi addit Bottar.: „Sic alibi.“ *Frygiam* A. I, 381. *Frygias* ibid. 182. *Fedram* pro *Phaedram* A. VI, 445. *mesitem* A. VII, 84. *Nymfarum* A. I, 168. Vide A. Maji Conspectum Orthographiae, libris de Rep. adiectum pag. 356. Non optimae aetatis fuisse hanc rationem colligas ex nummis Constantis et Constantii apud Eckhel. T. VIII. p. 109. 111. 117. cfr. praeterea C. L. Schneideri Grammat. Lat. Vol. I. P. I. p. 201. sq. et infra vocc. PHALARICA et PHASELUS. Glossae Placidi p. 455.: „Elephans nulli dubium est, quod per *p* et *h* solitum scribi, non per *f*.“

FAENILIA scripsi Ge. III, 321. optimis libris auctoribus; vid. ibi Var. Lect.; licet, cum radix sit *feo*, ex hoc *fenum*, *fenilia* nascatur. Sed audi Varronem de L. L. VII, 96. p. 157. ed. Muell.: „In pluribus verbis *a* ante *e* alii ponunt, alii non; ut quod partim dicunt *sceptrum*, partim *scaeptrum*; alii Plauti *Faeneratricem*, alii *Feneratricem*; sic *faenisicia* ac *fenisicia*.“ Glossae Placidi p. 464.: „*Faeneuris* cum *a*.“ puta: *Faenarius*.

FETUS, ut ab antiquo *feo*, non *Foetus*, ubique Medic. et Vatic. consentiente Rom., ut Bottar. testatur ad Ge. I, 75. II, 390.;

idem Schulzius invenit Ecl. I, 22. 50. III, 30. 83. Quod etsi falso a ferendo ortum putat Ovidius Fast. IV, 632., tamen, qui ita statuit, *fetus* scripsisse existimandus est. Diphthongum tamen praefert Doederlin. Lat. *Synonymen u. Etymolog.* Vol. IV. p. 330., etsi ibidem componit γυνή et ΓΕΝΩ.

FILIX. Bis hoc nomen legitur apud Vergilium, Ge. II, 189. III, 297.; utroque loco *e* habet in priore syllaba Medic., item Vatic. altero loco. Et *felix* aliquoties offerunt codices Columellae, ut II, 2, 13. 14, 6.; *felicium* II, 2, 9., ubi Schneiderus commemorat, quod est apud Catonem, *felicula*; atque hoc ipsum *felicula* ex optimis libris Schneiderus restituit Columell. VI, 27, 11. itaque et ipse parvi codicum praestantissimorum auctoritati.

FLUIDUS, non FLUIDUS, Medic. et Rom. Ge. III, 484.; prior *u* hoc quidem loco miniatis punctis in Mediceo notata; sed *fluvidus* praeter illos, qui ibi laudantur, etiam in multis aliis exstare libris, fidem facit, quod uterque cod. Lips. hoc exhibet. Uno praeterea, quo idem adiectivum apud Vergilium legitur, loco, Aen. III, 663. *fluvidus* est in eodem Mediceo, fragm. Vatic. a m. sec., eaque antiqua, aliisque, vid. Burmann., tum in Parisinis 2. 3. 7. 8. 10. 11. 12. Itaque hanc formam reduxi; neque obstat, quod prima syllaba apud Lucretium producitur. Vid. etiam Gifan. Ind. Lucret., tum Pier. ad Aen. I, 1., Oudendorp. et Cort. ad Lucan. VI, 89. et Nott. ad Appulei. T. II. p. 196.

FORMONSUS. vid. litt. N. §. 7.

FORSAM Rom. Aen. I, 203.: „*Forsam* et haec.“ item Aen. IV, 19.

GAESUM, GESSUM. vid. V. L. ad Aen. VIII, 662. Schneider. ad Caes. B. G. III, 4, 1. Mihi quidem satius visum est Graecorum rationem sequi γαῖσον scribentium.

GAZA, GAZZA. vid. V. L. ad Aen. II, 763.

GENESTAE, GENISTAE. v. V. L. ad Ge. II, 12.

GENETRIX, non GENITRIX. vid. V. L. ad Ge. IV, 363. *Venus Genetrix*, sic, constanter in antiquioribus nummis; *Venus Genitrix* demum in nummis Paulae, uxoris Elagabali apud Eckhel. T. VII. p. 258.; et *genitrix* cod. Palat., qui, ut in hoc, sic in multis aliis ab antiqua consuetudine desciscit. *Genetrix* etiam Vatic. Aen. I, 590., uno, quo hoc voc. exstat in hoc codice, loco.

GENITIVUS. 1. Substantivorum in ...ium et ...ius terminatorum in simplex *i*, non in geminatum *ii*, missus. vid. V. L. ad Aen. I, 258. IX, 151. In versu Ennii ap. Cic. Tusc. I, 15.: — „Adspicite, o cives, senis *Enni* imagini? formam —“ Graeco more

correpta est longa vocalis ante subiectam vocalem. Accurate tractavit omnem hanc quaestionem Suerdsioeus in *Vindiciis praecepti Benileiani* cet. Rigae. 1832. edit., quem nuper refutatum ivit Freundius Cic. Orat. pro Mil. p. 1. sqq. Et Freundium quidem miror non vidisse, quo antiquior sit quisque codex ms., tanto eum magis consentire cum illo praecepto, quo recentior, tanto crebrius ab eodem aberrare; quae res quantum habeat momentum in hac causa, facile intelligitur. Ceterum *Clarii* Aen. III, 360. adiectivi naturam recte retinet; quare id omittendum erat Freundio.

2. Genitivus nominum propriorum in ...es et ...eus desinentium. vid. V. L. ad Aen. I, 30.

3. Genitivus III. Declinat. in ...os terminatus non placuit Vergilio. vid. V. L. ad Ecl. III, 12. Retinui tamen inscriptionem *Aeneidos* multis locis a cod. Medic. (etiam, ut videtur, Rom.) confirmatam, in quo sub finem singulorum librorum aut *Aen.* aut *Aeneidos*, nusquam *Aeneidis*, legitur, sive quod ipsi scriptores Romani amabant Graecas formas in titulis librorum, sive quod librarii morem semel receptum propagarunt. *Aeneidos* etiam apud Ovidium bis legitur, Trist. II, 533. et Epist. ex P. III, 4, 84.

GLAEB A per *ae* Medic. his locis: Ge. I, 44. 65. II, 261. 399. III, 161. Aen. VII, 747., etiam Vatic. Ge. III, 161. Confirmant diphthongum in hoc vocabulo etiam Inscriptiones. Itaque restitui hanc formam.

GNATUS. vid. Quaest. Virg. XXXVIII.

GNOSIUS, non CNOSIUS. vid. V. L. ad Aen. V, 306. extr. et Schneider. l. l. pag. 442. — GNOSIUS, non GNOSSIUS. vid. litt. S. §. 1.

GRYPES, GRYPHES. vid. litt. P. §. 3.

H 1. aliquoties vel additur temere, vel demitur in Romano, ut in *Chatillus* Aen. VII, 672. XI, 640. *Erychaeten* Aen. X, 749. *Horoden* X, 732., ubi Bottar.: „Sic alibi.“ *Phorchi* X, 328. *Arpalyce* Aen. I, 317. *Iacinthi* XI, 69.

H 2. transposita crebro a librariis. vid. V. L. ad Aen. XI, 184.

H 3. vid. CH.

H 4. inter duas vocales interiecta.

1. Gell. N. A. II, 3.: „Venit nobis in memoriam Fidum Optatum multi nominis Romae grammaticum ostendisse mihi librum Aeneidos secundum mirandae vetustatis, quem ipsius Vergilii fuisse credebat, in quo duo isti versus cum ita scripti forent:

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus  
Exsultat telis et luce coruscus aena,

additam supra vidimus *h* litteram et *ahena* factum. Sic in illo quoque Vergilii versu in optimis libris invenimus:

Aut foliis undam tepidi despumat aheni.“

Haec Gellius. Neque ignoro etiam in vetustis monumentis legi *ahenus* et *Ahenobarbus*, maxime in nummis gentis Domitiae. At Mediceus, quocum consentiunt Vatic. et Romanus, *aenus* semper exhibet sine adspiratione, nisi quod Aen. I, 449. *h* minio supra appicta visitur. Et cum ex ipso Gellio discamus *h* litteram voci *aenus* antiquissimo illo testimonio detrabi, vix dubitabimus, quin *h* isto, quem affert, loco addita sit ab imperito. Nam quod Servius scribit ad Aen. I, 213.: „Huic autem nomini maiores adspirationem dabant, nam *ahena* dicebant;“ ea certe non plus probant, quam Gellius. Ceterum vid. C. L. Schneideri Grammat. Lat. Vol. I. P. I. p. 130. et 190.

2. Serv. ad Ge. III, 223.: „apud Latinos nullum verbum est, quod ante *o* finalem habeat *o*, excepto *inchoo*; quod tamen maiores aliter scribebant, aspirationem interponentes duabus vocalibus, et dicebant *inchoho*.“ Et ita plane Mediceus Ge. III, 42. *inchoat*; sed *inchoat* cum Vatic. apud Bottar. Aen. VI, 252.; utroque loco *inchoat* Serv. Dresd. Atque *inchoat* etiam Monumentum Ancyranum p. 373. edit. Sueton. Wolf. Vide etiam Erythraei Indicem sub hoc verbo, Drakenb. ad Liv. XXIX, 23, 3. Oudendorp. ad Sueton. Iul. c. 46. Cellar. Orthograph. ab Harles. edit. p. 258. C. L. Schneider. l. I. p. 205. Fea ad Horat. I, 4, 15. Beier. et Orell. ad Cic. Orat. c. IX. extr. Doederlin. Lat. Synonymen u. Etymolog. Vol. III. p. 157.

3. Ut autem *inchoho* scribebant veteres, sic etiam *cohorior*; quamquam, si Doederlinio Lat. Synonymen u. Etymolog. Vol. I. p. 162. credimus, ipsi verbo simplici *oriri* olim adspirabatur, quod certe de Enniano illo *horitur* (i. e. *hortatur*) verum esse facile concedo; et *cohortus* exstat in Medic. Ge. III, 478. Aen. X, 405. Cum autem in eodem Aen. I, 148. *coorta* scriptum esset, supra adiecta est *h*. Eamque rationem eo magis duxi servandam, quod eadem vulgo retinetur in vocabulo *cohors*, quod a cooriedi verbo repetendum esse tam manifestum mihi videtur, quam quod maxime. Et *cohortus* etiam apud Livium compluribus locis a libris mss. offertur, quod non debebat barbaris librariis imputare Drakenb. ad II, 30. Ceterum cf. C. L. Schneider. l. I. p. 188. sqq. — Denique *cohercet* Rom. Ge. IV, 480.

4. De *Euhoe*, *Euhantes*, *Euhadne* vid. *Eu...*

HADRIACUS, non ADRIACUS, uno, quo exstat, loco Medic. Aen. XI, 405. *Hadriano* etiam Monument. Ancyran. p. 375. Sueton. Wolf. lin. 12. et 32. vid. Schneider. l. I. p. 186. Fea ad Horat. Carm. I, 3, 15.

**HAEDUS**, non **HOEDUS**, Mediceus constanter; idem agnitum a Varrone; vid. Osann. ad Appulei. de Not. Adspirat. p. 94. adde Appulei. de Diphthongis p. 125. Vid. etiam **SCAENA**.

**HALAESUS**, **HALESUS**, **ALAESUS**. vid. V. L. ad Aen. VII, 724.

**HALARE**. vid. V. L. ad Ge. II, 217. et III, 497. Romanus A. I, 417. *alant*, *h* a recentiore manu supra scripta. *Adhelum* Vatic. Aen. VI, 48., *halitus* idem Aen. IV, 684. VI, 240.; praeterea non legitur hoc voc.

**HALCYONES**. vid. **ALCYONES**.

**HAMMON**. vid. **AMMON**.

**HARENA**, **ARENA**. Iam Varronis aetate duplicem huius voc. exstitisse formam docet Servius ad Aen. I, 172. Et *harena* cum adspiratione ubique exaratum est in Mediceo, uno loco excepto Ge. II, 106., nisi, quod veri similis videtur, Foggini diligentiam ibi fugit vera scriptura. *Harena* etiam Vatic. Ge. III, 195. ceterisque locis; item Romanus semper, ut testatur Bottar. ad Ge. I, 114. Aen. I, 172. Vid. C. L. Schneider. l. l. pag. 185. et Osann. ad Appulei. de Nota Adspirat. p. 88.

**HARUNDO** quoque cum adspiratione veterrimi libri, in quibus Mediceus, ubi semel tantum *arundo* Aen. XII, 387. Consentit cum Mediceo Vatic. et Romanus. Vid. C. L. Schneider. l. l. pag. 186. et hariolantes suo more grammaticos apud Appulei. de Not. Adspirat. p. 91. ibique Osann.

**HARUSPEX** Mediceus, non *Aruspex*. vid. Donat. ad Terent. Phorm. IV, 4, 29. Schneider. l. l. p. 186. Osann. ad Appul. l. l. p. 90. Kritz. ad Sallust. Cat. 47, 2.

**HAUD** et **HAUT**. vid. litt. D. §. 1. 2. 8. 9.

**HEBENUM** sic cum adspiratione uno, quo legitur apud Vergilium, loco Ge. II, 117. Vid. Appulei. l. l. p. 93. ibique Osann.

**HEDERA** cum adspiratione scribi in cod. Rom. refert Bottar. ad Ecl. IV, 19., quod Schulzius etiam Ecl. III, 39. testatur. Sic etiam Vatic. Ge. IV, 124. (nam semel hoc voc. legitur in hoc codice), et cod. Mediceus, excepto uno loco Ge. II, 258., ubi est *haut ederae* pro aut *hederae*, adspiratione in proxime praegressum vocabulum retracta. Consentiant fere cum his codd. grammatici; vid. Broukhus. ad Propert. I, 2, 10. Schneider. l. l. p. 185. extr. sq. Appulei de Orthograph. §. 40. ibiq. Osann. p. 65.

**HEI**. vid. **EI**.



HEIA restitui. vid. V. L. ad Aen. IV, 569. Ita etiam apud Cic. de Rep. III, 5. editur.

HERUS. vid. ERUS.

HESTERNUS, ESTERNUS. vid. V. L. ad A. VIII, 543. *hesterno* est in Rom. Ecl. VI, 15.

HIBERUS, IBERUS. vid. V. L. ad Ge. III, 408. Oudend. ad Lucan. II, 50.

HICC, HOCC. vid. V. L. ad Ecl. III, 5. Aen. II, 664.

HIEMPS, non HIEMS, constanter Mediceus, ut, quod Aen. VII, 214. relictum est *hiems*, aciem Foggini effugisse videatur; certe eo ipso loco *hiemps* exhibet Vatic., ut solet. *Hiemps* etiam Rom ubique, ut Bottar. affirmat ad Ge. I, 299. II, 519. Vid. etiam litteram P. §. 1.

HIRQUI. vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 9.

HISTER, non ISTER. vid. V. L. ad Ge. II, 497. Broukhuis. ad Tibull. IV, 146. Oudend. ad Lucan. II, 50. Schneider. l. l. p. 194. sq.

HOLUS uno, quo legitur apud Vergilium, loco Ge. IV, 130. cum adspiratione Mediceus. Et *olus* et *holus* veteres dixisse ex optimis Grammaticis cognoscitur; vid. Forcellin. Lex. sub hac voce et Osann. ad Appulei. de Nota Adspirat. p. 106. Glossae Placidi sub litt. H. p. 469.: „Holitores, holerum distractores.“ Itaque *holus* apud Vergilium retinui; contra *lusus*, qui in ipsis esse litteris videtur, suadebit, ut apud Catull. 94, 2. defendamus receptam lectionem: „Hoc est, quod dicunt: ipsa olera olla legit.“

HONOS, non HONOR. vid. V. L. ad Ecl. III, 56. cf. Zumpt. ad Cic. Verr. III, 16, 43.

HORA. Bis *ora* Medic., Ge. III, 327. et Aen. VI, 539.; praeterea *hora*.

HORDEUM, non ORDEUM, Medic. Vid. Schneider. l. l. p. 186. Buttmann. Lexilog. Vol. I. p. 198. not.

HUMOR, HUMENS, HUMIDUS, HUMESCO. vid. UMOR.

1. in E mutat. vid. ACCUSATIVUS §. 1.

2. I simplex pro duplici. vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 1.

3. I et Y. vid. litt. Y.

4. I aliquoties geminatum in cod. Vatic.prehenditur: *in-sidiis periuriique* Aen. II, 195. *Troiia* Aen. I, 473. II, 290. III, 149. 322. *Troiïus* VII, 221. Similia suppeditant Inscriptiones. Et in Mediceo Aen. IV, 598. cum scriptum sit *aiunt*, altera i minio supra est picta. Debetur ea res pronuntiationi, unde etiam factum, ut, ubi i pro consona est, praegressa syllaba produceretur. Pompeii Commentum Art. Don. p. 22.: „I littera geminari potest

tum, quando inter duas vocales est constituta in una parte orationis. Puta *Maia* — — *Aio* — — *Huius*, similia. Quotiescumque inter duas vocales invenitur *i*, pro duabus consonantibus habetur. Et hoc contingit *i* litterae tantummodo, *u* numquam contingit. “Isidor. Orig. I, 31.: „Iotacismus est, quoties in iota littera duplicatur sonus, ut *Troiia*, *Maiia*.“ Is iotacismus ab Isidoro in barbarismis, a Quintiliano I, 5, 32. in vitiis oris et linguae ponitur. Sed si verum est, ut puto, quod idem Quintilianus scribit I, 4, 11.: „Ciceroni placuisse *Aiio Maiiam*que geminata *i* scribere“, quidni idem Vergilio placuisse putabimus? Unam *i* scribi, duplicem audiri, auctor est Metrorius Maximinus p. 504.: „Hoc etiam *i* amplius praestat, quod in uno sermone inter duas vocales posita duplicis loco fungitur, ut *Troia*, *Graia*.“ Ceterum fortassis ad hanc quoque causam referenda sunt, quae leguntur apud Quintil. I, 4, 10.: „Veteres — — geminatione vocalium velut apice utebantur.“ vid. etiam Velium Long. pag. 2219. Schneider. l. l. p. 96. sq. et cf. infra litt. *U*. §. 3.

IANDUDUM, non IAMDUDUM. vid. litt. *M*.

IBERUS. vid. HIBERUS.

ID, IT. vid. litt. *D*. §. 6.

IDCIRCO Mediceus, non ICCIRCO, tribus illis, quibus apud Vergilium exstat, locis.

IDEM, ISDEM, sic semper Vergilius, *δισυλλάβως*, nusquam *iidem*, *iisdem*, aut *eidem*, *eisdem*.

IDUMAEUS, non IDYMAEUS. vid. litt. *Y*. §. 2.

ILLIM. vid. EXIM.

IMMO constanter Mediceus, non IMO. Idem vidit in Rom. Schulzius Ecl. V, 13. Recte ac ratione; brevis enim natura est vocalis *i* in hac voce, quod probat Terent. Hec. III, 4, 23.: „Immo quod constitui me hodie conventurum eum.“ adde IV, 4, 104. Bentl. ad Phorm. V, 8, 43. Quare nollem Moserum Grotefendo obtemperantem *imo* praetulisse ad Cic. de Rep. VI, 14, 1.

IN. vid. ADSIMILATIO §. 9. sqq.

INCLUTUS, INCLYTUS. vid. litt. *Y*. §. 3.

INCOHO. vid. litt. *H*. §. 2. sq.

INCREBRESCERE. vid. V. L. ad Ge. I, 359.

INCUSSARE. vid. litt. *S*. §. 2.

INTENTARE. vid. TEMPTARE.

INTIBA, non INTYBA aut INTUBA. . vid. litt. *Y*. §. 3.

INTUMUS. vid. SUPERLATIVUS.

IOLLAS, non IOLAS. vid. V. L. ad Ecl. II, 57.

ISTER. vid. HISTER.

ISTIM. vid. EXIM.

ITURAEUS, non ITYRAEUS. vid. litt. Y. §. 2.

IUPPITER geminata *p* constanter optimus quisque liber. Vide etiam Schneider. l. l. p. 426. et Fr. Haasii not. 314. ad Reisigii *Vorlesungen üb. lat. Sprachwissensch.* p. 284.

KARTHAGO, sic Medic. alique Aen. I, 13. 366.; alias *Carthago*, ut Vatic. Aen. IV, 670. Et de usu litterae *K* multi multa scripserunt, quae repetere non huius est loci ac temporis; vid. Schneider. l. l. pag. 289. sqq. adde Pompeii Comment. Art. Don. p. 31. sq. E codicibus Vergilianis haec praeterea collegi: *Volkani* Rom. Aen. XI, 439. *karissime* cod. Dorvill. Aen. VIII, 377., uti fere in cippis; *kare* idem cum Lips. utroque VIII, 581.; denique *Lukagus* libro Aeneidos decimo ubique exaratum est in Lips. obl. Illud praeterea est memorabile, quod sive Fronto sive Arusianus Messus in Exemplis elocutionum ea, quae a litteris *ca* incipiunt, omnia ad litteram *K* revocavit, in quibus sunt complura ex Vergilio petita; vid. Lindemann. Grammat. Lat. Vol. I. p. 243. sq. cf. etiam Zumpt. ad Cic. Verr. II, 8, 24. 41, 100. Equidem litteram *K* in nullo voc. revocare ausus sum, praeterquam in nomine *Karthaginis*; ita hoc nomen etiam apud Silium scribitur; vid. Drakenb. ad I, 3.

KOPTAOΣ, vox a Lexicis Graecis iniuria exsulans. vid. litt. Y. §. 3.

LABICI, LAVICI. vid. V. L. ad Aen. VII, 796. Drakenb. ad Silium XII, 534. et ad Liv. II, 39, 4.

LABOR, LABOS. vid. V. L. ad Ecl. III, 56.

LABSUS, LAPSUS. vid. litt. P. §. 2.

LACRIMA, non LACHRIMA. vid. litt. CII. — nec LACRUMA aut LACRYMA. vid. litt. Y. §. 3.

LAMMINA, geminata *m*, Medic. cum cod. Daniel. Ge. I, 143.; praeterea non legitur hoc voc. apud Vergilium. Sed adversatur forma syncopata *lamna* apud Horat. Od. II, 2, 2.

LAOCOON, LAUCOON, et similia. vid. V. L. ad Aen. II, 41. In Argumento librō II. Aeneidos in cod. Rom. praemisso legitur hic versus: *Laocoontis poenam et laxantem claustra Sino-*  
*nem*; quod vel *Laucontis* vel *Laucuntis* pronuntiatum esse apparet.

## LAURUS—LITTERAE SIBI INSID. 445

LAURUS, non LAUROS, Accus. plur. ap. Verg. vid. V. L. ad Ecl. VI, 83. Oudend. ad Lucan. I, 287.

LAVINIUM, LAVINUM. vid. V. L. ad Aen. I, 270.

LEVIS, non LAEVIS. vid. V. L. ad Aen. V, 91.

LIBET et LIBENS, non LUBET et LUBENS. vid. V. L. ad Aen. XII, 145., quo loco etiam in Rom. *libens* apparere testatur Bottar. Et cum in Medic. Aen. IX, 514. *lubat* pro *iuvat* exaratum esset, altera manus *i* et *e* litteras supra scripsit, ut fieret *libet*.

### LITTERAE SIBI INSIDENTES.

1. Litterae sibi insidentes vocantur geminatae eadem vocales, *i* quidem et *u*, sed ita geminatae, ut prior vim sustineat consonae, ut in verbo *coniicit*. In eiusmodi verbis non duplex, sed simplex *i* ab antiquis scribebatur, ut *conicit*, *inicit*, *reicit*, *Grai*, *Grais*, *obicibus*, et cetera id genus; cfr. Quintil. Inst. I, 4, 11. Gell. N. A. IV, 17. ibique Spalding. et Gronov. Heusinger. ad Mall. Theodor. c. VIII, 4. Wunder. Varr. Lectt. e cod. Erf. enot. p. XII. et ad Orat. pro Planc. p. XIII., tum Freund. ad Orat. pro Mil. p. 35. Inde factum est, ut deterioris saeculi poetae, licentius fortasse imitati Ennium, apud quem est *sibices*, corripere praegressam syllabam, ut *ädicit*, *äbicat*, etiam *Gräi*, quod quidem quomodo priorem syllabam brevem habere possit, vix ac ne vix quidem intelligere se ait Santen. ad Terent. Maur. vs. 453. Vid. Schneider. l. I. p. 287. Beier. ad Cic. Orat. pro Tullio §. 30. Doederlin. Lat. Synonymen u. Etymolog. Vol. IV. p. 9. Et sic, *conicit*, *Grai*, similiterque cetera ex constanti fere auctoritate Medicei, etiam Romani et Vaticani, ubique excudenda curavimus; vid. etiam V. L. ad Aen. XI, 625. et Pier. ad Aen. I, 532. adde Wakef. ad Lucret. III, 639. Ceterum fuerunt, qui non intellecta vocalium sibi insidentium ratione novum verbum in linguam Latinam inferrent, *dissicere*, de quo dictum est in V. L. ad Aen. XII, 308.

2. Ex iis, quae supra scripsimus, facile intelligitur, in littera *i* quidem diutissime obtinuisse hunc morem; mature autem idem neglectus est in littera *u*. Antiquiores scriptores, ubicumque sibi insidebat littera *u*, ut in *vulgus*, *servus*, non *uu*, sed *uo* scripsisse constat, ut *uolgus*, *servus* et alia eodem modo; vid. Quintil. l. I. Et sic passim in libris impressis legitur. Iam vero quaeritur, qui factum sit, ut, qui alio loco *vulgus* et similia ediderunt, iidem alio *vulgus* reliquerint? Nempe eadem discrepantia, eadem diversitas, quae in editionibus saepe nos offendit, in ipsis etiam regnat codicibus mss.; cfr., si placet, Freund. ad Cic. Orat. pro Mil. pag. 14. sqq., cuius etiam hac in re iudicium non vera nititur ratione; vid. quae scripsimus supra ACCUSATIVUS §. 5. extr. Bene sane

## 446 LITTERAE SIBI INSIDENTES.

cum orthographia veterum actum esset, si ubique scriptoris cuiusque ratio servata esset a librariis. Quid igitur? consilione quodam scriptorum ipsorum, an casu et quadam posteriorum saeculorum malignitate a librariis introductam esse in codices hanc diversitatem putabimus? Vellem me ita certo scire omnia, quam mihi persuasum est ludificari nos a bonis librariis, qui communi suae aetatis usu decepti saepe formas recentiores et antiquiores miscuerunt; ita quidem, ut interdum vix quidquam supersit, quam obscura quaedam et prope obliterata antiquae consuetudinis vestigia. Exemplorum eius rei hactenus affatim vidimus. Sed haud ita magno labore evincere me posse spero, Vergilium numquam esse passum insidere sibi litteram *u*, sed pro gemina *u*, ubicumque prior consonae vice fungatur, scripsisse *uo*, sive, ut nos solemus, *vo*. Crebrius sane legitur in Mediceo *vulgus*, *vulnus*, *divum*, alia. Sic enim ferebat usus eius aevi, quo exaratus est et hic codex et fortasse etiam is, unde ille descriptus est (neque aliter haec scribebantur Quintiliani aetate, I, 4, 11.: „nunc scribitur *uulgus* et *seruus*.“); non ita raro tamen antiqua forma in eodem visitur. Sed non ab ipso poeta promiscue utramque formam usurpatam esse, ut taceam ipsorum inter se codicum discrepantiam, facile ex iis, quae iam allaturus sum, intelligetur. Res conficitur exemplis eiusmodi e Mediceo petitis: Aen. X, 842.: „ingentem atque ingenti *vulnere* victum;“ contra XII, 640.: „ingentem atque ingenti *volnere* victum;“ Aen. II, 436.: „*vulnere* tardus;“ at V, 278.: „*volnere* clauda.“ Aen. II, 559.: „infesto *vulnere*,“ ib. 561.: „crudeli *vulnere*,“ IX, 751.: „immani *vulnere*,“ contra V, 436.: „duro *volnere*,“ VI, 497.: „inhonesto *volnere*,“ IX, 580.: „letali *volnere*.“ Porro „per *vulnera*“ Ge. IV, 218. Aen. IX, 401. XI, 647.; contra „per *volnera*“ X, 848. — Aen. XI, 432.: „*Vulscorum* de gente;“ contra VII, 803.: „*Volsca* de gente.“ — Aen. VI, 863.: „deiecto lumina *vultu*;“ at ibid. 156.: „defixus lumina *voltu*.“ — Aen. VIII, 535.: „*Vulcania* arma;“ at XII, 739.: „arma *Volcania*,“ IX, 148.: „*Volcani* armis,“ ut etiam Vatic., XI, 439.: „*Volcani* arma,“ VIII, 729.: „*Volcani* dona.“ Porro Aen. X, 543.: „*Vulcani* stirpe creatus;“ contra VII, 679.: „*Volcano* genitum;“ et VIII, 198.: „*Volcanus* erat pater.“ Denique Aen. II, 311.: „dedit ampla ruinas *Vulcano* superante domus,“ et V, 662.: „furit inmissis *Vulcanus* habenis;“ contra VII, 77.: „totis *Volcanum* spargere tectis,“ et IX, 76.: „fert commixtam *Volcanus* ad astra favillam.“ — Ge. IV, 69.: „animos *vulgi*,“ Aen. II, 119.: „*vulgi* aures;“ at Aen. XI, 451.: „*vulgi* pectora,“ Ge. III, 469.: „incautum *vulgus*,“ Aen. I, 149.: „ignobile *vulgus*,“ II, 798.: „miserabile *vulgus*,“ at Aen. XII, 131.: „*vulgus* inermum.“ — Aen. I, 65. X, 2. 743.: „*divum* pater atque hominum rex;“ contra II, 648.: „*divom* pater atque hominum rex,“ IX, 495.: „imagine pater *divom*,“ VIII, 572.: „*divom* tu maxime rector.“

Tum Aen. I, 632.: „*divum* templis,“ VII, 192.: „*templo divum*;“ contra Ge. IV, 358.: „*limina divom*.“ Denique Aen. III, 114. IV, 396.: „*divum* iussa,“ III, 717.: „*fata divum*,“ VI, 533.: „*monitu divum*,“ ib. 800.: „*responsis divum*;“ at VIII, 131.: „*oracula divom*.“ — Aen. XII, 685.: „*avulsum* vento saxum;“ contra II, 608.: „*avolsaque* saxis saxa.“ Ge. IV, 523. Aen. II, 558.: „*avulsum* caput;“ at IX, 490.: „*avolsa* membra.“ — Inprimis autem memorabile est, quod in uno eodemque versu diversa invenitur ratio Aen. IX, 439.: „*Vulcentem* petit: in solo *Volcente* moratur.“ quo quidem loco repetitio eiusdem nominis ita est comparata, ut ea ipsa res refutet istam discrepantiam; accedit testimonium cod. Rom., qui o litteram etiam in priore, *Volcentem*, agnoscit.

3. Sequantur iam cetera antiquae veraeque scripturae in Mediceo servatae exempla: *voltum* Aen. VIII, 156. *voltus* VI, 755. VII, 265.; atque huc referendum videtur etiam quod Aen. II, 539. legitur: „*patrios* foedasti funere *vultos*.“ — *volgata* Aen. I, 457. VIII, 554. *volgatur* XII, 608. *volgo* Ge. I, 476. *volgus* Aen. I, 190. et a m. pr. II, 39. (cuius rationis vestigium in nostro sermone relictum esse praeter alios vidit Beier. ad Cic. Off. I, 29, 102. \*) — *volneret* Aen. VIII, 583. *volnificus* VIII, 446. *volnus* IX, 578. XII, 420. *volnere* VI, 450. XI, 669. XII, 422. et a m. pr. XI, 817. *volnera* II, 286. III, 242. IV, 683., ut Vatic., VI, 660. VII, 182. 757. X, 29. *volneribus* II, 630. XI, 56. — *voltur* VI, 597. *Volturni* VII, 729. — *Volcani* VIII, 422. *Volcens* IX, 420. *Volcente* IX, 370. *Volsci* IX, 505. XI, 546. 801. *Volscorum* XI, 167. 898. *Volscos* Ge. II, 168. — *avolsa* Aen. II, 631. III, 575. *avolsam* VIII, 238. *avolsus* IV, 616. *convolsae* cum Fragm. Sangall. A. I, 383. *convolsum* VIII, 690. *revolsus* IV, 515. *revolsum* VI, 349. *revolsa* V, 858. *revolsas* VIII, 691. *revolsis* ib. 262. Vid. etiam Niebuhr. ad Cic. de Rep. p. 622. ed. Moser.

4. Tenuiora in aliis relictas sunt vestigia, sed quibus intrepide insistas, ut sua tandem Vergilio restituatur manus. Huc revocanda sunt, quae suppeditat Mediceus Ecl. VII, 29. *parvos* pro *parvus*, supra scripta u ab alia manu; Ge. IV, 19. *ricos* a m. pr. pro *rivus*; Aen. XII, 867. *novos* a m. pr. pro *novus*; Aen. VI, 531. *vivom* pro *vivum*. ibid. 318. *volt* et VII, 718. *voluntur*; porro Aen. II, 318. *Achivom*, VI, 504. *acervom*. IX, 631. *laevom*. X, 784. *cavom*, V, 177. *clavomque*, quo accedit ib. 852.: „*cavo-*

\*) Aliter tamen sentit Doederlin. *Synonymen u. Etymolog.* Vol. VI. p. 411.

## 448 LITTERAE SIBI INSIDENTES.

que adfixus et haerens Nusquam amittebat;“ sic ibi a m. pr., altera litteras *um* supra appinxit. His adde ex Vaticano *aevom* Ge. IV, 154.; ex Romano *voltis* Ecl. VI, 25., *parvos* Aen. V, 563. et 569., *torvos* X, 170., ubi vid. Pier., *alvos* X, 211., *saevos* XI, 220., *vivos* XII, 235., *aevom* XI, 569.; porro ex praestantissimo Gudiano *alvom* Ge. IV, 94., *aevom* ib. 154., *ignavom* ib. 168., *laevom* A. III, 420., *novom* ib. 365. (ubi *noum*, sed altera *u* supra scripta, Mediceus), *acervom* Aen. IV, 402., *fulvos* cum Pierianis XII, 247., *avonculus* III, 343., *volront* III, 196.

5. Ex his facile cognoscas multum in ea re veterrimos libros mss. inter se discrepare, quippe alio aliis locis verum tuente. Et magis etiam insignem deprehenderemus inter eosdem dissensionem, si ubique, quid in quoque scriptum esset, exploratum haberemus. *voltus* Vatic. Aen. IV, 4. et *vollu* ib. 556. et ib. 477. a m. pr.: „*volvite* tegit,“ a sec. id quod verum est: „*vollu* tegit.“ Porro Romanus *revolsam* Aen. V, 270. *Volcens* IX, 375. 451. *divom* V, 45. X, 175. et *divo* (sic pro *divom*, ut ib. 784. *cavo*.) X, 155. Denique Fragn. Sangall. *Volcani* Ge. IV, 346. His locis omnibus *u* est in Mediceo. Contra Rom. *avulsa* Aen. IX, 490. *avulsam* VIII, 238. *vulnere* XII, 422., quibus locis *o* in Medic.

6. Ut multis locis neglecta est litterarum sibi insidentium ratio, ita quibusdam male intellecta errores peperit. Hinc est, quod in Pierianis legitur Aen. V, 567. *arduos* pro *arduus*; hinc *continuos* in versu Lucani apud Eutychium, quod retinuit Lindemann. Grammat. Lat. Vol. I. p. 193. not. 28. Sunt ista, quemadmodum etiam alia, *perpetuom*, *ambiguom* ac similia, vel priscae et obsoletae Latinitatis, ut ex veterrimis monumentis cognoscitur, vel errori aut festinationi librariorum tribuenda. Nec apud Catull. LXI, 54. sq. tulerim, quod editur:

Te timens cupida novos

Captat aure *marilos*.

ubi apparet *maritos* ortum esse ex male intellecto *novos*, i. e. novus. Perperam Rom. Ecl. II, 59. *perditos*. Bis peccat Moret. pr. Aen. II, 723., in quo est „*parvus Iulos*.“ Ex vera antiquaque scriptura *parvos* repetita est, ut fieri solet, eadem terminatio in nomine subiecto; ipsum autem *parvos* ad recentiore consuetudinem revocatum. Cum autem in ipso Mediceo Aen. XI, 301.: „Praefatus *divos*“ accusandi casu recte legatur, aliena manus *u* supra scripsit, ut fieret *divus*. Ex quo potest intelligi, quam acres fuerint interdum isti homines in extinguendo colore germanae vetustatis.

7. Ut autem Vergilius duplicem *u* noluit ita geminare, ut prior consonae naturam induat, sic abstinuit eadem geminatione in litteris *quu* et pro *quu* videtur constanter usus esse *cu* litteris.

Ubiore de ipsa littera *q* eiusque usu disputatione eo facilius supersedere possumus, quod acta agere nobis videremur post ea, quae effudit C. L. Schneider. Grammat. Lat. Vol. I. P. I. p. 321. sqq. adde Wunder. ad Cic. Orat. pro Planc. pag. XIV. Mueller. ad Varron. de L. L. pag. XXXVIII. Freund. ad Orat. pro Mil. p. 31. sqq. Ac primum coniunctio *quum*, quemadmodum multis hodie scribere placet, fere ubique in Mediceo (adde, de quo id pro certo affirmari potest, Fragm. Sangall.\*) his tribus litteris scripta conspicitur *c u m*. Atque hanc ipsam formam, quam solam probat Quintil. Inst. I, 7, 5., in antiquis monumentis multo crebrius deprehendi, quam *quum* aut *quom*, recte testatur Schneider. l. l. pag. 337. Cum autem Ge. II, 321. („*cum rapidus sol*“) *curarapidus*, quod ortum est ex *cumrapidus*, a pr. m. exaratum sit, intelligitur in codice illo pervetusto, unde Mediceus descriptus est, fuisse eandem scribendi rationem, quam ipse Mediceus tuetur. Liquido tamen apparet *quom* in eodem Ge. I, 310.: „Cum nix alta iacet, glaciem *quom* flumina trudunt.“ Sed eum versum qui accuratius consideraverit, facile sibi persuadebit librarium primo scribere voluisse *que*, sed inhibito deinde in media voce scribendi impetu exarasse *quom*. Et *quom* etiam Ge. I, 361., sed *q* et *o* litteris transfossis et supra scripta *c*. Item *quom* Ge. I, 427., sed, ut testatur Fogginius, litterae ibi *q* et *o* ita abrasae sunt, ut legatur *cum*. Sic, *cum*, exstat in monumento Ancyrano pag. 371. lin. 42. edit. Sueton. Wolf, item, quo nullum gravius requiro testimonium, bis in Carmine Herculani reperto Col. V. lin. 3. et 5., etiam, ut videtur, Col. II. lin. 3. et Col. III. lin. 3. Et *quom* quamquam est antiquum, tamen tantum abest ut singularem quandam antiquitatis speciem prae se ferat, ut ita vulgo legatur in recentissimorum scriptorum Rom. libris. Qua in re illud non puto praetereundum, quod, cum in Servio Dresd. saec. XV. exarato, ubi poetae verba afferuntur, *cum*, in ipsis autem Servii commentariis *quom* plerumque scriptum invenitur. Quae cum ita sint, non potest magnum pondus habere, quod Ge. I, 98. legitur *obliquom*, praesertim cum huic ipsi scripturae refragetur Ge. III, 236. *oblicum* et Aen. V, 274. *oblicuum* expuncta altera *u*; cf. etiam quae paulo post commemorabuntur Ge. II, 225. Aen. IX, 647. XII, 128.

8. Cum illa autem forma coniunctionis *cum* consentiunt reliqua in Mediceo, ita quidem, ut, cum *quu* interdum exaratum sit,

---

\*) Item cod. Rom., quantum ex Bucolicis a Schulzio nostro pervestigatis intelligere licet. In Vaticanò legitur *quum* Ge. IV, 103. 544. Aen. II, 680. III, 51.; *quom* Ge. III, 347. IV, 97.; *cum* in Georgicis sexies, in prioribus tribus libris Aeneidos nevis, in posterioribus, a quibus *quum* et *quom* exsulat, duodevicesies.



## 450 LITTERAE SIBI INSIDENTES.

saepius tamen *cu* inveniatur, aliquoties etiam simplex *q*. Id inprimis apparet in verborum formis. *Relinquant* tantum his locis legitur: Aen. IV, 155. V, 472. (*relinquunt* Vatic. Ge. IV, 104.); dubitari potest de III, 244., ubi *relinquint*, supra *i* scripta *u*; porro *linquunt* Ge. IV, 303. Aen. III, 616. VI, 320. VII, 670., et *liquuntur* Ge. II, 187. Aen. III, 28.; *sequuntur* Aen. IX, 162. XII, 912., nam X, 799. altera *u* expuncta est. At *relincunt* Ge. IV, 104. 237. Aen. VI, 444. VIII, 125. IX, 357. X, 604., *lin-*  
*cunt* VI, 678., ubi Vatic. *linquint*; *secuntur* Aen. I, 185. 747., ubi *sequuntur* Rom., VIII, 592. IX, 54. (cum Vatic. Rom.; et Bottarius hoc loco: „Sic alibi.“) 466. 636. X, 487. XI, 92. 271. adde Vatic. IX, 162. Praeterea infinitis locis *locutus*, *secutus* per omnia genera omnesque numeros, ut etiam in Vatic., ne semel quidem *loquutus* aut *sequutus*, ne *loquutus* quidem aut *sequutus*; et *Adlocutio* constanter in nummis; *locuntur* Rom. Ecl. V, 28. Adiuvatur id, quod probandum suscepi, aliarum etiam formarum analogia; quis enim umquam scripsit aut *sequundus*, aut *conquutio*, aut *quuius*? Et tamen aut ita sunt haec scribenda, aut cetera quoque per *cu*, non per *quu*. Simplex *q* est Aen. I, 731. *loquuntur*; tum in *relinquint* Ge. III, 547. Aen. V, 316., altera *u* a recentiore manu addita (*relinquunt* eo loco etiam Rom.), *linquint* XI, 866. Ceterum *requoquunt* Aen. VII, 636., ubi alterum *quo* ex praegressa syllaba repetitum videtur; *recocunt* ibi Vatic. Iam videamus nomina. *Equus* exhibitum apud Fogginium his locis: Ge. II, 45. Aen. II, 260. 329. V, 566. IX, 50.; *equum* Aen. II, 401. X, 858., ubi a. m. pr. *aequum*. Contra *ecus* Aen. II, 113. VI, 515. XI, 89., quo loco cum legatur „bellator *ecus*.“ Ge. II, 45. „bellator *equus*“ scriptum est; porro *ecum* Ge. I, 13. (*equum* ibi Rom.) Aen. IX, 523. XI, 710. 719. 741. 770. II, 15., ubi *q* supra scripta; *equs* denique Ge. III, 499. Aen. XI, 493., ubi altera *u* supra scripta; item a. m. pr. *ego* XII, 465. Genitivus pluralis *equum* Ge. II, 542. visitur; *equom* Aen. XII, 128.; *ecum* Aen. VII, 189. De voc. *obliquus*, uti Ge. I, 239. expressum est (*obliquus* hic Rom.), supra §. 7. extr. mentionem fecimus. *Antiquus* et *antiquum* Aen. III, 15. (ubi *anticuum* Vatic.) IV, 431. XI, 316. XII, 897.; contra *anticum* V, 608. VI, 580. 648., ubi *antiquum* Vatic., IX, 266. (vid. Heusinger Obs. antibarb. p. 389.); denique Aen. IX, 647. haec leguntur: „formam tum vertitur oris *Antiquom* in Buten,“ supra *o* scripta *a*. *Propincum* Aen. II, 86. *Aequus*, sic, et *aequum* ubique; sed ad veriore formam *aequus* sive *aecus* ducit Ge. II, 225.: „Clanius non *equus* Aceris;“ hic Fogginius: „Ubi sunt puncta, inquit, videntur esse vestigia litterae *o*;“ supra scripta est altera *u*; et *aecum* edidit codicem suum secutus A. Maius Cio. de Rep. I, 21., ubi vid. not. Maii et Creuzeri, adde Beier. ad Cic. Orat. pro Tull. §. 6.

9. Huc pertinet etiam illa quaestio, *hirquine* sit scribendum an *hirci*? Servius ad Ecl. III, 8. *transversa tuentibus hircis* ita scribit: „Alii hoc improbant et legunt *hirquis*. Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum in Vitiis corporalibus.“ In quo illud mireris, quod Servius distinguit, quae sunt eadem; nam sive *hirquus*, sive *hircus* scripseris, idem est nomen, nec magis haec inter se diversa sunt, quam *equus* et *ecus*. At iam Suetonius discrimen esse voluit inter *hirquus* et *hircus*. Darem fortasse aliquid Suetonii testimonio, si is in eo ipso libro, quem laudat Servius, de differentiis vocabulorum egisset; nunc cum in vitiis corporalibus *hirquos* posuisset idque oculorum esset vitium, video eum non potuisse singulari numero uti, sed plurali debuisse, in quo sane littera *c* locum non habebat. Iam cum mature vel negligi vel etiam ignorari coeperit litterarum sibi insidentium ratio, quae certe Servium plane videtur fugisse, idemque Servius *hirquos* in vitiis corporis positos deprehendisset, inane confinxit discrimen *hircumque* et *hirquum* diversa significare statuit. Quae res si non alios quoque ante Servium deceperit, ea, quae is ad Ecl. III. l. l. scripsit, arguunt in ipsis iam veterrimis codicibus *hirquos* appellatos esse, quos postea *hircos*. Neglecta autem semel litterarum sibi insidentium ratione fieri non potuit, quin ex Nominativo, qui esset *hircus*, retineretur littera *c* etiam in iis casibus, qui haberent *i* et *o* vocales isti litterae subiectas. Recte autem in casibus obliquis hoc nomen per *q* scribi, admonere potest Adiectivum *hirquinus*, quod in quibusdam libris mss. ita exaratum invenitur; gravius est etiam illud, quod apud Festum legitur *hirquitallus* et *hirquitallire*, quod Festus non de oculorum vitio interpretatur, sed a bestiae nomine dictum esse scribit; sic enim ille: „Hirquitalli pueri primum ad virilitatem accedentes; a libidine scilicet hircorum dicti.“ quamquam nihil impedit, quominus etiam vitium illud oculorum ab aliquo more eiusdem bestiae nomen traxisse existimemus. Sed fortasse ne Festi quidem auctoritas, etsi iure habetur maxima, ut *hirqui*, *hirquos*, Vergiliana esse dicerem, mihi persuaderet, nisi ita scriptum et Pierius in quibusdam codicibus ipsius Vergilii, Ecl. III, 8., ubi vid. Burmann. Ge. III, 312., invenisset, et deprehendissem ipse in optimo Vaticano Ge. III, 312. Quae cum ita sint, non dubitavi eam huius vocabuli formam restituere Vergilio. — De *Arcus*, *Arqui*, vid. Lambin. et Moser. ad Cic. de Nat. Deor. III, 20.

10. Vidimus iam, ut Ge. III, 499. Aen. XI, 866. XII, 465., pro littera *c* vel *qu* interdum *q* positam; accedunt huc Aen. I, 47. *quisqam* pro *quisquam*, IX, 781. *inquit* pro *inquit*. Ita factum est, ut etiam *qui* pro *cui* scriptum sit et in Mediceo et in Romano Aen. VI, 313.; in illo tamen *c* supra scripta. Ea res me admonet, ut pauca addam de forma tertii casus pronominis

## 452 LITTERAE SIBI INSIDENTES.

relativi. Et *quoi*, quod Ciceroni restitutum iverunt Niebuhr. Cic. Oratt. Fragmm. p. 61. sq., Wunder. Varr. Lectt. ex cod. Erfurt. enotat. p. LXXX. Orat. pro Planc. p. XXII., Beneckius ex uno recentissimo cod. Monacensi Orat. de Inper. Pompei c. 1., Ellendtius de Orat. I, 22, 102., est in Medic. Ge. I, 344., sed transfixis litteris *q* et *o*, supra autem adiecta *c*, ut fiat *cui*; *quoi* e Pierianis retinuit Heynius Ge. III, 147., quod et hoc ipso loco et Ge. III, 6. atque IV, 113. exstat in Vaticano; et in eodem cum Ge. III, 211. quo primum scriptum fuisset, altera manus *i* appinxit, ut existeret *quoi*; Aen. I, 267. autem quo antiqua manus mutavit in *cui*.\*) Quid igitur? restituendane haec forma ut Vergiliana? Haud dixerim illud obstare, quod praeterea infinitis locis *cui* in libris Vergilii mss. invenitur. At primum possis mirari, quod, si *quoi* verum sit, nullum exstet vestigium, quod etiam *quoius*, quam formam e cod. Monacensi admodum recenti Beneckius intulit in Cic. Orat. de Inp. Pomp. c. X., et *quonium* a Vergilio scriptum probet; atqui *quoi* si scripsit, necesse est etiam *quoius* et *quonium*, non *cuius* et *cuium*, scripsisse. Quid vero, si cuidam honori antiquitatis hoc tribuit Vergilius, ut retineret *quoi*? Ego vero quid in hoc antiquum sit, fateor me ignorare; nam et in Monumentis non nimis antiquis invenitur haec forma, et Quintiliano puero, ipso improbante, ita loquebantur; Instit. I, 7, 27.: „Illud nunc melius, quod *cui* tribus, quas proposui, litteris enotamus; in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum *qu* et *oi* utebantur, tantum ut ab illo *qui* distingueretur.“ Quo loco iure mireris, quod Quintilianus, si probatissimos auctores, ut Vergilium et Ciceronem, ita scripsisse vidisset, nihil haberet, de ea re quod diceret, nisi se puero fuisse, qui ita vel loquerentur vel scriberent. Facile autem inde intelligitur, quomodo haec forma in libros mss. irrepere potuerit. Nam cum illa quinquies aut sexies omnino in Mediceo ac Vaticano conspiciatur, non sine aliqua causa evenisse videtur, ut quinquies in Georgicis locum habeat. Quare, opinor, haud iniuria conicias, ipsa Georgica ex codice aliquo illa ipsa aetate, quam indicat Quintilianus, exarato transscripta esse in Mediceum et Vaticanum. Sed idem Quintilianus testimonium edidit antiquissimum, quod valeat ad germanam huius vocis scripturam comprobendam. Is enim Ecl. IV, 62. ita exaratum vidit: „*Qui* non risere parentes;“ ubi fallitur magister disertissimus, quod *Qui* nominandi casum esse putat nec idem illud esse sentit, quod *Cui*; vid. etiam Schneider. p. 333.; non potuisset falli, si *Quoi* apud Vergilium eo loco scriptum fuisset. Iam vero cum perspecta litterarum sibi insidentium ratione Vergilio *cu* pro *quu* ubique restituendum esse intellexerimus, non dubita-

\*) *cui* praeterea ubique in Aeneide Vaticanus, i. e. decies.

bimus, quin eidem, ut *cuius*, *cuium*, ita etiam *cui*, quod factum est ex *quui*, scribere placuerit.

11. Ceterum in hoc quoque genere, ut in priore, cfr. §. 1. extr., produnt quaedam male intellectae huius rationis vestigia et lapides et nummi, ut *Paquius*, *Flaus*, *Daus*, *iuventus*, *Iuentius*, *ingenus*, pro *Pacuvius*, *Flavus*, *Davus*, *iuventus*, *Iuventius*, *ingenuus*; vid. Eckhel. Tom. V. p. 213. et 265.; nisi forte compendii causa haec ita scripta sunt. *iventa* et *iventus* etiam cod. Vatic.; vid. Varias Lectt. in Praefatione ex eo enotatas Aen. V, 134.

LITUS constanter antiquissimus quisque liber, non LITTUS; vid. V. L. ad Aen. VII, 1. „*Litore*, sic semper Rom.“ ait Bottar. ad Ecl. I, 61. Idem ad Ge. I, 398.: „*Litore*, sic ferme semper.“ Unde intelligitur, quam vim habeat illud *ferme semper* apud Bottar.; nempe idem est, quod *semper*.

LOQUELLA. vid. QUERELLA.

LYRNESUS, LYRNESSUS. vid. litt. S. §. 1.

*M* littera in compositis ante *d* mutatur in *n*. Constanter in Mediceo exaratur *Iandudum*,\*) *Eundem*, *Eandem*. Sed eadem constantia *m* ante *q* litteram retinetur, ut *Quamquam*, *Quicumque*, *Umquam*; sic etiam in Vatic. et Rom., nisi quod ex hoc *unquam* affertur Ecl. I, 36., ex illo *quicumque* Aen. IX, 209. Retinetur tamen *m* ante *d* in iis compositis, quorum prior pars est *circum*, ut *circumdo*, non *circundo*.

MAECENAS. vid. V. L. ad Ge. I, 2. Broukhus. ad Propert. III, 7, 1. Drakenb. ad Silium X, 40.

MAERERE et MAESTUS, non MOERERE, MOESTUS, constanter Mediceus adstipulante Vaticano; *Maestus* etiam e Fragm. Sangall. affertur, et a Schulzio e Rom. Ecl. I, 37. vid. CAENUM.

MANLIUS, MALLIUS. vid. V. L. ad Aen. VIII, 652.

MANUFESTI Vatic. apud Bottar. Aen. III, 151.

MARRUVIUM, MARRUBIUM. vid. V. L. ad Aen. VII, 750.

MAXUMUS. vid. SUPERLATIVUS.

METUS, METIUS, Fuffetius. vid. V. L. ad Aen. VIII, 624. et Praefat. huius quinti Voluminis in Indice novarum quarundam

\*) Semel legitur haec vox in Vatic. Aen. IV, 1., ubi *iandudum* est apud Bottar.

Lectt. Varr. ex Mediceo enotatarum, quae olim Vaticano a me falso tributae sunt. Gentile nomen est *Metius* vel *Mettius*, de quo agit Oudend. ad Sueton. Vespas. c. 14. Vid. omnino Weichert. Poet. Latt. Reliqu. p. 334. sq. not.

MEZENTIUS, MEZZENTIUS. vid. V. L. ad Aen. II, 763. *Mezentius* Fasti Praenestini p. 326. Sueton. Wolf.

MILLE, MILE, MILLIA, MILIA, haec promiscue in libris et mss. et impressis inveniuntur. *Millibus* Rom. Aen. V, 75., ubi addit Bottar.: „alibi quoque.“ Ecce autem mirificam Medicei praestantiam, planissime docentis, quid in ea re sequendum sit. Is enim cum exhibeat *mille* constanter, contra pari constantia *milia* offert et *milibus*, si ab uno loco discesseris, Aen. XI, 167, ubi *mellibus* a m. pr., sed altera *l* transfossa atque etiam puncto notata, *e* praeterea in *i* conversa; quare is ipse locus tantum abest ut labefactet scripturam ceteris locis diligentissime servatam, ut stabiliat contra et confirmet. Ex Vatic. editur *mille* Aen. I, 499. II, 198., *millia* Ge. IV, 473., *milia* Aen. V, 806. IX, 132., *milibus* Aen. I, 491. Pompeii Comment. Art. Don. XIV, 4. p. 172.: „De isto *mille* tractavit Plinius Secundus. In numero singulari duplici *l* scribitur et non declinatur; in numero plurali unum *l* habet et declinatur: *milia*, *milium*, *milibus*.“ et explicatius idem ibid. XVII, 12. Cledonius p. 1901.: „Dicimus, ait, *milla* homines docuit, et, *mille* hominum magister; in plurali vero declinatur *milia*, *milium*, *milibus*, uno *l* sublato.“ vid. Cellar. Orthograph. Lat. pag. 288. sq. edit. Harles. Schneider. l. I. p. 412. et quos laudat Fr. Haasius not. 314. ad Reisigii *Vorlesungen üb. d. lat. Sprachwissenschaft*. p. 284. Sed cum omnibus in rebus plurimum laevis ratio sibi postulet, certe nihil eiusmodi statim admittendum, in quo ratio appareat nulla. Necesse est igitur exilem quendam visum fuisse Romanis sonum vocabuli *mile* sic scripti. Vix autem dubites, quin media quodammodo fuerit inter longam et brevem vocalis *i* in *mille*, proptereaque firmata sit ea syllaba per geminatam consonam; eadem autem syllaba cum tertium a fine locum occupat, ipsa maiore, quae est in vocabulo dactyli mensuram habente, elatione vocis ita corroborata fuerit, ut non opus esset ad eam producendam duplici consona. Sed non ab omnibus observatum esse hoc discrimen, videtur monumentum Ancyranum indicare, in quo, si verum loquuntur apographa, ubique exstat *millia*. Eadem autem, quae inter *mille* et *milia*, intercedit inter *villa* et *vilicus* ratio, inter *annus* et *annulus*; vid. Schneider. l. I. p. 422. Et *villa* quidem cum legatur in Cic. de Rep. reliquiis, *vilicus* in iisdem exhibetur I, 38. 39. et V, 3. bis, ubi etiam *vilicare*. Vid. etiam Wunder. ad Cic. pro Planc. pag. 168. Kreyssig. Adnotatt. ad Liv. Fragment. l. XCI. lin.

106. p. 419. et Fr. Haas. l. supra laud. \*) Praeterea vide supra *Belua*, ut est apud eundem Cic. de Rep. II, 26. III, 33.

MIS, i. e. *mei*, Quintilianus apud Vergilium invenit; vid. V. L. ad Ecl. VII, 54. Lindemann. ad Plaut. Mil. IV, 2, 43.

MOERORUM, i. e. *murorum*. vid. V. L. ad Aen. X, 24.

MONSTRUM, MOSTRUM. vid. litt. N. §. 4.

MONUMENTUM. Retinui hanc formam, analogiam secutus; similiter enim *documentum* scribitur, non *docimentum*; quamquam utramque scripturam apud veteres in usu fuisse, et lapides probant et Grammatici; et utraque visitur in Mediceo, *monumentum* quidem Aen. III, 102., ubi Vatic. *moniment.*, 486. IV, 498. cum Vatic., VI, 512. cum Vatic., XII, 945.; *monimentum* V, 538. VI, 26.; ubi *monumentum* Vatic., VIII, 312. 356., et tribus, quos posui extremos, locis ita etiam Rom.; hoc probat Wakef. ad Lucret. V, 312.

MURRA, non MURRHA aut MYRRHA. vid. litt. Y. §. 3.

MYRTEUS, MURTEUS. vid. litt. Y. §. 3.

MYRTUS Nominat. plural., Accusativus MYRTOS. cfr. V. L. ad Ecl. VII, 6.

N littera.

1. vid. ADSIMILATIO.

2. vid. litt. M.

3. N non geminatur in *conexus*, *conixus* et *conubium* auctoribus Mediceo, Vaticano, Romano aliisque libris veterrimis, Livii quoque; vid. Drakenb. ad IX, 43, 23.; quare non dubitavi hanc rationem revocare. Gell. N. A. II, 17.: „*coligatus* et *conexus* producte dicuntur.“

---

\*) Quae cum ita sint, parum probabilem putabimus causam a Plinio in libris dubii sermonis allatam, cuius disputationem servavit Pompeius Comment. Art. Don. XVII, 12.: „Et quid est hoc, quare illud (*milia*) per unum *l* profertur et illud (*mille*) per geminum *l*? Ratio hoc exegit declinationis. Nam si dixeris *hoc mile*, cogo te declinare et incipis dicere *hoc mile*, *huius milis*, *huic mili*. Quod non facile invenies. Qua ratione autem cogo te declinare? Si dixeris *mile*, quoniam nominativo invenitur unum *l*, declinatur ipsum nomen. Inde *milia* declinamus, quoniam istud unum *l* habet. Ergo ideo non possumus in numero singulari dicere *hoc mile*, ne cogamur ad declinationem; ideo autem in numero plurali per unum *l* profertur, quoniam invenitur declinatio.“

4. *N* saepe in mediis vel extremis vocabulis ante litteram *s* interseritur, ut in *mensus*, quod fit a *melior*, et *totiens*. Quod si quaeritur quare factum sit, ea videtur eius rei fuisse causa, ut indicaretur, circumducendam esse sive producte pronuntiandam praegressam vocalem. Certe *in* et *con* ante *s* in compositis producebant veteres; Cic. Orat. c. XXXVIII, 159.: „*Indoctus* dicimus brevi prima littera, *insanus* producta.“ Gell. N. A. IV, 17.: „neque *ob* neque *sub* praepositio producendi habet naturam; neque item *con*, nisi cum eam litterae sequuntur, quae in verbis *constituit* et *confecit* secundum eam primae sunt.“ Vid. etiam Schneider. l. l. p. 463. Hinc eiusmodi nomina a Graecis per  $\omega$  scribuntur; vid. Schneider. p. 109. Ipsa autem *n* littera in eo genere verborum non audiebatur; Quintil. I, 7, 29.: „*Consules* exemta *n* littera legimus.“ Unum ille suo scilicet more posuit pro toto genere. Hinc *Cos.* et *Coss.* vulgo scribitur; *Cesor* pro *Censor* et *consesus* pro *consensus* est in Epitaphiis Scipionum; hinc *praegnas* fortasse pro *praegnans*, de quo dicitur, cum ordo litterarum nos ad hoc ipsum voc. deduxerit; hinc e *monstro* natum *mostellum* et *Mostellaria*, in quibus syllaba *mo* cum in tertiam quartamque sedem recessisset, factum est, ut mutato tenore non circumflecteretur, ut in primigenio; hinc denique crebra illa confusio participiorum et secundae personae verborum ...*as* et ...*es*, cfr. V. L. ad Ge. IV, 239.; alia exempla vide ap. Schneider. l. l. p. 458.; quaedam infra §. 8. afferuntur; de voc. *isicium* pro *insicium* vid. eund. Schneider. p. 565.; denique idem probat Graecorum ratio κλήμης, i. e. *clemens*, πόδης, i. e. *pudens*, Οὐάλης, i. e. *Valens*, Ὁρτήσιος, i. e. *Hortensius*, scribentium, sicut etiam mos hodiernae Italiae *mese* loquentis et *sposa*, et *isola*, quae orta sunt ex *men-sis*, *sponsa*, *insula*, multaque id genus alia; vid. Schneider. p. 462. Non fuisse tamen in his omnibus *n* litteram ita apud Romanos extritam, ut eam ne scriberent quidem, ab iisdem Graecis discimus, qui illam non uno loco ante *s* servarunt in Romanis nominibus; exempla, ut πότινς, i. e. *potens*, σάπινς, i. e. *sapiens*, Ῥαμνήνσης, i. e. *Ramnenses*, proposuit idem Schneid. eod. loco et p. 112.; confirmatur haec res Latino exemplo, nam *mensus*, quod fit a *mēlior*, non *mesus* vel *messus*, (quamquam ita pronuntiatum videtur, de qua re statim dicemus) scribebant Romani. Contra quae praegressam syllabam brevem haberent, ut *māneo*, *mānsi*, consentaneum est ita pronuntiata esse, ut *n* audiretur; nec ullum novi exemplum litterae *n* etiam in his elisae.

5. Inde etiam hoc intelligi potest, cur quaedam vocabula, extrita *n* littera, *s* geminarint, ut *passus* dixerunt pro *pansus*, quod quidem nemo ita scribit, nisi in compositis *dispansus*, *expansus*; vid. Gell. N. A. XV, 15. Nam ipsa etiam littera *s* saepe hanc vim habebat, ut geminata circumducendam esse praegressam.

vel longam vocalem vel diphthongum significaret; de qua re plura dicentur, cum ad hanc litteram processerimus. Exemplo esse potest, quod crebro *mensis* et *messis* aliaque similiter in libris mss. permutantur; *infessi* Medic. a m. pr. Aen. V, 587. pro *infensi*; *consensum* Medic. a m. pr. Aen. V, 577. pro *consessum*, et *consensum* pro *consessum* Rom. Aen. V, 340. VIII, 636.

6. Iam si quaerimus, quae sit in hac re veterum Grammaticorum, Monumentorum codicumque mss. antiquissimorum auctoritas, alia ex usu veterum scriptorum recte interpositam habere litteram *n* iudicabimus, alia secus. De illis ut primum dicamus, satis superque confirmata sunt *Quotiens* et *Totiens*; ita constanter Mediceus et Romanus, quibus accedit Fragm. Sangall.; nam Vaticanus omnibus locis, quibus haec adverbia leguntur, mancus est; legitur tamen in Vatic., quamquam in hoc quidem litteram paenultimam transfodit antiqua manus, et in Rom. *noviens* Ge. IV, 480., quod et hoc loco et Aen. VI, 439. recipiendum duxi, etsi apud Fogginium *novies* est utroque loco; vid. Schneider. ad Caes. B. G. I, 43, 7. Semper autem numeralia *ns* habent in Monumento Anycyrano, ut *deciens*, *vigiens*, *sexsiens*, *milliens*, *quadragiens*, etiam *quadragensimum* pag. 370. et *duodevicensimum* pag. 372. ed. Sueton. Wolf. vid. etiam Muret. ad Cic. Philipp. II, 18. Schneider. l. l. pag. 459. Freund. ad Cic. Orat. pro Mil. p. 23. Zumpt. ad Cic. Divinat. in Caecil. c. XIV, 45. Item *Tunsus* est in Mediceo, non *Tusus*, similiterque composita; vid. V. L. ad Ge. I, 262. Arntzen. ad Panegyrr. vett. pag. 501. Cramer. ad Commentar. vet. in Iuvenal. p. 324. sq. Fr. Haasius in not. ad Reisigii *Vorlesungen üb. lat. Sprachwissenschaft* p. 253. *obtunsi* etiam Rom. Ge. I, 262. 433. III, 135. Aen. I, 567.; *tusis* tamen idem Ge. III, 133. Denique *Atlans*, non *Atlas*, ubique Mediceus, vid. Aen. I, 741. IV, 481. VI, 797. VIII, 136. 140. 141.; atque sic etiam Rom.; *Atlas* uno, quo in Vaticano legitur hoc nomen, loco proposuit Bottar., nescias qua fide. Et fortasse ob antiquam eius nominis famam retenta est a Vergilio etiam antiqua scriptura. Praeterea *Agragans* in eodem Mediceo Aen. III, 703., et ipsum, ut *Atlans*, geographicum nomen, quare hoc, etsi *n* in *Agragans* puncto notata est, servandum duxi. Nec spreverim codicum optimorum auctoritatem prae doctrina Servii ad Aen. I, 359.: „*Thesauros*: Hoc nomen *n* non habet, sicut *Atlas*, *Gigas*, *Thoas*, *Abas*, *Pallas*, licet in obliquis casibus inveniatur.“ Cetera non habent litteram *n* interpositam in veterrimis codd., nec illa, quae Servius omisit, *Acamas*, *Calchas*, *Dymas*. *Pallans* tamen in codd. quibusdam se invenisse scribunt Pierius ad Aen. VIII, 104. et Cort. ad Lucan. VI, 208.

7. Ceterum parum probabiliter quidam, in his iam Seb. Corradus, vir praestantissimus, ad Cic. Brutum p. 6. et Vossius in



Etymolog. p. 520., ita disputant, ut dicant a librariis saepe *n* esse interiectam apicum ratione deceptis. Et de hoc apicis usu vid. Schneider. l. l. p. 95. Ritter. Elem. Grammat. Lat. p. 86. sq. Cur igitur, cum omnis longa recipere posset apicem, vid. Quintil. I, 7, 2., librarios tantum ante *s* istam litteram interposuisse statuimus; aut si nescio qua causa id facerent, cur non in omnibus vocc. fecerunt, quorum aliqua ex mediis vel extremis syllaba, praecedente longa, a *s* inciperet? Sed ne auctoritatem summi critici iniuria praeterisse videar, etiam Oudendorp. ad Appul. Met. l. VIII. p. 583. litteram *n* ante *s* in eiusmodi vocc. inculcatam putat a librariis, quod ut in quibusdam verum esse concedo, ita, ut modo vidimus, non est in aliis. Iam illa persequar, quae vitiosa in hoc genere videntur. Et *Formonsus* quidem, non *Formosus*, ubique Romanus, Ecl. II, 1. 17., quo loco *n* ab alia, sed minus antiqua, manu transfixa est, 45. III, 57. 79. IV, 57. V, 44 bis. 86. 90. X, 18.; sed idem in feminino genere *Formosa* sine *n* littera, Ecl. I, 5. Ge. III, 219., qua in re casum nescio an consilium mireris; *Formosa* etiam Medic. extremo loco, item *Formosus* Ecl. X, 18., reliqua enim non habet quippe mancus in prima parte. Porro *Thensaurus* Aen. I, 359., ubi vid. Pier., est in Mediceo aliisque, at Ge. IV, 229. *Thesaurus*; utroque loco *Thensaurus* Rom.; vid. etiam Drakenb. ad Liv. XXXIX, 50, 3. Reiciunt *Formonsus* et *Thensaurus* Servius cum aliis Grammaticis vett.; vid. Schneider. l. l. p. 457. Recte, puto. Certe nullum exstat, ac ne minimum quidem, eius rationis vestigium in ceteris adiectivis in easdem syllabas exeuntibus, ut in *aquosus*, *frondosus*, *lapidosus*, *saxosus*; nisi quis forte dicat admirationi pulchritudinis hoc essetribuendum, ut Romani productionis illud circumflecterent, quam cetera eiusdem generis. Nec crediderim nomen Graecum appellativum (nam istorum *Atlans* et *Acragans* alia est causa) et multo usu tritum, quale est *thesaurus*, ut ita deformaret, a se impetrare potuisse Vergilium. Restat *semensam*, quod cod. Gudian. habet itemque a m. pr. Medic. Aen. III, 244., tum Romanus Aen. VIII, 297., quo quidem loco improbat hanc formam Servius. Denique *Conse* pro *Cosse* Rom. Aen. VI, 842.

8. Superest, ut quae in antiquissimis libris exstant omissae ante *s* litterae *n* exempla in medium proferamus: *mostra* Medic. Aen. III, 583.; idem *mostrum*, sed supra scripta *n*, Aen. III, 26. et *mostrator*, item *n* supra adiecta, Ge. I, 19.; denique *mostro* Rom. Ge. III, 152.; *trastis*, sic, pro *transtris* Rom. Aen. V, 136. et *trastris* a m. pr. Fragm. Vatic. Aen. IV, 573.; *permesi* Medic. Aen. III, 157., ubi Servius: „Multi *permensi* sine *n* legunt.“

9. ...*N* interrogativum, ut in *Pyrrhin c.*, *Tanton m.*, vid. V. L. ad Aen. III, 319. VI, 780. Postquam codices distinguere

Romani coeperunt, coepta est adiici apostrophus (vid. Pompeii Comment. Art. Don. V, 14. et 15. p. 78. sq. adde Schneider. l. l. p. 177.); quae tamen nulla est in Mediceo.

NANCTUS. Serv. ad Aen. I, 481.: „Sciendum tamen est — — — *nactus* et *passus* n penitus nusquam accipere.“ Ita tamen, *nanctus*, Rom. et Mentel. pr. Aen. IX, 331. porro idem Rom. VII, 511. XII, 749. denique Gud. Ge. IV, 77. vid. Drakenb. ad Liv. XXIV, 31. Burmann. et Oudend. ad Sueton. Iul. c. XI. C. L. Schneider. l. l. p. 463. et C. E. C. Schneider. ad Caes. B. G. III, 36, 3.

NE. vid. litt. N. §. 9.

NEC, NEQUE apud Vergilium et Ciceronem. vid. Quaest. Virg. XXXII.

NEQUIQUAM, NEQUIDQUAM. Ubique *quicquam* per *c* exaratum in Mediceo invenitur, cfr. Aen. IV, 317. VIII, 140., ubi *cuiquam* Rom., XI, 415. 437. XII, 45. 882. Ge. IV, 447.; idem Schulzsius enotavit ex Rom. Ecl. III, 32. V, 53. vid. Schneider. l. l. pag. 501. sq. Varie contra in eodem scribitur adverbium *nequidquam*. Et ea quidem forma, quam modo repraesentavi, nusquam conspicitur in Mediceo, sed ubique vel *nequicquam* vel *nequiquam*.\*) Verum autem esse *nequiquam* primum exemplorum copia probat: Ge. I, 96. Aen. II, 510. 770. III, 677. 711. IV, 209. V, 81. 256. 276. 392. 632. 791. 860. VI, 118. VII, 441. 589. VIII, 232. IX, 219. 364. X, 122. 554. 605. XI, 536. 716. XII, 403. 486. 517., quibus adiunge XII, 634., ubi *nequequam* a m. pr. exstat, *e* in *i* mutata, et XII, 909., ubi *nequiquam*, sed *c* supra scripta. Porro haec forma eo quoque defenditur, quod saepe, ubi *nequicquam* legitur, littera *c* transfixa est: Aen. II, 101. 515. 546. VII, 373. VIII, 370. Denique accedit consentiens cum Mediceo Vaticani et Romani auctoritas. Bottarius pag. 185. l. 21.: „*Nequiquam*: ita scriptum multoties in cod. Vat.“ nempe quater, i. e. quoties exstat in hoc codice, Aen. III, 677. V, 791. VII, 441. IX, 219. Idem ille de Romano affirmat ad Ge. I, 96. et 403. Integrum restat, si integrum licet appellare (de quo statim dicetur), *nequicquam* in Mediceo Ge. I, 192. IV, 38. 501. Aen. V, 433. VII, 652., semel etiam *necquicquam* Ge. I, 403., sed utraque *c* transfossa; et *nequiquam* ibi Roman. *Nequiquam* etiam optimi codd. apud Livium; vid. Drakenb. ad libr. XXXX, 47, 9. Rationibus per se non improbabilibus *nequidquam* defendit Gronov. ad Liv. XXXXII, 64., cui obtempe-

\*) Nomen est, non adverbium, *nequidquam*, sed ad declarandam dantaxat originem vocabuli *nequam* propositum, apud Varron. de L. L. X, 5. Cic. Tuscul. Disp. III, 8.

randum sibi putavit Schneider. ad Caes. B. G. II, 27, 3., etsi ibi quoque antiquissimi libri mss. tuentur *nequiquam*. Quid autem, si non eiusdem originis sunt *nequicquam*, sive *nequidquam*, et *nequiquam*, et illud ex *ne* et *quidquam*, hoc ex *ne* et *quiquam*, antiquo ablativo, ortum putabimus? Quod si ita est, significatione etiam diversa antiquioribus temporibus fuisse statuemus, sed usu, ut fit, confusa esse. Hoc certe apertum est, *nequidquam* duo significare, et *frustra* et *sine ratione*; hoc erit *nequiquam*, illud *nequidquam*; nec, si severiores esse volumus, locum habere poterit *nequidquam* Ge. IV, 37.: „Utraque vis (aestus et frigus) apibus pariter metuenda, neque illae *Nequiquam* in tectis certatim tenuia cera Spiramenta linunt;“ nec *nequiquam* ibid. 501.: „Prensantem (Orpheum) *nequidquam* umbras,“ nempe ereptae Eurydices. Verum, ut dixi, plurimum sibi usus vindicat, quo fit, ut interdum etiam abusus vim legis ac regulae accipiat. Cum autem inanem esse conatum Vergilianae consuetudinis ad illud significationum discrimen exigendae primo statim tentamento intelligas, potius ita existimabimus, Vergilium ubique scripsisse *nequiquam*, sive *frustra* valeat sive *sine ratione*. Festus: „*Nequiquam* significari idem, quod *frustra*, plurimis auctorum exemplis manifestum est.“ cuius auctoritatem nolim a Doederlinio *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. III. p. 101. spretem. Praeterea vid. etiam Oudend. ad Lucan. II, 491. et quos idem laudat, tum Drakenb. ad Liv. XL, 48, 9. Carrion. ad Valer. Fl. I, 287.

NI, NISI. vid. V. L. ad Aen. V, 49.

NIL. vid. V. L. ad Aen. X, 54.

NIXUS participium, et NISUS. Illud probat crebra confusio cum participio *nexus*; et *nixus*, *adnixus*, *conixus*, *obnixus*, *enixa*, sic ubique Mediceus; idem, quod et ipsum litterae *x* favet, *fixus* pro *nixus* Aen. XII, 398. *conisus* affertur ex Romano Aen. IX, 410. Serv. ad Aen. I, 144.: „*Adnixus* antiquum est, ut *connixus*, quibus hodie non utimur; dicimus enim *adnixus* et *connisus*.“ Sed substantivum eadem constantia per *s* exaratum in Mediceo, *nisu*, Aen. III, 37. V, 437. XI, 852. Itaque hoc discrimen servandum duxi; sed ne illud quidem sollicitaverim, quod Ge. IV, 199. editur *nixibus*. Apud Silium Heinsius *s* in participio retinuit; vid. Drakenb. ad II, 123.

NOMINATIVUS in ...om et ...os. vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 4. et 6.

NOVIENS. vid. Litt. N. §. 6.

NUMQUAM, NUNQUAM. vid. litt. M.

NUNTIARE, NUNTIUS, ubique per *t* cum optimis libris Medic., quamquam Lindemanno iudice Grammat. Lat. Vol. I. p. 170.

not. 26. *c* commendare videtur origination; cfr. etiam Doederl. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. V. p. 105. sq.

OB. vid. ADSIMILATIO §. 16 — 18.

OBESSUS. vid. litt. *S.* §. 2

OBSCENUS, OBSCAENUS. vid. voc. SCAENA.

OBSTIPESCERE, (*Opstipescere*, vid. ADSIMILATIO §. 18.) non OBSTUPESCERE auctoritate antiquissimi cuiusque codicis et apud Vergilium et apud alios scriptores commendari scribit Heinsius ad Aen. I, 513. Atque ita per *i* ubique exaratum hoc verbum in Mediceo, nisi quod uno loco, Aen. XII, 665., *obstupuit* est apud Fogginium; servat *i* in hoc verbo constanter Vaticanus; *obstipuere* Fragm. Sangall. Ge. IV, 351., *obstipuit* Rom. Aen. I, 513. 613. V, 90., ubi, sicuti etiam Aen. VIII, 121., Botarij haec addit: „Sic alibi.“

OCCASSUS. vid. litt. *S.* §. 2.

OLLI, OLLIS. vid. Quaest. Virg. XXI, 9.

OLUS. vid. HOLUS.

...ON et ...O, terminationes Nominum proprior. III. Declinat. vid. V. L. ad Aen. VIII, 506.

ONITES, non ONYTES. vid. litt. *Y.* §. 2.

ONUS, ONEROSUS, ONUSTUS, sine adspiratione ubique Mediceus. Vid. Gell. N. A. II, 3. Not. ad Appulei. Vol. II. p. 290.

OPTUMUS. vid. SUPERLATIVUS.

ORA. vid. HORA.

ORONTES, Genit. *Oronti*, Accusat. *Oronten*. vid. V. L. ad Aen. I, 113.

...OS et ...ON, terminatio Nominum Graecorum II. Declinat. vid. Quaest. Virgil. IV.

OSTIA, semel HOSTIA Medic. Aen. I, 14., item semel Rom. Aen. I, 400. Ex cod. Erfurt. *hostiense* affert Freund. Orat. pro Mil. pag. 42.

OTIUM sic per *t* constanter Medic.

P. 1. *P* littera ubique in Mediceo et Vatic. mediis verbis interponitur inter litteras *m* et *s* vel *t*; eamque rationem probant veteres Grammatici; v. Schneider. Gr. Lat. p. 466., C. E. C. Schneider. ad Caes. B. G. I, 7, 4. Reisigii *Vorlesungen üb. d. lat. Sprachwiss.* p. 282. sq., qui durius quidpiam sonare *consumtum*, mollius sua-

*viusque consumpium* recte iudicare mihi videtur; etsi Handius *Lehrbuch d. lat. Stils* I. II. c. 1. §. 5. eundem fuisse utriusque sonum arbitratur. Itaque scribendum *comptus*, *emptus*, *sumptus*, *sumpsi*, et quae sunt eiusdem generis. Hinc ex eiusdem codicis fide Aen. VII, 565. *Ampsanti* exarandum curavi, atque ita editur dudum apud Cic. de Divinat. I, 36. *Contemnor* est a m. pr. in Medic. Aen. VII, 648., at *Contemptor* VIII, 7. IX, 205. — Vid. etiam voc. *Templare*.

2. *P* an *B* ante *s*? *Lapsus* an *Labsus*? Retinui vulgarem consuetudinem in his similibusque vocibus, ea maxime de causa, quod etiam in compositis ante *s* Vergilius tenui littera *p*, non media *b*, usus videtur; vid. ADSIMILATIO §. 18.; quamquam non desunt exempla contrarium probantia; legitur *labsus* in Medic. Ge. III, 457. Aen. II, 262. V, 86. 216. VI, 202. VIII, 664. XII, 249. *delabsus* Aen. V, 518. 838. *dilabsus* Aen. IV, 705. *elabsus* Aen. V, 326. *sublabsus* Ge. I, 200. *conlabsus* Ge. III, 485. Aen. IV, 664. IX, 434. Et videntur haec ea, qua codex Medic. exaratus est, aetate mollius esse pronuntiata; quod ex ipsis veterrimorum librorum mss. vestigiis conicere posse mihi videor. Aen. VI, 602. in Mediceo exstat *lausura*, transfixa tamen priore litterae *u* virgula, alteri autem appicta linea in hami formam circumflexa, ut *p* existat. Vix autem dubium esse potest, quin eo loco librarius *labsura* scribere voluerit, sed molliore, quo ipse haec pronuntiare consueverit, sono deceptus exaraverit *lausura*. Apertius etiam id, quod dixi, declarare videntur eiusmodi vitia, qualia sunt in Vatic. Ge. III, 7. *Pelobs* et Aen. IV, 300. *inobs*; idem cod. *labsus*, quoties in eo hoc participium exstat, i. e. septies. Ex Romano cum Bottarius ad Ge. II, 305. *elabsus* enotasset, addit: „Sic alibi semper.“ Idem cum ex eodem ad Aen. V, 326. protulisset *elapsus*, affirmat: „Sic ubique.“! Retinui *Arabs* Aen. VIII, 706., ut ibi est in Mediceo, quamquam in antiquis quibusdam libris, in quibus est Romanus, *Araps* scriptum reperit Pierius. Vide praecepta veterum Grammaticor. ap. Schneider. I. I. p. 217. sqq.

3. *P* interdum pro PH legitur in antiquis codd., ut in Romano Aen. VIII, 294. et XII, 341. *Polum* pro *Pholum*, Aen. X, 570. *Nipaei* pro *Niphaei*, Aen. VII, 773. *Poenigenam* pro *Phœbigenam*, tum in Fragm. Sangall. *Pineia* Aen. III, 212. pro *Phineia*. Similiter *Pilipus*, *Triumpus*, ac praeterea *Cilo*, *Graccus*, in nummis apud Eckhel. T. V. p. 75.; vid. Cic. Orat. c. 48. Contra *Melampus* Ge. III, 550. et *Enipeus* Ge. IV, 368. in Romano pro *Melampus*, *Enipeus*. Sed non reiecerim *grypes*, quod est in Medic. Ecl. VIII, 27., ubi vid. V. L.

4. *P* litteram ubique in Mediceo geminatam habent Perfecta *repperi* et *reppuli*, (ut etiam Vatic. Aen. VII, 450.; nam alia

horum Perfectorum exempla nulla sunt in hoc codice;) item *t* Perfectum *rettuli*; (quam rationem etiam Cicero Orat. c. 47. §. 158. videtur comprobare;) recte quidem; facta haec enim ex *repeperi*, *repepuli*, *reletuli*. Si verum est, quod Bentleius scribit ad Terent. Adelph. IV, 3, 11.: „Praepositio *re* in compositione fere duplicat consonantes apud vetustos, ut *redduco*, *repperio*, *rellevo*;" servari poterat Faerno probata lectio Phorm. I, 4, 1.: „Nullu's, Geta, nisi aliquod iam consilium celere *répperis*." Recepit ibi Bentleius ex Prisciano suisque codd. *repereris*. At nec *repperio* prima producta, nec *reperi* prima brevi a veteribus dictum arbitrantur viri docti. Vere illi quidem, si discesseris ab uno loco Terent. Phorm. II, 1, 5.:

D. Quid mihi dicent? aut quam causam reperient?

Demíror. G. Atqui *réperi* iam: aliud cúra. D. An hoc dicet mihi?

Itaque aut emendatorem requirent haec verba, quamquam, quidquid tentaveris, vix satis placebit, aut fatendum erit reduplicationem, quam vocant, plane hic neglectam esse a Terentio. Sed quoniam semel in hanc praepositionem inseparabilem incidimus, de qua Schneiderus exposuit l. l. pag. 580. sqq. et Buttmannus ibidem pag. 595. sqq. et Ritterus Element. Grammat. Lat. p. 27. et 134 sqq., illud etiam addimus, *religio* et *reliquiae* in eodem Mediceo ubique per simplex *l* scriptum inveniri, nisi quod Aen. III, 363. et V, 47. altera *l* supra appicta visitur, ut etiam in Vatic. Aen. I, 602. II, 189. III, 87., quae vix dubites quin ab alia manu sit adiecta; idem Vatic. *reliquias* Aen. VII, 244., contra *relliquias* VI, 227. Cum autem praeterea *re-* apud Vergilium ubique breve sit, nescio an hic poeta vocabula *rēligio*, cuius primam corripuit Phaedrus IV, 11, 4., et *rēliquiāe* ea lege producta esse voluerit, qua *Italia*, *Priamides*, primam habere longam solent. Ac *rēligiosus* etiam Prudent. *πρὸς Στεφ.* X, 259., nec probo, quod Santen. ad Balb. p. 116. synizesin, plane illam inusitatum, *rēligiosus*, eo loco admissam voluit. Ceterum *relliquiae* geminata *l* Palatini est scriptura; et *l* geminasse Vergilium putat Pompeius Grammat. p. 419. Lindem.

PAENITEAT, sic cum *ae* diphthongo, et in Mediceo et in Romano legitur Ecl. X, 17. et Aen. I, 549.; porro *penitet* cum signo aliquo Ecl. X, 16. Medic., sed *paenitet* ibi Roman. In eodem Romano *paeniteat* uno, qui superest, loco, Ecl. II, 34., exstare testantur Pierius et Schulzius. Itaque codicum optimorum auctoritatem secutus sum. *Paenitere* etiam in Palatino ubique scriptum esse refert Ambrogius ad Ecl. X, 16., idem in antiquis palimpsestis invenit A. Maius, idem est etiam in praestantissimis codd. Livii vid. Drakenb. ad l. VI, 23, 9. Atque etiam *paenitor* et

## 464 PARNASUS — PHASELUS.

*paeniendum* optimus cod. Cic. Erfurt. exhibet; vid. Var. Leett. ex cod. Erf. enotat. ab Ed. Wundero pag. LXXIX.; sed dubitat Freund. ad Orat. pro Mil. pag. 25., *paenitor*, *paeniendum*, an *poenitor*, *poeniendum* ibi scriptum sit.

PARNASUS, PARNASSUS. vid. litt. S. § 1.

PARTIM. vid. V. L. ad Aen. V, 187.

PAULATIM, PAULISPER, PAULUM, sic per simplex *l* constanter Medic. Vid. Burm. ad Aen. IV, 649. Schneider. l. l. pag. 412. *Paulo* Rom. Ecl. IV, 1. et *Paulatim* ibid. 28. VI, 36.

PERFECTI tertia persona singularis ...*avit* in ...*dt*, *üt* in *it* contracta, ut aliquoties in Marmoribus visitur. vid. V. L. ad Aen. III, 3. IX, 9. 418.

PERFECTI tertiam personam pluralis quo discrimine Vergilius in ...*erunt* aut in ...*ere* terminaverit? vid. Quaest. Virgil. V., ubi tamen non debebam dubitare, quin etiam Ge. II, 454.: „Quid memorandum aequae Baccheia dona *tulerunt*,“ et Aen. I, 605.: „Quae te tam laeta *tulerunt* Saecula,“ *συντελικῶς*, non *ἀπολίστως*, accipienda sint; nam *quid tulerunt* est idem quod: quid exstat? et *quae tulerunt* S. i. q. cuius tam laeti es saeculi? Cicero brevior illa forma non videtur usus; nam Orat. c. 47. §. 157.: „Nec vero, inquit, reprehenderim *scripsere alii rem*; — *scripserunt* esse verius sentio.“ vid. etiam Quintil. Inst. I, 5, 44. Postea Fr. Haasius idem discrimen a Tacito observari docuit in disputatione Diariis Darmstadiensibus a Zimmermanno editis inserta No. 84. pag. 673. sqq. a. 1836. vid. eiusd. Not. 269. ad Reisigii *Vorlesungen üb. lat. Sprachwissensch.* p. 224. sq.

PERGAMIA an PERGAMEA? vid. V. L. ad Aen. III, 133.

PESSIMUS. vid. SUPERLATIVUS.

PHALARICA Aen. IX, 705., ubi Heynius *falarica*, ut Romanum nomen, scriptum malit; sed *phalarica* ibi omnium codd. auctoritate niti videtur. Atque id vocabulum haud scio an Etruscae sit originis; *phulas* enim turres esse pro certo ibi ponit Servius, idque nomen ab Etruscis petitum docet Festus. Hinc etiam Phaliscos (nam hanc quoque formam tuerent libri), gentem Etruriae, putes appellatos, i. e. de turribus pugnantes vel turritas urbes habitantes. Vid. praeterea litt. F. et V. L. ad Aen. IX, 705.

PHALERAE constantissime, ut videtur, in omnibus libris Vergilii mss., non FALERAE, etsi hoc solum probat Buttmann. Lexilog. Vol. II. p. 247.

PHASELUS, non FASELUS, vid. V. L. ad Ge. I, 227. et litt. F.

PINNA, non PENNA, ut etiam PINNATUS, .constanter Medicus, nisi quod Ge. I, 398. *e* littera minio supra est appicta; *pinna* sic scriptum tuetur etiam Rom., vid. Bottar. ad l. l. pag. 194. et ad Ge. IV, 310., item Vatic.; vid. Cort. ad Lucan. IV, 438. VII, 835. Arntzen. ad Panegyr. pag. 323. Neque abhorret Vergilius ab eo praecepto, quod dedit Doederlin. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. V. pag. 205. sq.; cfr. cum iis, quae hic scripsit, Drakenb. ad Liv. XXI, 38. extr. *Penna* est in Palatinò. Ut autem *pinna* retinui, sic etiam *bipinnis*, de quo voc. vid. V. L. ad Ge. IV, 331. A *pinna* id nomen factum ait Quintilian. I, 4, 12. cfr. Doederlin. l. l. Servius ad Aen. II, 479.: „BIPENNI. Hoc nomen servavit antiquitatem, quia veteres *pennas* dicebant, non *pinnas*.“ ubi videntur sedes horum vocabulorum inter se esse permutatae.

PINUS et PINOS Accusat. plural. vid. V. L. ad Aen. XI, 136.

PISTRIS, PISTRIX, PRISTIS. vid. V. L. ad Aen. III, 427. Salmas. et Duker. ad Flor. III, 5, 16. et, quem Schneiderus iam laudavit, Buttmann. Lexilog. Vol. I. pag. 108. sqq.

PLEIAS et PLIAS. vid. V. L. ad Ge. IV, 233.

PLEMYRIUM. vid. litt. Y. §. 2.

PLUO, PLUVIT. vid. V. L. ad Aen. X, 807.

PLURUMUS. vid. SUPERLATIVUS.

PORSENA et PORSENNIA. vid. V. L. ad Aen. VIII, 646. adde Duker. ad Flor. I, 10, 1.

PRAEGNAS Medic. Aen. VII, 320., *praegnās* ibi Vatic.; et cum Aen. X, 704. in Mediceo *praegnans* scriptum fuisset, *n* transfossa est et puncto etiam notata. Vid. Schneider. l. l. pag. 460. Oudendorp. ad Appulei. Met. p. 390. Restituit hanc formam *praegnas* Plauto Taubmann. ad Amphitr. II, 2, 91., Terentio Faernus ad Hecyr. IV, 4, 18., cuius verba digna sunt quae integra huc transferantur: „Antiquissimi libri Bembinus et Vaticanus hanc vocem *praegnans* et *praegnantem* sine *n* littera habent hoc modo, *praegnas*, *praegnatem*; itaque semper in Pandectis Florentinis scripta invenitur haec dictio. Me vero non tantum usus scribendi vetustissimus movet, quantum huius vocis derivatio ab Donato tradita: is enim hunc locum exponens ait: *Praegnans est ante gnatum vel ante genetricem; est enim prae ante.* ex quibus Donati verbis liquet hanc vocem non esse participium, quod necessario per *n* efferendum esset, sed nomen a *prae* et *gnatus* vel a *prae* et *genetrix*; quae utraque vox nullam necessitatem infert nomini ab se deducto assumendae litterae *n*.“ Ceterum *prae-*



## 466 PRAEPOSITIONES — QUAERCUS.

*gnas comicum esse ait Doederlin. Lat. Synonymen u. Etymolog.*  
Vol. V. p. 227.; quare, non dixit.

PRAEPOSITIONES. vid. ADSIMILATIO.

PRAESEPE. vid. SAEPE.

PRELUM. Ita Medic. et Rom. Ge. II, 242., nisi quod in illo supra scripta est *a*.

PRISTIS. vid. PISTRIS.

PRIUS QUAM melius scribi sic discretum docet Aen. VI, 328.: „Transportare *prius*, || *quam* sedibus ossa quierunt,“ et XI, 809.: „Ac velut ille, *prius* || *quam* tela inimica sequantur.“

PROELIUM constanter Medic., non PRAELIUM. Consentit Rom.

PROPIOR, PROPRIOR. vid. V. L. ad Ge. III, 58.

PROTENUS, PROTINUS. Illam ut antiquiorem formam tuetur Heynius ad Ecl. I, 13. Equidem satius duxi Medicei et Vaticani auctoritati obtemperare, quibus in libris nusquam apparet *protenus*, ubique *protinus*. Hoc etiam ex Rom. enotatum video Ecl. I, 13., a Schulzio, Aen. IV, 196. V, 485. VI, 33. IX, 149. Atque etsi concedendum est antiquiorem formam fuisse *protenus*, potuit ea tamen iam Vergilii aetate mutata fuisse in illam alteram. *Protenus* exhibet Palatinus, quod vereor ne Grammaticorum acumen invexerit. Nam Servius ad Ecl. I, 13. *protenus* adverbium loci, *protinus* temporis esse statuit. Idem docet Velius Longus, qui Aen. III, 416. *protenus*, quod eo loco parum habet praesidii a codicibus, contra V, 485. *protinus* Vergilium scripsisse ait. Ge. IV, 1. solus ex Heinsianis Gudianus offert *protenus*. Vid. Pier. Heins. et Burm. ad Ecl. I, 13.

PROXUMUS. vid. SUPERLATIVUS.

PULCHER, PULCER. vid. litt. CH.

Q pro QU. vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 8. 9.

QUADRUPES, QUADRIPE. vid. V. L. ad Ecl. V, 26., ubi iam addendum, *quadripedante* legi in Medic. Aen. VIII, 596. Et *quadrupes* Vatic. Aen. VII, 500., *quadripes* idem XI, 875.

QUAERCUS Medic. Ecl. VII, 13. VIII, 53. Ge. I, 159. 349. II, 16. Aen. IV, 441. XI, 5., porro *Quaecus*, sed supra scripta *r*, Aen. III, 680. X, 423.; denique *Quarcus*, a transfixa et *e* supra scripta, Ge. III, 332. *Quaercus* etiam Vatic. Aen. III, 680. Contra *Quercus* Medic. Ge. IV, 510. Aen. VI, 772. VII,

509. cum Vatic., XI, 681. et *Quernus* Ge. I, 305. Aen. XI, 65., nisi forte uno alterove horum locorum effugit aciem Foggini altera scriptura, quod ei, ut ipse fatetur pag. 448., acciderat Aen. IV, 441. Si numeres exempla, per diphthongum scribi malis hoc vocabulum. Interim rem proponendam, nihil autem mutandum censui. Causa rei illustrabitur Nota vocabulo SCAENA subjecta. Neque tamen praetereundum puto, quod, cum *Quercens* dictus a *Quercu* videatur, Aen. IX, 684. in Mediceo scriptum est *Continuoque recens*, quod non facile ex *Quaercens* nasci potuit, sed ex *Quercens*, quamquam apud Sueton. Calig. c. 19. manifesta deprehendi videntur vestigia adiectivi *quaercea*.

QUAMQUAM, non QUANQUAM. vid. litt. *M*.

QUATTUOR sic geminata media consona ubique Mediceus, Vatic. et Rom., item Inscriptiones. vid. Schneider. l. l. pag. 446. sq., cui adversatur Ellendt. ad Cic. de Orat. II, 83, 339. et Fr. Haasii not. 314. ad Reisigii *Vorlesungen üb. d. lat. Spr.* p. 284.

QUERELLA, geminata *l*, quam esse consuetudinem Vergilii Servius testatur ad Aen. IV, 360., ubique Mediceus, sicut etiam *loquella* consentiente Romano Aen. V, 842. Quod ne vitium esse eius saeculi, quo exaratus est hic codex, existimes, vetat *tutela* in eodem, per simplicem litteram scriptum. vid. Schneider. l. l. p. 414. Wunder. ad Cic. Orat. pro Planc. p. XV. Freund. ad Orat. pro Mil. p. 36.

QUICQUAM, non QUIDQUAM. vid. NEQUIQUAM.

QUICUMQUE, non QUICUNCQUE. vid. litt. *M*.

QUID, QUIT. vid. litt. *D*. §. 6.

QUIDQUID ubique Medic., nisi quod semel *Quitquit*, de quo vid. litt. *D*. §. 6., item semel *Quiquid* scriptum est apud Fogginium Aen. I, 601., et cum Ge. I, 36. *Quidquid* exaratum esset, prior *d* ibi transfixa est, sed eadem littera supra scripta. Nusquam exstat *Quicquid*; quod tamen Vatic. apud Bottar. habet Aen. I, 601.

QUINTUS, QUINCTUS. vid. V. L. ad Ge. I, 277.

QUIS, QUI. vid. Quaest. Virg. XXII.

QUOD, QUOT. vid. litt. *D*. §. 6.

QUOI. vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 10.

QUOM, QUUM. vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 7. 8.

QUOTANNIS, QUODANNIS. vid. litt. *D*. §. 7. Et rectius

*Quot annis*, sic distinctis dictionibus, scribi videtur; vid. Pier. ad Ecl. I, 43. Aen. V, 59. Norisii Cenotaph. Pis. p. 452. adde Beneck. ad Cic. Orat. de Inper. Pomp. XXIII, 67. p. 318. In Romano est Ecl. I, 43. QUOAT·ANNIS, transfossa *a* in *quoat*, tum QUOD·ANNIS Ecl. V, 67. 79.

QUOTIENS. vid. litt. *N*. §. 6.

RAETICA, RAETI, multi scribunt; et recte; vid. praeter alios Fea ad Horat. Carm. IV, 4, 17. *Rhaetica* tamen editur apud Verg. Ge. II, 96. ob consensum codicum, ut videtur.

RECUSSARE. vid. litt. *S*. §. 2.

RĒLIGIO et RĒLIQUIAE. vid. litt. *P*. §. 4.

REPPERI et REPPULI. vid. litt. *P*. §. 4.

RETRORSUS, RETRORSUM. vid. V. L. ad Aen. III, 690.

RETTULI. vid. litt. *P*. §. 4.

RHIPAEUS. vid. V. L. ad Ge. I, 240. Aen. XI, 184.

ROBIGO ubique Medic. vid. V. L. ad Ge. I, 151., adde, quae adnotavit Fea ad Horat. Carm. III, 23, 7.

ROBOR Rom. Ge. III, 235.

RURSUS, RURSUM. vid. V. L. ad Ecl. X, 62.

RUTILUS, RUTULUS. vid. V. L. ad Aen. VIII, 430. XI, 487.

## S.

1. De simplici *s* in vocc. *Parnasus*, *Lyrnesus*, *Gnosius*, vid. V. L. ad Ecl. VI, 29. et ad Aen. V, 306. Schneider. l. I. pag. 441. sq. Duplex tamen *s* in *Permessus* Ecl. VI, 64. codicum consensus tueri videtur. Memorabile etiam, quod Aen. I, 469., cum *Rhesii* a m. pr. in Medic. scriptum esset, expuncta priore *i* supra scripta est altera *s*, ut fieret *Rhessi*; in Vatic. ibi *Rhesi* invenitur, sed item altera *s* ab ipso, ut videtur, librario supra adiecta. *Cassandra* constanter Mediceus cum Vatic.; quam formam rationibus etiam comprobat Hermann. ad Eurip. Hec. 86.; quidam tamen, nec ii contemnendi, codices *Casandra*; vid. Heins. ad Aen. II, 343. Praeterea *Amphryso* Rom. Ge. III, 2. idemque *Herbessus* Aen. IX, 344. *Ἀργυρῆσσῶ* Homero nuper restituit Spitzner. Iliad. II; 690.

2. *S* littera, praegressa longa vocali vel diphthongo, geminata in Latinis dictionibus. Quintil. Instit. I, 7, 20.: „Quid, quod Ci-

ceronis temporibus, paulumque infra, fere quoties *s* littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur, ut *caus-sae*, *cassus*, *divissiones*, quomodo et ipsum et Vergilium quoque scripsisse manus ipsorum docent.“ Sic *caussa*, ut taceam alias Inscriptiones, exaratum in Fastis Praenestinis pag. 321. bisque pag. 322. edit. Sueton. Wolf., idem aliquoties praebet cod. Gud. Arusiani Messii in exemplis Ciceronianis apud Lindemann. Grammat. Lat. Vol. I. pag. 213. not. 23. et 26. vid. Schneider. l. l. pag. 431. sqq. Niebuhr. ad Cic. Fragm. Orat. pro Fonteio pag. 55. Communis consuetudo retinuit *passus*, quod fit a verbo *pando*, vid. litt. N. §. 5., et *essem*, quod est Imperfectum verbi *edere*. In libris Vergilii mss. paucissima sunt huius rationis vestigia relicta: *incusso*, Praesens verbi *incusare*, offert Rom. Aen. XI, 312., *incussat* Serv. Dresd. Aen. XI, 471., *cassus* Rom. Aen. IX, 292., idem *cassuras* Aen. VIII, 375., *obessis* Medic. a m. pr. Ge. III, 497., ubi *ovessis* Rom., *ambessa* Rom. cum aliis Aen. V, 752., *exessa* idem Aen. VIII, 418., et *adhessis*, i. e. *adesis*, IX, 537., porro *perossos* Medic. a m. pr. Aen. IX, 141., idem a m. pr. *plaussus* Ge. II, 508., idem denique cum Rom. multisque aliis *incussum*, quod est Participium verbi *incudere*, Ge. I, 275. Haec ipsa exempla, etsi, qui fuerit mos Vergilii, haud obscure prodere videntur, tamen, cum parum multa sint, non tantum iis tribuendum putavi, ut continuo omnia ad hanc rationem exigenda curarem; cum praesertim illud *fere quoties*, quod est apud Quintilianum, non aequabiliter per omne talium verborum genus istam consuetudinem regnasse indicet. Illud tamen non dubitavi, quin et *caussa*, etsi hoc ipsum in omnibus libris Vergilii mss., etiam in Rom., certe in Bucolicis, quod ex schedis Schulzianis didici, ubique per simplex *s* scriptum videtur, et *cassus* antiquissimi testis eiusque oculati auctoritate motus Vergilio restituerem. Nec, qui *cassus* et *caussa* scripsit, potuit non scribere *cassurus*, *occassus*, *incussare*, *recussare* et cetera similiter. Denique et geminata in verbo *essem*, de quo supra mentionem feci, littera et manifesta fides codicum iubent revocari *adessus*, *ambessus*, *exessus*, *obessus*, *semiessus*.

3. *S* post litteram *X*. vid. *EX* et *X*.

<sup>a</sup>  
SAECULA Medic.; *secula* Vatic. Aen. VI, 235.

SAEPES, SAEPIRE, sic constanter Mediceus, nisi quod Aen. VII, 600. in pagina ab eadem quidem manu exarata, sed post inserta, *sepsit* legitur; et satis tuetur diphthongum cognata particula *saepe*. Consentit cum Mediceo Rom., vid. Pier. ad Ecl. I, 54., Vatic. et Fragm. Sangall.; adde Voll. Herculanens. P. II. Col. VI. lin. 7. Contra pari constantia in Mediceo, cui accedit Vatic. et, ut videtur, Romanus, *praesepia* scribitur, uno excepto loco Ge. III,

214., ubi *praesaepia* Medic.; sed imprudenti librario id ibi excidisse, ex Ecl. VII, 9. intelligi videtur, ubi cum scriptum fuisset *praesaepia*, medium alpha transfossum est. Itaque *praesepia* Vergilium ob suaviorem sonum scripsisse arbitror. *Sepes*, *Sepire* P. latinus.

SAETA, SAETIGER, SAETOSUS, ita constanter Mediceus; consentit Vatic.

SALIO. De Perfecto huius verbi vid. V. L. ad Ge. II, 384., ubi *salire* in Romano legi admonendum erat. Adde Seyfert. Grammat. Lat. P. III. pag. 187. not. 11. Struve *üß. d. Latein. Declinat. u. Coniugat.* p. 196.

SALTEM ubique Mediceus; SALTIM Rom. Ecl. II, 71. Ge. I, 500. Aen. VI, 371. vid. Cellar. pag. 358. Schneider. pag. 16.

SCAENA, OBSCENUS. Fuisse iam inter veteres, qui vel *Scena* vel *Scaena*, item, ut ex illo factum, vel *Obscenus* vel *Obscaenus* scriberent, ex Varron. de L. L. VII, 96. pag. 157. ed. Muell. discimus; quare ea ratio non argenteae potissimum aetati assignanda erit, quod facit Zumpt. ad Cic. Verr. III, 79, 184. Idem Varro l. V, 97. pag. 38. in urbe homines ait crebro *a* adiecisse litterae *e*. En ipsius verba: „quod illic (apud Sabinos) *fedus*, in Latio rure *edus*, qui in urbe, ut in multis, *a* addito *aedus*.“ *Scaena* cum diphthongo Medic. Aen. I, 164., ubi vid. Heins., 429. IV, 471. et *prosaenia* in eodem Ge. II, 381.; semel *scena* Ge. III, 24., fortasse incuria a Foggino relictum. Reduxi diphthongum, etiam Vaticano auctore; et vid. Faern. ad Terent. Hec. Prolog. alt. vs. 8. Noris. Cenotaph. Pis. pag. 482. Cellar. Orthogr. p. 350. ed. Harles. Osann. ad Appulei. de Diphthong. p. 123. Schneider. l. l. p. 54. Quid, quod etiam  $\psi\iota\lambda\omicron\nu$  in *ae* transisse supra vidimus in vocc. CAEDRUS et CAESTUS?\*) Contra retinui

---

\*) Quod ait Varro l. l. homines in urbe multis in vocabulis litterae *e* addidisse litteram *a*, ex eo intelligitur causa vitii latissime serpentis. Primum igitur apparet, unde ista orta sint, quae supra commemoravimus, *Caedrus*, *Caestus*, *Faenum*, *Haedus*, *Quaercus*; tum mirari iam desinemus alia multo vitiosiora per omnes libros mss. propagata, quale est *praetium*, *quaerella*, et quae sunt reliquae eiusdem generis sordes saeculi in corrumpendam veritatem propensi. Nam cum semel homines in urbe *a* adiungere litterae *e* coepissent, non substitit is mos in iis vocabulis, quae longum *e*, sed inquinavit etiam ea, quae breve haberent. Qui autem *haedus* dicebant teste Varrone, ii non est mirum si etiam *faenum* et *scaena* dixerunt; atque ut haec, ita *caedrus* et *caestus*, fortasse etiam *quaercus*, antiquissimorum codicum fide ita firmanur, ut

*obscenus* eiusdem Medicei constanti auctoritate fisus; et ita etiam in Rom. Ge. I, 470. Aen. XII, 876. et in Vatic., in quo semel legitur hoc adiectivum, Aen. IV, 455. exstare novimus. Qui *obscænus* scribunt vel *obscoenus*, quod nuper defendit Beier. ad Cic. Off. I, 29. p. 226. eumque secutus Schmid. ad Horat. Ep. II, 1, 127., tum Doederlin. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. II. pag. 52. falsa originatione decepti videntur. Rectius ab aliis, etiam a Bernhardt *Grundriss der Roem. Literatur* pag. 64. not. 105., a voc. *oscus*, vel potius *opscus* s. *obsclus*, aut etiam *opicus* repeti videtur. Festus in v. *Oscum* pag. 316.: „in omnibus fere antiquis commentariis scribitur Opicum pro Osco, — a quo etiam verba impudentia et elata appellantur *obscæna*, quia frequentissimus fuit usus Oscis libidinum spurcarum. — Oscos, quos dicimus, ait Verrius Opiscos antea dictos, teste Ennio, cum dicat: De muris res gerit Opscus. Adicit etiam, quod stupra inconcessae libidinis *obscæna* dicantur ab eius gentis consuetudine inducta.“ Quod si idem Festus, refellens Verrium, *obscæna* apud antiquos omnes dicta esse ait, quae mali ominis haberentur, hoc tamen intelligitur et ipsum et Verrium scripsisse *obscenus*, non *obscænus* aut *obscoenus*. Ex coeno factum esse *obscoenus* ait Doederlin. l. l.; crederem fortasse, si *coenum*, non *caenum*, veteres scripsisse compertum esset.

SECURIM, SECUREM. vid. V. L. ad Aen. XI, 656. adde Zumpt. ad Cic. Verr. I. V, 47, 123.

SED et SET. vid. litt. D. §. 2. 8. 9.

SELINUS, SELINYS. vid. V. L. ad Aen. III, 705. Oudend. ad Lucan. VIII, 260.

SEMI in compositis a vocali incipientibus. vid. V. L. ad Aen. III, 578. Oudend. ad Lucan. IX, 3.

SEMIANIMIS, SEMIANIMUS. vid. V. L. ad Aen. IV, 8.

SEMIESSUS. vid. litt. S. §. 2.

SEPTUMUS. vid. DECUMUS.

SEPULCHRUM, non SEPULCRUM. vid. litt. CH.

SERPULLUM, non SERPYLLUM. vid. litt. Y. §. 3.

---

Vergilium ita scripsisse facile credas. Ex quo etiam factum putes, ut vocabuli *cedrus* priorem syllabam admodum raro corripere poetae Romani, sed fere suorum popularium more, *caedrus* loquentium, producerent. Sit igitur res ipsa vitiosa, dummodo constet multa hunc in modum et pronuntiata esse a Romanis et scripta. Vid. infra etiam TAEMO et VAESANUS.

SESCENTI, sic Medic. Gudian. alique codd. Aen. X, 172., item Monumentum Ancyran. pag. 369. lin. 17. et 372. lin. 25.; itaque recepi. Vid. etiam Graev. et Oudend. ad Sueton. Neron. c. 12. A. Mai. Conspect. Orthograph. Cod. Vatic. libror. de Rep. p. 624. ed. Moser.

SETIUS, non SECIUS, ubique Mediceus, consentiente Romano cum aliis libris veterrimis. vid. Heyn. ad Ge. II, 277. Heins. ad Aen. V, 862. IX, 441. Festus p. 263. ed. Lindem.: „*Setius* a *sero* videtur dictum. Attius in Amphitryone:

Si forte paulo, quam tu, veniam setius.“

Nec dubito, quin hoc sit retinendum. Nam qui *serius* scripsisse Festum coniciunt, non vident ipsum dubitasse, unde *setius* factum esset, ineptum autem eundem futurum fuisse, si dubitaret, unde *serius* repeteret originem. Neque ex *secus* natum puto *secius* vel *setius*, quod ne credamus vetat mensura primae syllabae. Sed quae fuerit radix voc. *setius*, aut quomodo ea vox significare *serius* potuerit, alii dixerint, si poterunt.

SIDI, SEDI. vid. V. L. ad Ecl. VII, 1.

SIMULACRUM, non SIMULACHRUM. vid. litt. CH.

SIMULARE, SIMILARE. vid. V. L. ad Aen. XII, 224.

SIQUID Ecl. III, 52. coniunctis dictionibus exarandum curavit Heynius; recte, ut opinor; modo id ubique tenuisset. Nec erit, qui *sicubi* dirimendum praecipiat. Ac nisi haec in unum coalessent, non liceret primam in *siquidem* corripere. Accedit minime contemnenda auctoritas Inscriptionum earum, in quibus singula vocabula punctis interstinguuntur, ut in Monumento Ancyrano pag. 369. Sueton. Wolf. „*alias*. siquae. minoris.“ cet. Videtur autem in his quaedam inclinatio accentus locum habuisse. Neque obstat, quod interdum eo modo, quo *quicumque*, *siquis* interposito uno vel duobus vocabulis disiungitur, ut Aen. I, 151.: „*si* forte virum *quem*.“ aut XI, 374.: „*Si* patrii *quid* Martis habes.“

SOLACIUM, non SOLATIUM, constanter Mediceus; item Rom. Aen. V, 367. XI, 62. et reliquis, opinor, locis. Videtur haec optimi cuiusque libri esse scriptura, haud dubie revocanda. At, inquires, satin sanus es, qui *solacium* scribi velis, cum factum sit e Supino *solatum*? Sed id ipsum, quaeso, dic, qua ratione probaturus sis? Nullum enim primae Coniugationis Supinum peperit substantivum in *ium* desinens, nisi forte *denatium*, quod est tertiae, mihi oppones, infimae Latinitatis vocabulum. Nec illud praetereundum, quod pauca illa substantiva ex Supinis aliarum Coniugationum facta atque in hunc modum terminata brevem omnia habent syllabam antepenultimam, ut *exercitium*, *exitium*, *initium*. In Palatino est *solatia* Aen. V, 367.

SOLLEMNIS ubique Medic., nisi quod Aen. XII, 193. *sollemnia* est apud Foggin., et Aen. VIII, 185. altera *l* puncto tamquam tollenda notatur. *Sollemnis* etiam Rom. et Vatic.; adde Voll. Herculaneus. P. II. Col. VIII. lin. 5. Fea ad Horat. Carm. IV, 11, 17.

SOLLERS, geminata *l*, uno, quo apud Vergilium exstat, loco Medic. Ge. IV, 327. vid. de hoc et proxime praegresso voc. Schneider. l. l. p. 416.

SPATIUM, non SPACIUM, quod Lindemanno iudice ad Grammat. Lat. Vol. I. p. 100. not. 10. originatione tueri videtur, ubique Medicens. Doederlinius *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. III. p. 52. *spatium* a verbo *patere* originem duxisse existimat.

SQUALERE, SQUALOR, simplici *l* ubique Medic.

STUPERE, non STIPERE. vid. V. L. ad Ge. IV, 481. Aen. XII, 707. *Stupet* etiam Vatic. uno, quo in eo visitur, loco Aen. II, 307.

STUPPA, STUPPEUS, non STUPA, STUPEUS. vid. V. L. ad Ge. I, 309. Oudend. ad Sueton. Neron. c. 38.

SUB. vid. ADSIMILATIO §. 16. sqq.

SUBOLES ubique in Medic. scribitur, consentiente Romano et Vatic., nusquam SOBOLES. Recte; vid. Muret. et Heusing. ad Cic. Phil. II, 22.

SUBTEGMEN, SUBTEMEN. vid. V. L. ad Aen. III, 483. Cellar. Orthogr. pag. 365. Harles. Apertum est *subtegmen* factum esse ex *subteximen*, et ut *examen* natum ex *exagmen*, ita ex *subtegmen* fieri potuit *subtemen*. Nihil tamen repugno, quin forte ex ipsis Romanis fuerint, qui *subtemen* ex *stamen* originem duxisse crediderint. Faernus ad Terent. Heautont. II, 3, 50. proferet ex longe optimo vetustissimoque Bembino, qui ipse *subtemen* tuetur, hoc scholion: „Subtemen dictum ab eo, quod subeat stamen.“ Cfr. etiam EXAMEN.

SUBTER, SUPTER. vid. ADSIMILATIO §. 18.

SUCCIPERE, SUSCIPERE. Retinui *succipiunt* ut antiquius et in re sacra positum Aen. VI, 249., Servio, tum cod. Vatic. et Gud. auctoribus. Perfectum quoque *sucepi*, uno loco Aen. I, 175. lectum, propter testium gravitatem, Servii, cod. Medicei ac Rom., tum aliorum, restituendum iudicavi; et vid. Schneider. l. l. pag. 606. maximeque Velium Long. ab eo laud. Reliquis locis cum hoc verbum ad res vulgares referatur nec praeterea ullum apud Vergilium



## 474 SUCUS — SUPERLATIVUS.

formae *succipere* vestigium deprehendi videatur, communem formam servavi. Neque Aen. VI, 723. scripseram *succipit*; sed is, qui operam dabat erroribus tythetae corrigendis, cum vidisset ita scriptum a me esse VI, 249., imprudentem me *suscipit* reliquisse ratus mutavit, quod eo loco servandum erat.

SUCUS, non SUCCUS. vid. V. L. ad Ge. I, 90. adde Harles. ad Cellar. Orthograph. p. 365. Oudend. ad Lucan. III, 237. Beck. ad Calpurn. Ecl. p. 216.

SULPUR, non SULFUR, Medic. Ge. III, 449. cum Rom., tum Aen. II, 698. cum Vatic., et *sulpurea* Aen. VII, 517. cum Rom.; quod recepi; nam ex *sulpur* factum est *sulphur*, vid. Cic. Orat. c. 48., ex hoc *sulfur*. Cfr. etiam, quos laudat Harles. ad Cellar. Orthogr. p. 366.

SUMPSI, SUMPTUS. vid. litt. P. §. 1.

SUPERLATIVUS. Superlativos in ...*imus* an in ...*umus* Vergilius terminaverit si quaeritur, illud primum pro certo statuendum, eos Superlativos, qui tribus syllabis amplius complectantur, a Vergilio missos esse in ...*imus*, nusquam in ...*umus*; quippe ne unum quidem exstat in antiquissimis Vergilii libris mss. exemplum talis Superlativi in ...*umus* exeuntis. Itaque omnis quaestio revocanda est ad Superlativos trium syllabarum. Ut a Mediceo incipiam, in eo invenitur *maxuma* Ge. I, 329., *maxumus* ibid. 26. 244. 429., *optume* Aen. VIII, 127., *pluruma*, supra scripta *i*, sed integra relicta *u*, Ecl. VIII, 96., quo accedit, quod est in cod. Gud., *plururima* (sic) Ge. IV, 419. Romanus quid quoque loco offerat, parum exploratum est. Illud constat, dissentire eum a Mediceo Ge. I, 244. 429. Aen. VIII, 127.; contra in eodem esse *maxuma* Aen. VIII, 84., *optumus* Aen. IX, 40., *optume* Aen. I, 555., *proxuma* Aen. VIII, 594. IX, 238., quibus locis vulgares formas exhibet Mediceus. Praeterea *intuma* legitur Aen. I, 243. in Vatic. His inter se comparatis nihil causae apparet, quare Vergilius aliam alio loco secutus fuerit scribendi rationem. Et cum accedat, quod etiam codices antiquissimi alius alio loco veterem formam retinuerunt, nihil relinquitur dubitationis, quin ceteris locis, ubi vulgaris forma visitur, antiquior illa in Superlativis trisyllabis revocanda sit. Quod si cui pingue quid sonare videbitur *plurumus*, is velim meminerit alteram *u* sono diversam fuisse a priore. Quintil. I, 4, 8.: „Medius est quidam *u* et *i* litterae sonus; non enim sic *optimum* dicimus, ut *opinum*.“ vid. Schneider l. l. pag. 33. sqq. et supra *Decumus*. Retinui tamen *pessimus* et *ultimus*; nusquam enim nec in Medic., nec in Vatic., nec in Rom. *pessumus* legitur aut *ultumus*; quamquam quod altero loco posui voc. *ultimus*, satis crebrum est apud Vergilium.

**SUPREMUS, SUPPREMUS.** Quoniam nuper fuit qui *supremus*, geminata littera *p*, apud ipsum Ciceronem exprimendum curaret, non putavi praetereundum, quod idem affert Medic. Aen. VI, 213. XI, 61., his quidem locis altera *p* puncto ut delenda notata, et XI, 76, item Vatic. apud Bottar. Aen. VI, 735. et Rom. Aen. II, 11. VI, 213. His locis omnibus prima huius Adiectivi syllaba sub ictum cadit. Simplex *p*, licet producta sit prima, exhibet Medic. Aen. II, 11. III, 68. VI, 513. 735. VII, 128. XII, 653.

**SYRACOSIUS.** vid. V. L. ad Ecl. VI, 1.

*T.* vid. litt. *D.*

**TAETER** sic cum diphthongo Medic. Aen. III, 228. Ex hac ipsa huius Adiectivi forma ortum est mendum Aen. X, 727.: *improbat aether*, i. e. *improba taeter*, ab altera manu corruptum in *improbatus ater*. Nihil autem in ea re saepe efficacius ad veritatem indagandam, quam eiusmodi vitia. Itaque *taeter* restitui Vergilio. Quod ut facerem, admonebat etiam cognatum vocabulum *taedium*; nempe utriusque dictionis stirps videtur fuisse *tae*; haec autem diphthongus, *ae*, saepe id significat, a quo abhorremus. Doederlin. *Lat. Synonymen u. Etymolog.* Vol. V. p. 112. *taeter* componit cum Graeco ἀτακτηρός.

**TAMQUAM.** vid. litt. *M.*

**TARCHON; TARCON, TARCHO.** vid. V. L. ad Aen. VIII, 506.

**TEGUMEN.** vid. V. L. ad Aen. III, 594. et VII, 666. et ad utrumque versum Heins., tum Drakenb. ad Liv. XXXVI, 32, 6. Romanus *tegimen* VII, 666.

**TEMO.** *Tuomo* Vatic. Ge. III, 173. vid. SCAENA. not.

**TEMPTARE**, non **TENTARE**, constanter Medic., nisi quod Ge. IV, 194. alia manus antiquae formae recentiore substituit tentavit. Adstipulantur Mediceo Vaticanus, Romanus et Fragm. Sangall.; cf. Bottar. ad Ge. I, 207. pag. 193. et ad Ge. II, 247. adde Bentl. ad Terent. Phorm. III, 3, 19. Similiter *pertemptare* ubique. Contra *intētare* Medic. Aen. I, 91. et VI, 572.; nec saepius hoc verbum legitur apud Vergiliū; idem *sustentare* ubique et *retentat* Aen. V, 278. Nempe alius radicis est *temptare*, alius *intentare*, *sustentare*, *retentare*. At rursus *intemptata* Medic. Aen. X, 39., quia est i. q. non temptata.

**TERENTIUS.** vid. litt. *P.* §. 4.

**TERGENT, TERGUNT.** vid. V. L. ad Aen. VII, 626.

## 476 THENSAURUS — TULL. LAUREA.

THENSAURUS. vid. litt. *N.* §. 6. 7.

THULE, non THYLE. vid. litt. *Y.* §. 2.

THUS, THUREUS, ita cum adspiratione Palatinus, quod praeter alios probant Drakenb. ad Liv. X, 23, 2. Weichert. ad Valer. Fl. VIII, 264. Fea ad Horat. Od. I, 19, 14. et Ge. Fr. Grotefendio auctore Beier. ad Cic. Off. II, 20, 80. Rem in medio relinquere videtur Schneider. l. l. p. 200. Mihi satius est visum, Medicei et Vaticani, tum etiam Romani (in quo tamen Aen. VIII, 106. *thura*), quam Palatini, deterioris consuetudinis patroni, fidem sequi.

THYIAS. vid. V. L. ad Aen. IV, 302.

THYBRIS, THYBRINUS. vid. litt. *Y.* §. 2.

TINGERE, TINGUERE. vid. URGUERE.

TINIAE Ge. IV, 246. ex Medic. et Rom. aliisque libris restitui.

TONEC. vid. DONEC.

TOTIENS. vid. litt. *N.* §. 6.

TRANS in compositis. vid. V. L. ad Aen. VI, 671.

TREMESCO cum aliorum multorum codd., vid. Pier. et Heins. ad Aen. XI, 403., tum Medicei auctoritate revocavi; sic enim in hoc ubique, praeterquam Aen. XII, 916., nisi forte ibi falsus est Fogginius, ut fuerat Aen. V, 694. coll. pag. 450., quo loco *tremescunt* etiam in Rom. visitur. Reicit hanc formam cum Vossio Drakenb. ad Liv. XXI, 53, 5. Contra *Tremibunda* Medic. et Rom. X, 520.; recte puto, ut *moribundus*, *pudibundus*, *ludibundus*. Ratio videtur postulare, ut eiusmodi verba a verbis II. Coniugationis facta *e* retineant, ut *liquesco*; et cfr. Gell. N. A. VI, 15.; quae a verbis III. Coniugationis orta sunt, nihil impedit quominus vel *e* vel *i* habeant, ut *gemiscere*, *ingemiscere*; quamquam usus videtur tulisse, ut etiam *luciscere*, *putiscere*, loquerentur.

TREMIBUNDUS. vid. TREMESCO.

TRIBOLI, non TRIBULI, optimi codices; vid. V. L. ad Ge. I, 153.; recte, nam Graece dicitur *τρίβολος*.

TRIDENS, Ablat. *tridenti*. vid. V. L. ad Ge. I, 13.

TROIUS, TROICUS. vid. V. L. ad Aen. I, 119.

TULLIUS LAUREA. vid. VERGILIUS.

TUM et TUNC. vid. Quaest. Virg. XXV, 1—5.

TUNSUS. vid. litt. N. §. 6.

TURGERE, TURGUERE. vid. URGUERE.

TYPHOIA, TYPHOEA. vid. V. L. ad Aen. I, 665.

U. 1. Erunt fortasse, qui, cum simplex fuerit antiquiore aevo forma litterae *U*, reprehendant me, quod, ubi ea littera vim habet consonae, alteram illam recentiore *V* admiserim. Et Mediceus quidem *U* exhibet ubique, nisi quod manus emendatrix, quam expertus est is codex, *V* posuit locis aliquammultis, nusquam, si recte memini, *U*; quamquam quae extremae Eclogae subiecta sunt a Turcio Aproniano, ea quoque servant *U*, sed ita, ut sit formae minutae; nam quod semel ibi legitur *V*, id sphalma esse typothetae scribit Fogginus p. 442. Fragmento Vaticano sic convenit cum Mediceo, ut tamen uno alteroque loco *V* in eo expressum videatur. Hanc ipsam figuram eius litterae, parte quidem inferiore, similiter atque in Vaticano, obtusa et in rotundum flexa, non acuminata, Romanus prae se fert cum Palatino. Denique, ut etiam hoc addam, in fragmento Herculensi haec littera ex duabus lineis obliquis constat ita inter se coeuntibus, ut extrema altera fere promineat paululum infra. Nostra autem aetas cum vocalem *U* a consona *V* etiam scribendo distinguere soleat, malui obtemperare huic consuetudini, quam religiosus esse, ubi nihil refert.

2. Vid. LITTERAE SIBI INSID. §. 2. sqq.

3. *U* geminata pro simplici producta: *casuus* Rom. Aen. XII, 61., ubi vid. Pier., *metuus* idem XII, 316., *currius* rursus idem XII, 918. „Hoc ut sciretur, ait Pierius l. l., non ut ad imitandum proponeretur, a me dictum est.“ Vide tamen supra litt. *I*. §. 4.

4. Vid. litt. *Y*.

ULIXES, ULYSSES. vid. V. L. ad Ecl. VIII, 70. Aen. II, 7. — de Genitivo et Accusativo huius nominis Aen. I, 30.

ULTIMUS. vid. SUPERLAT. extr.

UMERUS, sic ubique Medic. sine adspiratione; et cum versus Aen. IX, 725. casu omissus ab alia manu in margine inferiore adscriptus sit, legitur ibi *humeris*; at ipse ille versus in codice post vs. 732. insertus est ab eo, qui totum codicem exaravit, ibique exstat *umeris*. Bottarius p. 178.: „In Cod. Vatic., ait, *umero* sine adspiratione, ut etiam alibi fere semper.“ ubi nescio an Bottar. ista extrema *fere semper* omittere debuerit et *ubique* scribere pro

*alibi.* Ceterum vide Ach. Stat. ad Tibull. I, 4, 44. Drakenb. ad Liv. VIII, 8, 10.

UMOR, UMENS, UMIDUS, UMECTO, UMESCO, ubique restitui Medicei auctoritate sisus; sic enim in eo codice constanter, nisi quod Ge. I, 43. 417. II, 224. littera adspirans minio, Ge. I, 373. atramento, supra appicta est; Ge. I, 290. puncta supra *umor* apparentia litteram *h* supra scriptam rursus abrasam esse indicare videntur. Atque in ipso illo longe antiquissimo exemplari, unde descriptus est Mediceus, ita haec, ut edidi, exarata fuisse, probat vel Ge. I, 88., ubi a m. pr. *amor* legitur, quod non potuit ex *humor* nasci, sed ex *umor*; vel confusio vocc. *umidus* et *uvi dus*, de qua dictum in V. L. ad Ge. I, 418. Cum Mediceo consentiunt Vatic. et Rom.; vid. Bottar. ad Ecl. X, 20. pag. 191. et ad Ge. I, 70.

UMQUAM. vid. litt. *M*.

UNANIMIS, ...MUS. vid. V. L. ad Aen. IV, 8.

UNGUERE. vid. URGUERE.

UPILIO, OPILIO. vid. V. L. ad Ecl. IX, 19.

URGUERE Mediceus, licet URGERE saepius praebeat, exhibet Aen. II, 653. V, 226. VI, 561. (ubi *urgentur* Rom.; vid. ibi Burmann.) VII, 241. cum Vatic., 705. X, 889. XI, 564., et supra scripta est *u* X, 375. Quod si propterea, quod in Georgicis ubique Mediceus offert *urgere*, alteram formam *urguere* Aeneidi tamquam propriam assignare velis, non alio iure id facias, quam quo exulare hanc iubeas a ceteris Aeneidos libris, ubi ea in Mediceo non exstet, ut in primo, tertio, quarto. Sed *urguet* Rom. Ge. IV, 290., ut etiam Aen. I, 111., item V, 202. Vid. Cellar. Orthograph. pag. 387. et qui ibi ab Harlesio laudantur; adde Oudend. ad Lucan. I, 147. Drakenb. ad Liv. IX, 21, 4. Schneider. ad Caes. B. G. II, 25, 1. — Porro TINGUERE Medic. Ge. I, 246. II, 8. 481. Aen. I, 745. VII, 811. XI, 914. XII, 358.; quod verum esse ostendit compositum *distinguere*. — UNGUERE Medic. Ge. IV, 46. Qua in re mirum est, quod *unguen*, ut est in eodem Medic. Ge. III, 450., verum esse, sed ex *ungere* et *ungentum* eximendam *u* litteram scribit Servius ad Aen. IX, 773.; similiter Velius Longus p. 2223.; vid. Cellar. et Harles. l. l. pag. 385. — TURGUENT Ge. I, 315. scripsit Heynius, at Ecl. VII, 48. *turgent*; eadem inconstantia apud Heinsium; nec praeterea exstat hoc verbum apud Vergilium. Mediceus utroque loco *turgent*; consentit priore loco Rom., nam altero mutilus est. Itaque in hoc quidem verbo *u* litteram omittendam putavi.

VAESANUS, non VESANUS, scribitur ubique in Mediceo, i. e. Aen. IX, 340. X, 583. 724. Neque ego hoc tam gravi

testimonio commendatum aspernandum iudico. cf. SCAENA. not. Vide tamen Macrob. VI, 8.

VELUT, VELUTI. vid. V. L. ad Aen. IV, 402.

VERGILIUS, non VIRGILIUS, scribendum esse antiquissimorum librorum, Medicei et Romani, auctoritas probat, in quibus codicibus non solum post finem uniuscuiusque libri *Vergili* nomen sic scriptum legitur, sed etiam in ipso opere Georgicon IV, 563.; neque aliter eo loco Fragm. Sangallense. Mirum est igitur, quod Ambrogius, perexiguæ videlicet homo fidei, qui codicem Romanum Vaticani nomine appellat (et est ille e numero Vaticanorum), in ipso operum Vergilii introitu scribit hunc codicem Vaticanum favere hodie regnanti consuetudini tuerique nomen *Virgilii* sic per quadruplex *i* exarati. Praeter Bottarium tamen etiam Politianus in Miscellan. c. 77. et Pierius ad Ge. IV, 563. *Vergilius* hoc nomen scribi in eo codice testantur. *Virgilius* exstare in Palatino idem refert Ambrogius. Hunc Palatinum, quantum ex litterarum vel similitudine vel discrepantia colligere licet, equidem Romano ætate supparem iudico, Mediceo aliquanto recentiore. Eadem res Vaticanum, quem ego cum aliis appello, sive Fragmentum Vaticanum, reliquorum proxime ad ætatem Medicei accedere mihi persuadet; quamobrem pervelim scire, utram ille huius nominis formam tueatur, quod cognosci fortasse poterit si non ex initio libri Aen. III. aut IV., tamen ex fine l. VI.; ceteri enim libri prima extremaque parte destituti sunt in hoc codice. *Vergilium* appellant etiam Scholia ab Ang. Maio edita; *Vergini* nomen exstat apud Cic. de Rep. II, 37. et vid. Heyn. Vita Virgil. T. I. pag. CVIII. Garaton, et Wunder. ad Cic. pro Planc. c. 40. Fragm. Oratt. Cic. a Beiero ed. pag. 95. Osann. in *Zeitschr. f. d. Alterthumswissensch.* 1840. no. 144. p. 1177. sq. et de consuetudine Graecorum Jacobs. ad Antholog. Palat. T. III. pag. 34. In nummis et *Vergilius* est et *Virgilius*. *Vergulta* etiam Medic. Aen. XII, 522. apud Foggin., sed reliquis locis *virgulta*. Iam illud facile apparet, tantum esse pondus testium supra laudatorum, ut facere non possimus, quin *Vergili* nomen poetæ Mantuano vindicemus. At, inquires fortasse, producam in medium, qui suo testimonio facile vincat, quos tu hic iactavisti testes. Audi enim, quid referat Caelius Rhodiginus. Is Lectt. Antiquar. l. VII, 4.: „In fragmentis, ait, Caecilii Minutiani Apuleii veteris grammatici adnotatum comperi, Virgilium ab virgis esse cognominatum, inter quas sit natus: propterea primam habere *i*, non *e*, cui suffragetur illud Calvi:

Et vates, cui virga dedit memorabile nomen  
Laurea.

Fatetur tamen idem Apuleius, in aliis Vergilium ab vergiliis infecti.“ vid. etiam Ang. Maï Praefat. ad Appulei. de Orthograph.

pag. LXXIII. edit. Rom. \*) Quis igitur non plus credat Calvo, clarissimo oratori ac poetae, quam omnibus codicibus? qui autem a virga nomen habet, Virgilius audit, non Vergilius. Neque ego manus dare tantae auctoritati dubitarem, nisi in mentem veniret, Calvum esse mortuum, antequam Vergilius in eius viri notitiam venire posset; nam anno fere 706. p. U. C. Calvum de vita discessisse docet Weichert. Poetar. Lat. Reliqu. pag. 108. et Madvig. Opusc. pag. 15. Falsum est igitur, quod de Calvo narrat Appuleius? Minime vero; sed bonus Appuleius ad Vergilium transtulit, quod Calvus de Tullio Laurea, liberto Ciceronis, cecinit; is enim propter carminum pangendorum peritiam Laurea appellatus est à virga laurea, qua donari solent poetae. Et satis elegans exstat huius Laureae epigramma apud Plin. H. N. XXXI, 2. §. 3. ed. Sillig. et in Antholog. Lat. T. I. pag. 340. Burm. At quorsum ista? inquiet fortasse aliquis, cum dudum constet illum libellum, qui Appuleii nomen mentitur, admodum recentem esse, quippe quem circa initia saeculi XVI. ab homine fraudulento conflatum esse certissimis argumentis demonstraverit Madvigius? Neque vero ego is sum, qui negem fraudem esse factam. Sed nescio an inter pleraque subditi-  
cia lateat nonnihil sincerum et vetustum, ex fontibus iam occlusis petitum. De quo liceret fortasse certius quid pronuntiare, si teneremus pleniorum illum codicem, quo usus est Caelius Rhodiginus. Mihi quidem hunc ipsum, quem supra attuli, versiculum consideranti facile persuadeo antiquum esse posse. Primum enim non significari illis verbis, quamquam id ipse statuit Madvigius, Vergilium, qui sane Calvo notus esse non potuit, modo declaravimus. Tum si Vergilium a virgis appellatum esse tradere volebat personatus ille Appuleius, nihil erat dicendum praeter hoc: *vates, cui virga dedit nomen*. At cum iste repperisset eum, quem apposuit, versiculum, eiusque sententiam non esset assecutus, commentus est fabulam sane illepidam: quia inter virgas laureas natus esset. At qui potuit ille ex ea re nomen nancisci, quod a maioribus traditum haberet? aut quo tandem modo memorabile id erat nomen, quod ei cum multis esset commune? Nempe eo demum factum est memorabile, quia pro cognomento inditum est Tullio. Deinde copula *Et hunc*

---

\*) Non Caelium Rhodiginum primum, ut Madvigius existimat Opusc. p. 25., isto Appuleii libello usum esse, sed ante eum iam Politianum, probant ipsius Politiani verba: „Sicuti a vere dictae vergiliae stellae, sic a vergiliis ipsis vel item a vere proprium hoc nomen (*Vergiliū*) crediderim inclinatum, potius hercle quam a virga, quod quidam nungantur, laurea. Nam id cum apud auctorem minus idoneum invenitur, tum refellitur hoc ipso, quod multi ante hunc editum poetam eodem sunt appellati nomine.“ vid. eius Miscellanea I. supra laud., anno 1489. primum edita.

versum e medio carmine sumtum indicat. Sed erit, qui callide id fecisse hominem astutum dicat, quo facilius fraus lateret. Crederem, si ullam omnino in istoc homine deprehenderem astutiam, quem ipse Madvigius ait ut non indoctum fuisse, ita plane absurdum et stolide mentientem. Denique cum nihil facilius sit, quam versus fingere, mirabimur, quod hoc artificio ille non crebrius usus sit ad fallendum, praesertim in tanta opportunitate, quam mentio plurimorum poetarum afferret.

VERRIUS FLACCUS. vid. ADSIMILATIO PRAEPOS. §. 8.

VERTEX, non VORTEX. vid. V. L. ad Ge. I, 481. Aen. VII, 31. Drakenb. ad Silium III, 475. *Vertex* etiam Vatic. ubique.

VERU, VERIBUS, VERUBUS. vid. V. L. ad Ge. II, 396.

VIDEN. vid. litt. IV. §. 9.

VIRBIUS, VERBIUS. vid. V. L. ad Aen. VII, 762.

VIRECTA Medic. et Vatic. cum multis aliis codd. exhibent Aen. VI, 638., quo uno loco hoc voc. legitur apud Vergilium, non *vieta*. *Virectum* exstat etiam in bonis codd. aliorum scriptorum; vid. Oudend. ad Appulei. Met. p. 238. et quos hic laudat, etsi ipse ad Sueton. Octavian. c. 5. et ad eiusd. Neron. c. 48. hanc formam librariorum errori tribuit. Et ita rectius scribi videtur; neque enim a Verbis, ut a *virere*, sed a Nominibus ducuntur haec vocabula. Necesse est igitur fuisse antiquum voc. *virer*, unde factum *viricetum*, *virectum*, ut *carectum*, *fructectum*, a *carex*, *frutex*.

VOLSCENS, VULSCENS, VOLCENS, VULCENS, — VOLSCI, VULSCI, VULCI. vid. V. L. ad Aen. IX, 370. et LITTERAE SIBI INSID. §. 2.

VOSTER inusitatum Vergilio. vid. V. L. ad Ecl. IX, 10.

X.

1. vid. supra litteras CX.

2. Ut litteram *s* praegressa *x* saepe obtritā supra vidimus in praepositione *Ex*, ita eadem interdum praeter rem et necessitatem additur; exempla proposuerunt Schneider. l. l. pag. 374. sqq. et quos ille laudat; adde Pontederæ Epist. I. pag. 335. apud Schneid. Ang. Mai. et Osann. ad Appulei. de Orthograph. p. 52 — 54. Ex Mediceo enotavi *exsesa* Aen. VIII, 418. *exsūt* ibid. 567. Sed *extinxem* idem Aen. IV, 606., *vixet* XI, 118., *traxisse* pro *traxe* V, 786., sed expunctis tribus extremis litteris; *traxere* ibi Fr. Vatic. a m. pr., a sec. *traxisse*; denique *extinxili*

VERGIL. TOM. V.

31



Medic. IV, 682., ubi, quid primo scriptum fuerit, iam non apparet; litterae *xii* minio sunt pictae, sed harum media et *i* extrema iniatis virgulis transfixae; supra *x* est *c* eiusdem coloris. *extinxi* Fragm. Vatic. — Praeterea idem Vatic. *exsuias* Aen. IV, 496.

## Y.

1. Vide, quae de hac littera scripsit Schneider. l. l. p. 38. sqq. Nulla fere pars orthographiae Latinae impeditior est et magis incerta, quam haec; nam nec quod in universum praecipias multum est, nec quae fuerit singulorum scriptorum consuetudo promptum est dicere. Plurimum peccatum est a librariis in utramque partem, et *y* posita est nunc pro *u*, nunc pro *i*, contra alias *u*, alias *i*, pro *y*.

a) *Y* pro *U*: *satyri* prior lectio Medicei pro *saturi*, quae est altera, Ge. II, 197.; *satyro* pro *saturo* Rom. Ge. IV, 335.; *Selinys* pro *Selinus* Medic. et Rom. Aen. III, 705.; *Pollycis* pro *Pollucis* Rom. Ge. III, 89.; *Paphys* pro *Paphus* idem Aen. X, 86.; idem etiam *ferylas* pro *ferulas* Ecl. X, 25.

b) *Y* pro *I*: *lyntres* Rom. Ge. I, 262.; *Lyburnorum* idem Aen. I, 244.; *Pantagyae* idem Aen. III, 689.; *Hymillae* idem VII, 714.; *Oryci* idem X, 136.; *Erychaeten* idem X, 749.

c) *U* pro *Y*: *Saturos* pro *Satyros* Rom. Ecl. V, 73.; *cuti-* subsequitur, i. e. *cytisum* sequitur, idem Ecl. II, 64.; *Lucisca* idem Ecl. III, 18.; *mustica* idem Ge. I, 166.; *Cullenius* idem Ge. I, 337.; *Didumaonis* idem Aen. V, 359.; *Erinus* idem VII, 447.; *Stugii* idem VIII, 296.; *Iapuge* idem VIII, 710.; *Ludorum* idem IX, 11. et *Ludia* Ge. IV, 211.; *Procutha*, i. e. *Prochyta*, idem IX, 715. et *Taugete* Ge. IV, 232.; porro *Drumo* Medic. Ge. IV, 337., idemque *thumos* Ge. IV, 241., sed h. l. *y* supra scripta; ac *thymum* praeterea ubique Mediceus; recte vero *Batulum* Aen. VII, 739., ubi *y* supra scripta est fortasse ab aliquo, qui *Bathyllum* melius nosset, quam *Batulum*. Iam illud quidem dubitari non potest, quin antiquissimis temporibus, littera *y* nondum in ordinem Latinorum elementorum recepta, propter soni similitudinem *u* pro *y* scripserint Romani; vid. Schneider. l. l. p. 39.; cum autem cod. Rom. satis multa exempla veteris illius consuetudinis retinuerit, persuadebit sibi fortasse quispian servatum esse ab ipso Vergilio morem antiquum. Eiusmodi opinioni primum obstat auctoritas veteris scholiastae ab Ang. Maio producta; ita enim Longus ad Aen. III, 693.: „*Plemurium* fuit, emendatum *Plemyrium*.“ Tum illa Romani codicis ratio, ut in multis aliis, sic hac in re agrestior, nihil probat, nisi vitium hoc fuisse eius, qua exaratus est, aetatis; nam cum dudum cessisset in Graecis nominibus *u* littera litterae *y*, rediit ingruens barbaries,

imprudens opinor, ad priscam consuetudinem, cuius rei illustre exemplum exhibent nummi Imperatorum Decii et Aureliani, in quibus est non modo *Illurici*, *Illuriciani*, sed etiam *Inluricus*; vid. Eckhel. D. N. Tom. VII. p. 344. et 481.

d) I pro Y: *Driades* Rom. Ecl. V, 59. et *Amadriades* idem Ecl. X, 62.; *mirtus* idem Ge. II, 447.; *Phillirides* idem Ge. III, 550.; *iacinthis* idem Aen. XI, 69.

2. Ex his apparet plurima in Romano codice peccata esse, longe pauciora in Mediceo; quamobrem huic quidem hac quoque in re plurimum tribuendum putabimus, sed ea tamen cautione adhibita, ut, quae melior ratio dissuaserit, reiiciamus. Itaque cum Vergilium et litteris Graecis eruditum fuisse, et Graecos maxime duces secutum constet, in scribendis vocabulis Graecis fere ad Graecorum consuetudinem eum se composuisse existimabimus; contra idem in Latinae originis nominibus (nam Etrusca non sunt movenda, ut *Corythus*, *Pyrgi*,) vitavit Graecam litteram. Nam si qui sunt ex Rutulis Latinisque, quorum in nominibus *y* deprehendatur, ea ipsa sunt tota Graeca, ut *Calybe* Aen. VII, 419., *Cinyras* X, 186., *Thymber* X, 391.; adde, quae attulimus in Nota ad Aen. XI, 615.; de nomine *Tyrrheus* vid. V. L. ad Aen. VII, 485. Nec *Ornytus*, Graecum nomen Etrusci hominis, Aen. XI, 677. mutavi, etsi *Ornitus* est in Mediceo aliisque. De voc. *Thybris*, quae Graeca est forma, vid. V. L. ad Aen. VII, 715. XII, 35. At mendose scribitur *Erylum* in Medic. Aen. VIII, 563.; rectius Rom. *Erulum*, quod ex *Herus* sive *Erus* factum existimes. Quod autem Aen. IX, 334. legitur *Lamyrum*, id firmatur Inscriptione apud Gruter. T. I. P. II. p. DCLXXXI. no. 6., in qua est *Lamyrus*, et altera T. II. P. I. p. MXLV. no. 5., in qua *Catia Lamyra*. *Asilas* pro *Asylas* dudum restituimus Aen. IX, 571. De *Anxurus* vid. Heins. et Heyn. ad Aen. VII, 799. Hominis Italici, sed Graeca stirpe oriundi, nomen *Onites*, ut est in Medic. et Rom., egregie firmatur ab Apollodoro, apud quem exstat *Ὀνείτης* lib. II, 7.; itaque removi *y* ab eo nomine. Nec potest probari *Thyle* Ge. I, 30., etsi ita et in Mediceo et in Romano exstat; Graeci enim ubique *Θούλη*; sic autem non raro in codicibus et *Thyle* et *Thyrii* et *Lathyrus* legitur pro *Thule*, *Thurii*, *Lathurus*, vid. Salmas. Plin. Exercit. pag. 175. et 877. Nec magis ferendum, quod Ge. II, 448. in Medic. scribitur *Ityreos*, ubi *Tyraeos* Rom.; vid. de forma huius nominis Garaton. ad Cic. Philipp. II, 8.; certe recta ratio postulat *Ityraeos*, quamquam etiam altera scriptura, *y* exhibens, visitur in antiquis marmoribus. Sed magis memorabile exemplum vocalis *u* in *y* conversae exstat in nomine *Idymaeus* Ge. III, 12.; sic enim ibi Medic. et Vatic.; nam ut taceam Graecos constanter ut *Ἰδρυμαῖος*, sic

*Ἰδουμαῖος* scribere, ipsa etiam origination non patitur *Ἰδυμαῖος* fieri ex *Edom*. *Ebyso* tamen Aen. XII, 299. et *Astyr* Aen. X, 180. sq. propter Medicei et Romani auctoritatem revocanda censui, etsi quis fortasse nomen *Ebussii* mihi opponet, quod est apud Gruter. T. I. P. I. p. XV. no. 6. vid. etiam Drakenb. ad Silium III, 362. *Asbyten* an *Asbuten* Aen. XII, 362. verum sit dubitatur; mihi quidem in re dubia *Mediceum*, qui habet *Asbyten*, sequi consultius visum. *Plemyrium* Medic. et Rom. Aen. III, 693.; vid. §. 1, c. *Donysam* editur Aen. III, 125.; Graecis dicitur *Δονουσα*, *Δονουσία*, *Διονουσία*, vid. Harduin. ad Plin. H. N. IV, 23. Itaque erit, qui *Donusam* apud Vergilium scribendum censet. Sed cum *Donysam* et Medic. et Vatic. teneantur, *Δονουσα* autem et *Δονουσία* ex *Διονουσία* facta videantur, nihil impedit, quominus etiam tertiam formam huius nominis *Donyssa* ex eodem *Διονουσία* ortam statuamus. *Cymeam* Mediceus praebet Aen. III, 441., sed expuncta *γ*; Aen. VI, 98. autem *Cymea* et in Medic. et in Rom. sine ulla correctione legitur; atque haec forma, addita tamen vocali *a*, restituenda; cf. Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 39, 8. *Κοῦμαι* enim plurali numero haec urbs Ptolemaeo dicitur, eaque est forma huius nominis vere Romana, unde fit adiectivum *Cumanus*; singulari autem numero *Κύμη* appellatur, ut a Strabone; hinc ductum *Κυμαῖος*, *Cymaeus*; vid. Drakenb. ad Sil. It. VIII, 533. et notas Viror. Doct. ad Valer. Fl. I, 5. Recte contra Aen. VI, 2.: „Euboicis *Cumarum* adlabitur oris;“ ubi vitiose *Cymarum* Rom.; male idem *Cumei* Ecl. IV, 4.

3. Difficilius est statuere de iis vocabulis, quae e Graeca lingua profecta quasi civitatem in Latina acceperunt. Ac primo loco commemorandum est vocabulum *corylus*, quod sic per *γ* ubique i. e. Ecl. VII, 63. 64. Ge. II, 65. et 299., scriptum invenitur in Mediceo. Ortum hoc putant e Graeco *κάρυον*, quod si verum est, tamen ita a sua stirpe degenerasse apparet, ut propriam sedem in Latinitate habeat; alienam igitur ab eo Graecam esse litteram. Sed cum minime negligenda sit constans Medicei auctoritas, cumque ex tribus locis, quibus praeterea hoc nomen apud Vergilium legitur, Ecl. I, 14. V, 3. et 21., certe duobus, Ecl. V, 3. et 21., *corylus* in Romano exstare a Bottario et Schulzio discamus, nescio an plane Graecum fuerit hoc vocabulum, iniuria a Lexicis Graecis exulans. Atque en tibi Priscian. I, 8, 49.: „Ergo *corylus* et *lympha* ex ipsa scriptura a Graecis sumpta non est dubium, cum per *υ* scribantur ἀπὸ τοῦ κάρυλος καὶ τοῦ λύμφη.“ Non facile vero quisquam *camyris* probabit Ge. III, 55., licet peregrinum esse vocabulum Macrobius tradat; et *camuris* ibi legitur in Mediceo, sed littera *γ* supra picta. *Inclutus* in Mediceo legitur Aen. VI, 562. 479. 782. XII, 179., etiam II, 241., sed hic supra scripta *γ*; semel *inclyta* Aen. II, 82., male. Nam ex

*clueo*, quod quamquam Graecae est originis, formam induit Latinam, non *inclutus* fit, sed *inclusus*; vid. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 36, 4. Accedit, quod Graeci ignorant hanc ipsam compositionem nec umquam dixerunt ἐνκλυτος, etsi frequentarunt ἐνδοτος. *Inclutus* praebet Romanus Aen. VI, 479. 562. XII, 179., contra *incluta* Aen. VI, 782. *Serpulla* Ge. IV, 31., ubi vid. Heins., ex Mediceo et Ecl. II, 11., ubi vid. Pier., ex Romano adsciscendum putavi; et Pierius quidem etiam Ge. IV, 31. ita in eodem Romano legi testatur, Bottarius *serpylla*. Praeterea non exstat hoc nomen apud Vergilium. *Myrtus* ubique in Mediceo, *murtea* tamen in eodem Aen. VI, 443.; illud quidem plane Graecum est, hoc autem accepta Latina terminatione Latinum factum, cum Graecum adiectivum sit μυρτινος. Nec dubitarem *murtea* ibi restituere, ni obstaret *myrtetis* Ge. II, 112. Neglecta esse videtur Graeca origo in vocabulis *cumba* et *murra*. Et *cumba* quidem, quoties apud Vergilium legitur, exstat in Mediceo, i. e. Ge. IV, 195. 506. (his quidem locis *y* supra scripta), Aen. VI, 303. 413.; certum est ita scribi etiam in Rom. Ge. IV, 506. Aen. VI, 413., quo loco etiam Vaticani accedit auctoritas. Itaque non dubitavi Latinam litteram in hoc voc. Graecae substituere; vid. etiam Heusinger. ad Cic. Off. III, 14, 5. et ad Mall. Theodor. pag. 26. sq. *Murra* Aen. XII, 100. (nam semel usus est hac voce Vergilius) est in Medic., Rom. et Mentel. I. Audiamus hoc quoque loco Priscianum I, 8, 49.: „*v* et *ξ* in Graecis tantummodo ponuntur dictionibus, quamvis in multis veteres haec quoque mutasse inveniantur. et pro *v* *u*, pro *ξ* vero *s* vel *d* posuisse, ut fuga, *murra*, pro *φωγή*, *μύρρα*.“ vid. etiam Salmas. Plinian. Exercitatt. p. 143. Detraxi autem optimis libris auctoribus cum vocali Graeca etiam aspirationem; vid. Pier. ad h. l. et Oudend. ad Lucan. IV, 380. Recte Mediceus *cyparissus*, quia totum Graecum est, recte idem *cupressus* ubique, quia haec forma Latina; nec audiendus Romanus, qui *cypressos* habet Ge. II, 443. et Aen. VI, 216. Nusquam in Mediceo apparet *lacryma*, sed ubique *lacrima*, semel *lacrumas* Aen. IX, 289., si verum ibi vidit Fogginius; *lacrumantum* in Fragm. Vatic. exhibet Bottar. Aen. XI, 887. Nec constat, quo iure *adlacrumans* Aen. X, 628. scribatur; *i* ibi praeter Mediceum agnoscitur etiam a Romano, teste Bottario. *Lacrymas* affertur ex Rom. IX, 289., atque sic alibi in eo codice legi ait ibi Bottarius; *lacrimis* tamen ex eodem prolatum Aen. XII, 400. et *lacrimans* X, 628. *Intiba* Medic. utroque, quo exstat apud Vergilium, loco, Ge. I, 120., ubi eandem formam repraesentat Rom., et Ge. IV, 120., ubi adstipulatur Fragm. Vatic. Vitiosum esse *intyba* docent Galenus et Dioscorides, qui eam vocem Romanis tribuunt; vid. Pier. et Dausqu. apud Harles. ad Cellar. Orthograph. pag. 264.; *intuba* autem, quod Pier. tuetur ad Ge. IV, 120., ex prava scriptura *intyba* natum videtur, quem-

admodum etiam, nisi fallor, *lacruma* ex *lacryma*; nec casu fortasse factum est, quod, cum in Rom., ut modo vidimus, Aen. IX, 289. *lacrymas* scriptum sit, *lacrumas* eo loco habet Mediceus; quamquam hoc non eam in partem accipi volo, ut propterea Romanus antiquior videatur Mediceo. Sed etiam *i* et *u* litteras in Latinis nominibus saepe inter se olim esse permutatas, et Grammaticorum veterum et optimorum marmorum auctoritate testatum est. Denique *clipeus* constanter Mediceus, non *clupeus*, quamquam hoc visitur in ipso Monumento Ancyran. pag. 377. ed. Sueton. Wolf. lin. 20., nec *clypeus*; vid. Pier. ad Aen. II, 389. Burm. ad Aen. IX, 709.

ZM. vid. V. L. ad Aen. X, 351.

ZZ. vid. GAZA et MEZENTIUS.

**I N D E X**  
**I N H E Y N I I N O T A S**  
**E T**  
**C O M M E N T A R I O S .**



# INDEX IN HEYNII

## NOTAS ET COMMENTARIOS.

*Signa: E. Eclogae. G. Georgica. A. Aeneis. Cu. Culex. Cir. Ciris. Cat. Catalecta. Cop. Copa. Mor. Moretum. N. Notae. V. L. Variantes Lectiones. Exc. Excursus. V. D. Vita Donati. V. V. Vita Virgilii. Disqu. Disquisitio ad Aen.*

**A**bantis clipeus, Exc. 9, A. III.

*Abdere et abdi*, N. G. III, 96.

Aborigines, Exc. 4, A. VII.

Abyssus subterranea, lacuum et fluminum receptaculum, Exc. 2, G. IV.

Acanthus, de ea N. E. III, 45. IV, 20. N. G. II, 119. A. I, 649.

Accius, ei. tragoediae, Exc. 1, A. II, p. 338.

Acestes, varie scribitur, Exc. 1, A. V. de ipso homine ibid.

Acheron, N. A. VI, 106.

Achilles, eius in Troilum amores, Exc. 17, A. I. ab eo Macedonum reges genus ducunt, N. A. VI, 840.

Acta Apost. XXVII, 17. ill. Exc. 4, A. I, extr.

Actiaci ludi, N. A. III, 280.

*Addere*, varie accipitur, N. G. I, 513.

*Additus*, hui. adiect. significatus, N. A. VI, 90.

*Adolere et olere*, quid? N. E. VIII, 65. N. A. I, 704.

*Adversus et aversus*, permutantur, V. L. G. I, 218.

Aeacides, A. VI, 840.

Aeaea insula, Exc. 1. ad A. V.

Aegilia insula, V. L. Cir. 477.

Aegimuri insulae, Exc. 4, A. I.

Aegis a Iove vibrata, N. A. VIII, 353.

Aegyptiorum navigia picta, N. G. IV, 289.

Aeneadae, tum Troiani, tum Romani, V. L. A. I, 157. graece *Alveíadai* et *Alveáddai*, ib.

Aeneas, de eo auctores, Disq. I, §. 9. heros Achille et Ulysse haud inferior, Disq. I, §. 16. an revera ad Italiam accesserit, Disq. II, §. 2. ab Homero memoratus varias veterum interpretationes subiit, ib. §. 4. eius fata ante Virg. a scriptoribus Romanis passim exposita, ib. §. 5. quonam duce Troia excessit? ib. §. 7. ei. discessus ex urbe, pater, stirps, Exc. 17, A. II. variis in locis regnum condidisse traditus, ib. sui ipsius praeconia pronun-



tians, Exc. A. I. pius, ib. sacerdotio Apollinis functus, Exc. 9, A. II. ei. diversae traduntur uxores, Exc. 14, A. II. et Exc. 17, A. II. ei. in litore Italiae, quod praeternavigavit, vestigia, Exc. 1, A. III, extr. ei. errores et iter, Exc. 1, A. III. eorum anni, Exc. 2, A. III. cur ad Africam tempestate agebatur? Exc. 1, A. IV. commode dictus in Antandro urbe classem exaedificasse, N. A. III, 6. invenit Troianos colonos in Epiro, Exc. 10, A. III. ei. ad Siciliam accessus, Exc. 1, A. V. ad Italiam, Exc. 4, A. VI. et Exc. 2, A. VII. descensus ad inferos, eiusque tempora Exc. XI\*\* ad A. VI. ei. clipeus, Exc. 4, A. VIII. de Aenea et Anchise ante belli Troi. tempora narrata, Exc. I\*, A. IX. ei. in Cyprio carmine mentio, ib. ei. post argumenti Iliadis tempora res gestae, ib. ei. ex Etruria auxilia accepta, Exc. 1, A. X. ei. res gestae et fata inde ab adventu in Ital. et de poetae artificio in his rebus tractandis et ornandis, Exc. 3, A. XII. quo anno obierit Aeneas, varie traditur, ib. quot annos in Italia commoratus sit, ib.

Aeneis, orationis indoles demonstrata, Disq. I, §. 13. non est carmen *πολιτικόν*, ib. §. 15. ei. narratio non nisi cum VII. anni aestate exordium habet, eodemque anno absolvitur, ib. §. 16. ei. narratio erat iam ante Virgilium inter illustriores Romanorum historias, Disq. II, §. 2. et inpr. ib. §. 5. in ea Iunonis ceterorumque deorum ministerium, Exc. I\*, A. I. ei. libri sex posteriores a vituperiis vindicati, Arg. A. VII. iidem in tempora sua descripti paucorum dierum acta habent, Exc. 1, A. XII. in ei. oeconomia quae reprehendi possint recensita, Exc. 5, A. XII.

Aenia et Aenus, urbes, Exc. 1, A. III.

Aeolia insula, Exc. 1, A. I.

Aeolici mythi, rudius et antiquius genus constituunt, N. A. VI, 582.

Aeolus Virgilii plus dignitatis habet, quam idem Homeri, Exc. 1, A. I.

Aequi Falisci, N. A. VII, 695.

Aes, ex eo omnia facta heroum temporibus N. A. I, 448.

Aesculapius fulmine percussus, N. A. VII, 770.

Aetas et aestas variant, V. L. G. III, 190.

Aether, Terrae coniux, N. G. II, 325.

Aethiopes et Indi, veteribus qui? Exc. 19, A. I.

Aetna, eius incendia, Exc. 15, A. III. fumum simul et flammam emittens, V. L. A. III, 574. silvovus olim, ib. 583.

Aetolorum pes alter nudus, alter ocreatus, Exc. 8, A. VII, p. 168.

Afflare, ei. verbi significationes deductae, N. A. I, 591.

Afri, eor. color et habitus, N. Mor. 32.

Africae occidentalis plaga antiquissimis fabulis celebrata, N. A. IV, 478.

Agathyrsi, Exc. 2, A. IV. extr.

Ager Troianis a Latino rege concessus, N. A. XI, 316. agri colendi antiqua ratio, (iteratio, tertiatio etc.) N. G. I, 47. frumentis idonei, N. G. II, 203. arantur inter vites et olivas, ib. 356. agri per Octavium divisi argum. Ecl. I, et V. V. a. U. 713.

Agrigentum, opibus affluens, N. A. III, 703.

Agylla, Exc. 3, A. VIII, p. 288. vid. Caere.

Aiax Oilei f. in *νόστοις* poetarum cyclicorum crebro commemoratus, N. A. I, 39.

Alba Longa, Exc. 3, A. VII, extr. quo tempore condita sit, Exc. 3, A. XII, p. 845. regnum ibi quamdiu duraverit, ib. eius coloniae triginta, N. A. VI, 773.

Albunea dea, N. A. VII, 81.

Alcathoi Megarensis fabula, N. Cir. 105. et V. L. Cir. 112.

Alcidamas, ei. accusatio Palamedis, Exc. IV\*, ad A. II.

Alcman N. A. VIII, 26. metrum scite alio modo restituit Fiorillo Obsa. crit. ad Athenaeum p. 26. 27.

**Alcon statuarius, N. Cu. 66.**

**Alcyones, N. G. I, 399.**

Alexander Grammaticus em.  
N. A. VI, 100.

Alexandrini poetae, eor. in-  
doles, Disqu. I, §. 13.

*Allegoriae bucolicorum*, de  
Carm. Bub. sub f.

Almus, N. A. I, 306. dies, N.  
E. VIII, 17. V. L. Cu. 234.

Aloidae, eor. mythus, A. VI,  
582.

*Alpium tremores*, N. G. I, 474.

**Amaracus, inter coronarias, N.**  
**A. I. 693.**

Amasenus fl., Exc. 8, A. VII,  
p. 167.

**A m a t a e mors ex antiquo more iudicanda, N. A. XII, 603.**

Amazones, in heroum tempora  
a poetis licenter illatae, Exc. XIX\*,  
A. I. varie ab antiqua arte tracta-  
tae, ib. auxilium Illo ferentes, ib.  
quaenam earum mamma exserta?  
N. A. XI, 649. earum origo, ib.  
659.

Ambrosia, ei. usus in univer-  
sum, N. G. IV, 418. in vulneribus  
sanandis, Exc. 4, A. XII.

**Amineum vinum, N. G. II, 97.**

*Amor puber*, N. A. I, 717.  
*Iovis fulmina contemnens*, N. A.  
I. 665.

*Amorem implere, quid? Exc. 25,*  
A. I.

*Amphrysus* fl., N. A. VI, 398.

Amsancti vallis, de ea variae  
VV. DD. disputationes, N. A. VII,  
565.

**Amyci varii, V. L. A. I, 222.**

*Amyclae tacitae*, de hac urbe,  
N. A. X, 561. et Exc. 2, A. X.  
cum *Italicis Amyclis confusae*, ib.

Anagnia urbs Hernicorum, N.  
A. VII, 684.

**Anaximenes** Lampsacenus, historicus Graecus, inter cyclicos, Exc. 1, A. II, p. 382.

Anchises, humeris Aeneae exportatus, Exc. 13, A. II. caecusne, an fulmine afflatus? Exc. 17, A. II. et N. A. II, 647. divinator, Exc. 17, A. II. narrata de eo ante bellum Troianum, Exc. 1\*, A. IX. ei. sepulcra variis in locis, Exc. 1, A.

III, passim. ei. obitus Exc. 17,  
A. III.

*Ancrae et Antrae*, V. L. G. II,  
180.

Androgei letum, N. A. VI, 20.

Andromacha. Eius et Heleni  
occursus in Epiro, Exc. 10, A. III.  
Pyrrho nupta, ib.

Anima, de ea, corpore mortuo  
superstite, N. A. III, 67.

Anima mundi N. G. IV, 219.

**Animae**, earum orbis permeandus varie constituitur, N. A. VI, 748. ante vitae ingressum, ibid. 679. ignea vis, ibid. 730. lustratio 735. earum origines et fata, E. 13, A. VI, et N. A. VI, 748. de earum in vitam reditu Platonis opinio, N. A. VI, 103.

Animalia occisa poetis saepe  
pugnarum et odiorum caussae, N.  
A. VII, 475.

Animus, in eum vis sanguinis  
frigidi, N. G. II, 484. A. I, 567.  
eius perturbationes a corporis con-  
tagio, N. A. VI, 733, 5.

Anius, Deliorum rex, de eo  
narrata, Exc. 1, A. III, p. 559.

Anni commorationis Aeneas in Italia exputati, Exc. 3, A. XII. inde a Troiae excidio ad Romam conditam diversimode traditi constituuntur, ib.

*Anser poeta*, N. E. IX, 36.

Antandrus, ibi commodè di-  
ctus Aeneas classem exaedificasse,  
N. A. III. 6.

Antefixa Romanorum, N. A.  
VII, 183.

Antenor, fabulae de eo et eius  
in Ital. adventu, Exc. VII\*, A. I.

Anthologia Latina. Ex ea  
carmina de Virgilio em. et ill. T.  
I, p. CXXXVI. sqq.

Antilochus, Nestoris f., pietate in patrem insignis, N. A. X, 789.

Antonius, eius et legatorum  
ipsius victoriae in Oriente, V. L.  
A. VIII. 686.

Antonius Musa, N. Cat. 13.

A pēs, mellificium, de iis scriptores, N. G. IV, 1. tinnitu coguntur, ib. 64. Iovis pueri nutrices, ib. 149. generatio, ib. 197. ex animalium cadaveribus oriuntur, ib. 281.

- Aphaea* dea, N. Cir. 219.  
*Apium*, pro mensis ex oraculo comensis quomodo memorari potuerit, Exc. 2, A. VII.  
*Apollo*, deus Caesarum tutela-  
 ris, N. E. IV, 10. N. G. III, 36.  
 boyes in Thessalia pascens, N. G.  
 III, 2. ad Amphrysum, ib. Gry-  
 neus, N. E. VI, 72. Apollinis  
 Actiaci templum et mons Leucas,  
 N. A. III, 274. Clarii, N. A. III,  
 360. Palatini, V. L. A. VI, 69. ei.  
 templum in monte Cumano, Exc. 3,  
 A. VI. ei. in illo status, ib. ei.  
 accessus ad Delum, Exc. 2, A. IV.  
 ei. in Lycia oracula, ib. eo gentis  
 Iuliae respectu usus est Virgilius in  
 Aen. Exc. 1, A. IX, 823 sqq. ei.  
 in Soracte monte sacra, N. A. XI,  
 785.  
*Apollodori* fragm. em. Exc.  
 9. ad A. VI, fin.  
*Apollonius*. Schol. in eum em.  
 Exc. 1, A. III, p. 561.  
*Apotheosis*, quo sensu acci-  
 pienda. Exc. 12, ad A. VI.  
*Aqua lustralis* in templorum aditu,  
 N. A. VI, 635.  
*Aquila* et cygni dissident, N.  
 A. I, 393.  
*Aquilo*, eius partes in Aenea  
 ad Libyam reiiciendo, Exc. 3, A. I.  
*Aquilones* statim in mari Aegaeo,  
 Exc. 2, A. III, p. 566.  
*Ara Maxima*, de ea loca lau-  
 data, N. A. VIII, 265. arae in pro-  
 nao, N. A. VI, 124. arae in mari  
 ex adverso Carthaginis, Exc. 4,  
 A. I.  
*Aracynthus* Actaeus, N. E.  
 II, 24.  
*Aratio*, quotuplex, N. G. I,  
 47.  
*Aratrum* Virgilianum, Exc. 1,  
 G. I.  
*Aratus*, N. E. III, 40. em. et  
 ill. N. E. III, 60. G. I, 359. 361.  
 370. 381. V. L. I, 442. ei. Phae-  
 nom. a Germanico versa em. N.  
 A. III, 517. restitut. N. A. V, 267.  
*Arctini* Aethiopis, Exc. 19, A.  
 I. ei. Ἰλιον πέποις, Exc. 1, A. II,  
 p. 393. ei. partes in Laocoontis fab.  
 ornanda, Exc. 5, A. II, p. 412.  
*Ardea*, urbs, de ea V. L. A.  
 VII, 411. 419.  
*Area*, ad grana extenda, N.  
 G. I, 178.  
*Arethusa* fons, N. E. X, 4.  
*Argentum* auro inclusum, Exc.  
 22, A. I.  
*Argi* pro tota Graecia, N. A. I,  
 285.  
*Argolicus* clipeus, Exc. 9, A.  
 III.  
*Argos* Hippium, Exc. 1. ad A.  
 XI.  
*Aricia*, oppidum, de ea Exc.  
 8, A. VII, p. 174. lacus Aricinus,  
 N. A. VII, 516.  
*Arimi* in Cilicia, N. A. IX, 716.  
 et Exc. 2, A. IX.  
*Arisba*, N. A. IX, 264.  
*Aristaeus*, de eo N. G. I, 14.  
 ei. variae patriae tributae, N. G.  
 IV, 283.  
*Aristomachus*, de mellificio  
 scr., N. G. IV, 1.  
*Aristoteles*, em. N. A. I,  
 864.  
*Arma* fluitantia, N. A. I, 119.  
 tumulis infigi solita, N. A. VI, 233.  
 armorum a Vulcano petitio Virgi-  
 liana cum Homericis comparata, N.  
 A. VIII, 370.  
*Artes* mutae, Exc. 4, ad A.  
 XII.  
*Ascanius*, Exc. 17, A. II. Exc.  
 3, A. XII, p. 843.  
*Ascanius* fl. N. G. III, 269.  
*Asia* palus, N. G. I, 383.  
*Asilus* insectum, N. G. III,  
 146.  
*Asper* varie dicitur, N. A. I, 14.  
*Assaracus* ex Aeneae maiori-  
 bus, N. A. I, 284.  
*Assurgere* alteri, N. E. VI, 66.  
*Assyriorum* imperium tempore  
 Troiano, Exc. 19, A. I.  
*Asteria*, nomen Deli, N. Cu.  
 15.  
*Astra* humoribus aluntur, N. A.  
 I, 608.  
*Astyanactis* aetas non adeo  
 bene a Virg. observata, Exc. 5, A.  
 XII, p. 857.  
*Athenaeus* em. Exc. 1, A. II,  
 p. 393.  
*Athenienses* τριποποδοῦντες,  
 N. Cir. 127.  
*Atia* gens, V. L. et N. A. V,  
 568.

**Atlas**, cantus magister et antiquus philosophus, N. A. I, 741. ei fabula, N. A. IV, 246.

**Auctor vitae Homeri**, em. Disqu. I, §. 2. p. 4. auctor de Augusti progenie, em. N. A. VII, 483. auct. de mirab. auscult. em. Exc. 1, A. XI, p. 702.

**Aventinus heros**, N. A. VII, 653.

**Avernus**, locorum circa eum descriptio, seu topographia agri Cumani, Exc. 2, A. VI, eadem ad mentem Maronis, Exc. 3, A. VI.

**Aves**, circa heroum tumulos, Exc. I, A. XI. *Diomedae aves*, ib.

**Aversus a sole quis?** et quo sensu? N. A. I, 568.

**Augias Troezenius auctor Νόστων**, N. A. I, 265.

**Auguria ex oscinibus et praepetibus**, N. A. III, 361.

**Augusti signum natale**, N. G. I, 33. magnitudo prodigiis ostensa, N. A. VI, 799. triumphus, N. A. VIII, 714. opera publica, A. VIII, 715.

**Aulon et Caulon idem**, V. L. A. III, 553.

**Aura cum ora** in codd. permittantur, V. L. G. II, 47.

**Aurelius Victor** em. N. A. VI, 773. et Exc. 4, A. VI, p. 1012.

**Auris vellicatio**, N. A. VI, 4.

**Auro inclusum ebur, marmor, argentum**, Exc. 22, A. I.

**Aurorae decursus per coelum**, N. A. VI, 535.

**Aurunci**, Exc. 8, A. VII, p. 172 sq.

**Ausones**, Exc. 4, A. VII, p. 146.

**Ausonia, quid?** Exc. 21, A. I.

**Auspiciorum mos ap. Romanos**, N. A. II, 177.

**Auster**, in monumm. repraesentatus, N. G. I, 462.

**Austres terrae parum cognitae**, N. G. I, 462.

**Auxilia Aeneae ex Etruria**, Exc. 1, A. X.

**Bacchica Orgia**, N. E. V, 30. N. A. VII, 385. poetarum usibus inservientia, Exc. XI\*, A. VI.

**Bacchus**, ei. *ἐπιφάνεια* in festis Bacchicis, N. G. II, 392. N. A. VII, 385. 391. eius praesentia mella arboribus defluunt, N. E. IV, 30. uvas calcat cothurnatus, N. G. II, 7. templum sub Taygeto, N. G. II, 480. sacra trieterica, N. A. IV, 301. triumphus ex India, N. A. VI, 805. sacra in Italiam illata, Exc. 7. ad VII, p. 162.

**Baianus portus**, N. G. II, 161.

**Barbari**, cutem coloribus illiunt, N. G. II, 115. Troiani, N. A. II, 504.

**Barce**, Cyrenaica urbs, N. A. IV, 43.

**Bellerophon**, frenorum inventor, N. G. III, 113.

**Bellum persona indutum**, Exc. 9, A. I. civile ex Remi caede derivatum, ib. N. G. I, 520.

**Belus**, N. A. I, 729. non verum regis nomen, Exc. 23, A. I.

**Benacus lacus**, N. G. II, 159.

**Bianor**, heros Mantuanus, N. E. IX, 60.

**Bion ill.** N. A. I, 681.

**Bistones Thraciae**, V. L. Cir. 165.

**Boethus caelator**, N. Cu. 66.

**Britomartis**, V. L. Cir. 303. et N. Cir. 219.

**Buccina ad convocandos homines adhibita**, N. A. VII, 311.

**Bucolicum carmen**, de eo vid. s. Carmen.

**Bugonia**, N. G. IV, 317.

**Busiris**, carminum argumentum, N. G. III, 5.

**Butae plures**, N. A. V, 372.

**Buxus**, N. G. II, 437.

**Byrsa**, N. A. I, 367.

**Cabiri dii**, Exc. 9, A. II, p. 424.

**Caci fabula**, N. A. VIII, 193. ei. caedes in numis, ib. 265.

**Caecilius Minutianus Apuleius grammaticus**, V. L. A. X, 1.

**Caelare**, semper de opere anaglypho dicitur, N. A. I, 640.

**Caeli portae**, N. G. III, 261.

Caere, varie flectitur, V. L. A. VIII, 597. ei. antiquitas et opes, Exc. 3, A. VIII, p. 288. auxilia Aeneae mittit; et de ea in universum, Exc. 1, A. X. init.

Caesar deus tutelarior urbium, N. G. I, 20. in Pompeium arma movet e Galliis, N. A. VI, 831. eius stella, N. E. IX, 46.

Caesar Octavianus, v. Octavianus.

Caesare (Iulio) occiso prodigia, N. G. I, 466.

Caleta, portus et insula, Exc. 1, A. VII.

Callisthenes, historic. Graec., Exc. 1, A. II, p. 381.

Camarina palus, N. A. III, 701.

Camilla, nomen unde? N. A. XI, 543. et V. L. ad e. l. de ea ipsa, Exc. 2, A. XI.

Canes Iovis, an Furiae? N. A. XII, 845.

Canopus, Aegypti urbs, N. G. IV, 287.

Capena, urbs, N. A. VII, 697.

Caper Baccho sacer, N. G. II, 380.

Capere locum, copiose illustratur, N. A. I, 396.

Caphareus, Euboeae promontorium, N. A. XI, 260.

Captivi Troiani, in monumentis, N. A. II, 766. captivarum sortitio, Exc. 11. ad A. III.

Carchesium vas, N. G. IV, 380.

Carinae: in urbe Romae, N. A. VIII, 361.

Carme, Britomartios mater, N. Cir. 219.

Carmen amoebaeum, Argum. E. III.

Carmen bucolicum, V. D. §. 80. sqq. ei. initia, de Carm. Buc. p. 4 sqq. definitio, p. 6. sqq. argumenta generis venatorii, piscatorii, etc. complectitur, 8 sqq. Virgilius novum genus constituit, 10 sqq. quibus virtutibus Carm. Bucol. sese commendare debeat, 11 sqq. utrum Virgilius Theocrito praestet, 14 sqq. Carminis bucol. descriptio et oeconomia, 16. in eo designatio situs et loci temporisque, 16. sqq. eclogarum Virgilian. virtutes, 17 sqq.

in iis allegoria, 19 sqq. ambages narrantis, N. E. I, 19.

Carmen didacticum, de eo, prooem. ad Georg. p. 265 sqq. episodica in eo, ibid.

Carmen epicum, de eo Disqu. I, Vol. II, p. 1. sqq. dramate latius patet, ib. §. 4. argumenta ex heroicis temporibus optime petuntur, ib. ei. unitas, ib. §. 5. ei. illusio, ib. ei. dotes Virgiliani carminis, ib. §. 6. in eo conficiendo quae fuerit Virgilio cum Homero aliisque poetis ratio, ib. §. 7. 11. rerum inveniendarum facilitas, §. 7. dilectus in heroe, §. 9. quae eius aetati debentur, §. 11. orationis indoles, §. 13. Censurae Aeneidis excussae §. 14. Aeneidis condendae consilium non est politicum, §. 15. de rerum in Aeneide tractatarum inventionem, Disqu. II, p. 37 sqq.

Carmina a principibus verbis laudata, N. E. II, 24.

Carmina physica veterum, N. G. II, 477. A. I, 740.

Carnarium, quid sit, V. L. Mor. 56.

Carpere viam, N. G. III, 142.

Carthago, quando condita sit, varie traditur, Exc. 1, A. IV. colles in eius aditu, N. A. I, 419. ei. portus Cothon, N. A. I, 427.

Carthaginenses agri colendi studiosi, Exc. 14, A. I.

Casia frutex, N. G. II, 465.

Casmius, Mercurius, N. A. XI, 543.

Cassandra, vates, N. A. II, 246. raptata ab Aiace Oilei, Exc. X\*, A. II.

Castaneorum insitio, V. L. G. II, 71.

Castor et Pollux alternis viventes, N. A. VI, 121.

Castoreum Ponticum, N. G. I, 58.

Castra Troianorum, et locorum circa ea situs, N. A. IX, 196.

Castris et chartis, confusa, V. L. Cu. 24.

Cateia, teli genus, N. A. VII, 742.

Catius, Epicureus philosophus, V. D. §. 7.

- Caverna subterranea, aquarum receptaculum*, Exc. 2, G. IV.
- Caulonis seu Aulonis arces*, V. L. A. III, 553.
- Caurus ventus*, N. G. III, 278.
- Cedrus*, ei. notio varia, N. A. VII, 13. N. G. II, 443.
- Celeus Eleusinius*, N. G. I, 165.
- Censura eorum, quae in Aeneidis oeconomia reprehendi possunt*, Exc. 5, A. XII.
- Centauri, eor. mythus*, N. A. VII, 674.
- Cephalo Gergethius, auctor Troicorum*, Exc. 1, A. II, p. 382.
- Cerberus, eius fabula, nomen, placatio*, N. A. VI, 417.
- Ceres legifera*, N. A. IV, 58. in thesis ducta, N. G. I, 163.
- Cereus, a, um, de pomis*, N. E. II, 53. cerea effigies in arte magica, N. A. IV, 504.
- Cerevisia*, V. L. et N. G. III, 380.
- Certaminum descriptiones*, N. A. IV, pr.
- Cervi in Africa*, N. A. I, 184. et A. IV, 154.
- Ch pro c sequiorum aetatum vitium est*, V. L. A. VIII, 506.
- Characterum, quos aiunt, paucitas in Aeneide vindicatur*, Disqu. I, §. 17.
- Charontis vestitus*, N. A. VI, 301.
- Charybdis, quid?* N. A. III, 420.
- Chersydrus*, N. G. III, 425.
- Chlamys in nodum collecta*, Exc. 3, A. XI.
- Chonia, Exc. 21, A. I, p. 258. et Exc. 4, A. VII, p. 145 extr.*
- Choreae sacrae*, Exc. 20, A. I.
- Chorus ducere unde Dii crediti?* Exc. 20, A. I.
- Cicada, eius victus*, N. E. V, 77. Atheniensium ornamentum, N. Cir. 127.
- Cicero ill.* Exc. 5, A. II, p. 411.
- Cimini lacus et mons*, N. A. VII, 697.
- Cimmerii*, Exc. 2, ad A. VI.
- Cinctus Gabinus*, N. A. VII, 612.
- Cinna poeta*, N. E. IX, 35.
- Cinyps, fl. Libyae*, N. G. III, 312.
- Cinyrae et Cupavonis fabula*, N. A. X, 186.
- Circes insula et Caieta, Exc. I, A. VII. Circes promontorium herbis et arboribus frondescens, ib. de fabula Circes coniectura, ib. eius caput radiatum*, N. A. XII, 164.
- Ciris, quatenus avis? et de ea fabula*, N. Cir. pr.
- Cisseus, Thracum rex*, N. A. V, 536.
- Claniv, Campaniae fl.*, N. G. II, 225.
- Classis Troiana incensa*, Exc. 6, A. V.
- Claudia gens*, N. A. VII, 706.
- Clavus, morbi genus*, N. G. III, 299.
- Cleopatra, pluresne angues an unum tantum sibi adhibuerit*, V. L. A. VIII, 697.
- Clipeus, Argolicus*, Exc. 9, A. III. Abantis, ib. Aeneae, Exc. 4, A. VIII. terroris causa splendor, N. A. VIII, 353.
- Clusium, Etruriae urbs, de ea Exc. 1, A. X, p. 569.*
- Codicum notatio, qui in V. L. passim laudantur*, Vol. IV, p. 603 sqq.
- Coloniae patria sibi loca imitatione reddunt*, N. A. III, 302.
- Colores equorum, enumerati et distincti*, N. G. III, 82.
- Colubrorum genus*, N. G. III, 418.
- Coluthus*, Exc. I, A. II, p. 385.
- Comparatio a parvis rebus petita*, N. A. IV, 402. a lupis ducta, N. A. II, 355. a gruum ex australibus plagis reditu, N. A. X, 264. proeliantium cum ventis, N. A. X, 356. ab incendio per pastores excitato, N. A. X, 405. a strepitu aquarum, N. A. XI, 296. ab hirundinis volatu, N. A. XII, 473. a fumigatione apum, N. A. XII, 587. a saxo avulso et praecipitato, ib. 684. a pugna taurorum, ib. 715.
- Componere diem*, N. A. I, 374. componi, N. A. I, 249.

Conon, mathematicus et astronomus, N. E. III, 40.

Cononis Narration. c. 46. loc. ill. Disqu. II, §. 7.

Continuo, hui. adverb. usus in poetis, N. G. I, 60.

Cornificius, V. D. s. 67.

Coroebus, Exc. 10, A. II.

Corona, ei. occasus, N. G. I, 222.

Corona duplex, N. A. I, 635.

Coronare pocula, quomodo accipiendum? N. A. I, 724.

Corpora vasta priscorum hominum, N. G. I, 497.

Corsica mellis amari ferax, N. E. IX, 30.

Cortona, Umbrorum urbs, N. A. X, 719.

Corythus urbs, Exc. 6, A. III. pro Etruria dicta, N. A. III, 170.

Cothon, Carthaginiis portus N. A. I, 427.

Cotyttia sacra, N. Cat. V, 19.

Crataeis, Scyllae mater, de ea V. L. Cir. 66.

Creta, caprarum plena, N. A. IV, 69.

Cretenses, sacrorum Apollinis Delii ministri, Exc. 2, A. IV, p. 718. telis venenatis usi, N. A. XII, 858.

Creusa, Exc. 14, A. II.

Crines moribundis cur abscedebantur? N. A. IV, 698.

Crotalistris mitrata in artis opp., N. Cop. 1.

Crusaei, Exc. 1, A. III, pr.

Cumae, ear. origines, N. A. VI, 2.

Cumani agri topographia, Exc. 2, A. VI. eadem ad mentem Maronis, Exc. 3, A. VI.

Cupavonis et Cinyrae fabula, N. A. X, 186.

Curetes, N. A. III, 131. in Phrygia, Exc. 5, A. III.

Cursus exprimendi ratio in poetis non ad litteram exigenda, V. L. A. VII, 808.

Curtius se devovens, V. L. Cu. 363.

Cybele mons varie scribitur, V. L. A. III, 111. Cybele et Cybebe, V. L. A. X, 220.

Cycli poetarum et poetae cyclici, Exc. 1, A. II, p. 378 sqq.

Cyclopes, eor. nomina, N. A. VIII, 425. sedes, N. A. I, 201. III, 582.

Cyclus, mythicus qualia comprehenderit carmina, Exc. 1, A. II, pr. Troianus, quibusnam poetis constituitur, ib. epicus, ibid.

Cydon pro Cretensi, N. A. XII, 857.

Cygni et aquilae dissident, N. A. I, 395. cygnorum in augurio partes, ib. 393. cantus, N. E. IX, 29.

Cypria carmina, Exc. 1, A. II, p. 390 sq.

Cyprus, a Phoenicibus frequentata, Exc. 23, A. I.

Cyrene Nympha, N. G. IV, 321.

Cythera insula, N. A. I, 680.

Cytheris, Antonii amica, Argum. E. X.

Cytisus herba, de eo N. E. II, 64.

Cytorus, Paphlagoniae mons, N. G. II, 437.

Daci, N. G. II, 497.

Daedali ad occidentem iter, N. A. VI, 14. 16.

Danae, ex Turni maioribus, Exc. 7, A. VII, p. 162.

Daphnidis laudes, nobile carminum antiquior. pastoritior. argumentum, Arg. Ecl. V.

Dardani origines ex Arcadia vel ex Tyrrhenia et urbe Corytho, Exc. 6, A. III. N. A. I, 380. Dardanus a Teucro exceptus, I, 625.

Dare se, quid? N. G. I, 287.

Dares Phrygius, Exc. 1, A. II, p. 386.

Decursus in armis circa tumulum, Exc. 5. ad A. V.

Deiphobe, Sibylla et sacerdos, Exc. 5, A. VI.

Deiphobus, N. A. II, 310.

Delus insula, N. A. III, 73. Exc. 4, A. III.

Demetrius Scepsius, Exc. 1, A. II, p. 384.

Democritus, eius Georgica, N. G. I, 276.

*Depellere*, de pecore, varie dicitur, N. E. I, 22. III, 80. VII, 15.

Descensus ad inferos an ex initiis Eleusiniis sit adumbratus, Exc. 10, A. VI. tempora descensus Aeneae ad Elysium, Exc. XI\*, A. VI. varii ad inferos descensus, N. A. VI, 392.

Diana choro sacrificantium virginum mixta, Exc. 20, A. I. Dianae et nympharum choreae, N. A. I, 494. Exc. 20, A. I. Diana Phaceliis, Aricina, Exc. 8, A. VII, prope f. Taurica, N. ad V. V. §. 85. Dianae protomae ferarum consecratae, N. E. VII, 30. lucus sub Cithaerone, V. L. Cu. 108.

Dictamnium et dictamnus, herba medica, Exc. 4, A. XII, p. 849.

Dictynna Dea, N. Cir. 219.

Dictys Cretensis, em. N. A. II, 261. quid de eo statuendum? Exc. 1, A. II, p. 385 sq.

Didacticum carmen, v. Carmen.

Dido, a Sichaei umbra monita, Exc. 11, A. I. lectulo ab Aenea relicto incubans, N. A. IV, 82. ei. cum Aenea concubitus bene a Virg. siletur, N. A. IV, 160. ei. amores et aetas, Exc. 1, A. IV. pulcherrima forma, Exc. 20, ad A. I, extr.

*Diem componere*, quomodo intelligendum? N. A. I, 374. dies fausti et infausti, N. G. I, 276. dies longissimus in Italia, G. III, 327.

Dii: dii agrestes pastorum lusi- bus adsunt, N. E. II, 46. deorum agrestium simulacra minio picta, N. E. VI, 21. iis libatum, N. G. I, 344. inuisant terras, N. G. I, 25. diis adscripti deas coniugio accipiunt, N. G. I, 31. dii vendunt bona labore, N. G. I, 121. calamitates ob piacula immittunt, N. G. I, 500. deorum praesentia credita, N. G. II, 392. 493. diis antiquioribus vis divinandi tributa, N. G. IV, 392. dii in aliorum gratiam ultionem sumunt, N. A. I, 8. currus diis tributi, N. A. I, 16. II, 417. dii patres dicti, N. A. I, 155. deorum ministerium in Aeneide, Exc. I\*.

VERGIL. TOM. V.

ad A. I. in rebus insolitis adhibitum, N. A. X, 689. opera in excidio Troiae, N. A. II, 604. dii marini in marmoribus, N. A. V, 823. deorum tacitas cogitationes amant poetae reddere, N. A. VII, 291. eorum in pugna usus apud poetas ad inflammandos pugnatorum animos, N. A. IX, 717. deorum Homericorum concilia, N. A. X, 2. dii munerum acceptorum memorazione exorandi, N. A. X, 619. cum tempestate mota apparent, N. A. X, 634. deorum antiquiorum nomina in foederum et precum formulis recitata, N. A. VII, 136. deorum signa foederibus faciendis ad aram apposita, N. A. XII, 286. dii Trojanorum recensentur, Exc. 9, A. II, p. 425. urbe capta, ut salvi sint, curatur, Exc. 12, A. I, extr. eorum in affectu dignitas a poetis servanda, Exc. 5, A. I. Dii Magni iidem ac Penates, Exc. 9, A. II, p. 418. sq. equitantes dii, quomodo interpretandi, N. A. II, 418. deorum interventus in Aeneide, et unde acceperint poetae ea signa, quae praesentiam numinis arguunt, Exc. 13. ad A. I, et Exc. I\*\*, A. IX. eor. forma et mores ex mente rudiorum hominum, ib. eor. interventus in extrema parte Aeneidis, Exc. 2, A. XII. nomina deor. ad heroes translata, et vice versa, N. Cir. 219.

Diodorus Siculus em. N. Cir. 219. cyclum mythicum operi suo intexuit, Exc. I, A. II, p. 382.

Diomedes, ei. sedes in Apuliae litore, Exc. 1, A. XI. ei. errores et urbes ab eo conditae, ib. aliae de eo narrationes, ib. congregitur cum Aeneia, N. A. I, 96. eius equi, Exc. 26, A. I.

Dionysius Halicarn. em. Disqu. II, §. 1. Nota et §. 5. A. VI, 776. VII, 483. Exc. 1, A. III.

Dionysius Miles., ei. scripta, Exc. 1, A. II, p. 381.

Dirae, Iovis ministrae, N. A. XII, 845. frequens earum in graecis poetis usus, N. A. IV, 612.

Divinantibus potestas in fatum tributa, N. G. I, 415.

Divinatio inter omnes gentes rudes frequentatur, Disqu. II, §. 6.



Dolo, teli genus, N. A. VII, 664.

Dolopes Myrmidonibus accensi, N. A. II, 29.

Donati vita Virgilii valde interpolata, V. D. pr. p. LXXVIII.

Donusa ins., ei. situs, N. Cir. 477. ei. nomen, V. L. ib.

Dores pro Achivis, N. A. II, 27.

Doris pro mari, N. E. X, 5.

Dos heroico aevo data, N. G. I, 31.

Draco, in hortis Hesperidum, Exc. 4, A. IV. draconum allapsus exempla, N. A. II, 209.

Drepanitanus ager sterilis, N. A. III, 707.

Dryopes, Exc. 2, A. IV, p. 718.

Dulichium, N. A. III, 271.

**E**bur auro inclusum, Exc. 22, A. I.

Ecloga, eius nomen expl., Vol. I, p. 18. Ecloga IV, graece versa, cum nott. critt., Vol. I, p. 250.

Edones Thraciae, V. L. Cir. 165.

Effigies cerea in arte magica, N. A. IV, 504.

Egeriae fons et lucus, N. A. VII, 763.

Electra, Atlantis filia, ei. cum Arcadia necessitudo, Exc. 6, A. III, p. 574.

Electrum metallum, N. G. III, 522. A. VIII, 402.

Eleusinia sacra num descensui Aeneae ad inferos ansam prae-buerint, Exc. 10, A. VI.

Elpenor, ei. tumulus, N. A. VII, 10.

Elymus, Troianus, Exc. 1, A. V. inter heroes Siciliae, Exc. 3, A. V.

Elysium, ei. fabula, sedes, etc. N. A. VI, 637. 642. 651. aerae et Zephyri, V. L. A. VI, 704. N. G. IV, 484.

Emathia pro Thessalia, N. G. I, 492.

Enceladus, N. A. III, 578.

Ennius, ex eo versus ill., N.

A. I, 259. ei. tragoediae, Exc. 1, A. II, p. 388. em. N. A. II, 558. VI, 516.

Entellus, Siciliae heros, Exc. 3, A. V.

Epicum carmen, vid. Carmen.

Epidaurus equis nobilis, N. G. III, 44.

Epirotae, eor. cum Romanis cognatio, Exc. 13, A. III.

*Επιφασίας* deorum varii modi, Exc. 13, A. I.

Epirus *ἐπύρος*, N. G. I, 59. III, 121.

Epitheta duo quando bene iungantur, N. G. I, 407.

Epulae ferales, N. A. V, 63.

Equae vento gravidae factae, N. G. III, 273. A. XII, 83.

Equitantes dii, quomodo accipiendi? N. A. II, 418.

Equus. Equini pulli generosi notae, N. G. III, 75. equorum colores, ibid. 82. duplex spina, ib. 87.

Equus Troianus, Exc. 3, A. II. in urbem ductus, Exc. 7, A. II.

equi caput, omen fortunae Carthaginiensium, Exc. 14, A. I. hoc caput in numis Carthag. N. A. I, 443.

equorum genus in poetis ornari solitum, N. A. XII, 83. confabulationes cum equo, N. A. X, 860.

equus *πρόχορος*, ib. 891.

Eratothenes, eius Catasterismi ill., Exc. 1, A. II, p. 397.

Erichthonius quadrigarum inventor, N. G. III, 113.

Eridanus Virgilii, unde depromptus? N. A. VI, 659.

Eryx mons et heros pugilatu insignis, N. A. V, 392. et Exc. 2, A. V.

Esseda Belgica, N. G. III, 204.

Etesiae venti aquilones, Exc. 2, A. III, p. 566.

Etrusci: eorum origines, Exc. 3. ad A. VIII, p. 289. luxuria, N. A. X, 736. Bacchi inter eos sacra, ibid. unde nomen? V. L. A. XI, 598.

ab Etruscis auxilia Aeneae missa, Exc. 1, A. X. Etrusci pingues, N. G. II, 193. torquium inter eos usus, N. A. VII, 278.

Etymologia Romani in interpretandis fabulis Italicis abusi, Exc. 4, A. VII, p. 152. etymologici

lusus et fabulae ex etymo, N. A. V, 117. VI, 765. Exc. 1, 2, 4, ad A. VII. N. A. VIII, 319. 344.

Euander Arcas, eiusque sedes in monte Palatino, Exc. 1, A. VIII. Euemerus, ei. historia sacra, N. G. IV, 149.

Eumelus, ei. *Bovynola*, N. G. IV, 316.

Euneus heros, V. L. A. XI, 666.

Euphorion poeta fabulas Troianas, in his de Laocoonte, tractavit, Exc. 5, A. II, p. 411. sq. Euphorionis Chiliasis, Exc. 3, Buc. a C. Cornel. Gallo translata in sermonem lat. ib.

Euryali et Nisi episodum, N. A. IX, 176.

Eurypyli plures, N. A. II, 114. Exc. 3, A. V.

*Excretus*, N. G. III, 398.

Exercitia iuventutis in armis, N. A. VII, 162.

Exsequiae nocturno tempore factae, N. A. XI, 142.

Exta in lustrationibus, N. A. VIII, 183.

*Extendere*, varie accipitur, N. A. VI, 807.

*Exterriti* quinam? V. L. A. IV, 450.

Extispices cur consulti? N. A. IV, 65.

**F**abulae de escensu Aeneae in Italiam plures recte a Virg. omisae, Exc. 2, A. VII, p. 136. fabularum Graecarum usus; Italicarum in illarum naturam deflexarum habitus, Exc. 7, A. VII.

*Facilis* cum ablat. aut gen., quomodo interpretandum? Exc. 14, A. I.

Falisci, N. A. VII, 695. Exc. 8, A. VII, p. 172.

*Fallere*, ei. vocis usus varius, N. G. II, 467.

Fama, ei. genealogia, N. A. IV, 178. ei. species, Exc. 3, A. IV. per volatum declarata, N. G. III, 9.

*Fatigare*, verbi usus et significationes, N. A. VIII, 94.

*Fatiscaere* proprie quid? N. G. I, 180.

Faunus et eius religio per Italiam, Exc. 5, A. VII, p. 157. ei. oraculum in luco Albunae in agro Tiburtino, N. A. VII, 81. Exc. 6, A. VII.

Favi, eorum castrandorum mos et in eo fraudes, N. G. IV, 230.

Ferae bestiae mansuefactae, N. A. VII, 483.

Feronia, domesticum Latineorum numen, N. A. VII, 800.

Fescennina, N. G. II, 385.

Fetus, varie dicitur, N. G. IV, 23.

Fides, varios habet signiff. N. A. IX, 260.

*Figere*, de hac voce, N. E. II, 29.

Fluctus decumanus, N. A. I, 105.

Flumina inferorum, Exc. 9, A. VI.

Fluvii armenterum coleres mutant, N. G. II, 146. Fluviorum simulacra, N. A. VIII, 712.

Focus in mediis aedibus ardens, N. A. VII, 13.

Foeda ad sensum a poeta narrata, Exc. 16, A. III.

Foedus. In foederibus antiquorum deorum nomina, N. A. VII, 136.

Fortuna laborum, N. G. III, 452.

Fossae per agros, N. G. I, 114.

Frigus ad animum quid valeat, N. A. I, 567. N. G. II, 484. et sidus permutantur, V. L. G. III, 279.

Frontratores, N. G. II, 362.

Fulmen et fulgur, quomodo differant, V. L. A. IX, 733. Fulmen XII cuspidum in monumentis, N. A. VIII, 429. de bellatoribus, N. A. VI, 843.

Funere polluantur homines, N. A. II, 539.

Furiae, in inferis, N. A. VI, 268. hominibus a diis immissae, N. A. VII, 323. mutant formas, ib. 378. Iovis ministrae, N. A. XII, 845. alatae, N. A. VII, 408. alis serpentes habent implicitos, ib. 561.

**Furius Bibaculus**, T. I, V. Donati s. 7. not.

**Futurarum rerum praedictiones** in epico carmine, Exc. 14, A. VI. recentiorum poetarum, ib.

**Gabii**, eorum origo, Exc. 8. ad A. VII, 168.

**Galaesus amnis**, N. G. IV, 126.

**Galla**, glandiferarum arborum, N. G. IV, 267.

**Galli**, eorum habitus, N. A. VIII, 659.

**Gallus** (C. Corn.), de eo Exc. 3. ad Buc. ei. carmen stilo Hesiodo scriptum, N. E. VI, 72. arg. E. X. eius amica Lycoris, ibid.

**Ganges**, de eius ostiis et alveo disp. ad A. IX, 31.

**Ganymedes**, ei. raptus vestibus intextus, N. A. V, 252. Exc. 4, A. V. idem in artis monumentis repraesentatus, ib. fabulae de eo origo, ib.

**Garamantes victi**, N. A. VI, 795.

**Gela urbs**, N. A. III, 701.

**Gemma**, qua locus Aen. I, 297. exprimitur, sed recentior, Exc. 10, A. I.

**Genius loci** per serpentem expressus, N. A. V, 84. Genii, quid? N. A. V, 95.

**Geographiae ignorantia veterum Graecorum**, Exc. 1, A. VII.

**Georgica**, in iis componendis quos habuerit Virg. fontes, Prooem. ad G. p. 269 sqq. Hesiodum certe imitatione non expressit, ib. p. 273 sqq.

**Gesneri poetae Idyllium minus probatum**, Arg. E. VI.

**Gigantis Aetnae subiecti diversa nomina**, N. A. III, 578.

**Glandes hiberno tempore collectae**, N. E. X, 20.

**Glaucus**, ei. equi et fatum, N. G. III, 267.

**Gorgias**, ei. defensio Palamedis, Exc. IV\*, A. II, p. 407.

**Gorgones in Hade**, N. A. VI, 289.

**Graeco more omittit noster**

praeposita ista, in, per, ad, N. A. I, 2.

**Graecomania Romanorum in fabulis Italicis interpretandis**, Exc. 4, A. VII, p. 150 sq.

**Grammaticorum in rebus criticis quis sit usus**, V. L. A. VI, 473.

**Granorum exterendorum apud veteres ratio**, N. G. I, 178.

**Gravisca Etruriae**, Exc. 1. ad A. X, p. 569 sq.

**Grues in comparationibus**, N. A. X, 266.

**Gryphes**, N. E. VIII, 27.

**Gyas**, plures hoc nomine, V. L. A. I, 222.

**Habilis**, de telis, N. A. I, 318.

**Haedi tempestates significant**, N. A. IX, 668.

**Halesus dux**, A. VII, 222. Exc. 8, A. VII, p. 172.

**Haliaeetus avis**, N. Cir. pr. Harpalycaetes, N. A. I, 317.

**Harpyliae**, ear. fabula, Exc. 7. A. III. ear. forma diversimode tradita, ib. vox trisyllaba, V. L. A. III, 249.

**Ponti neptes**, N. A. III, 241. confusae cum Furiis, ibid. 252.

**canes dictae**, N. A. XII, 845.

**Hebrus recte Eurus emendatus** V. L. A. I, 317.

**Hecate**, eius adventus, N. A. VI, 258. Persea dicta, V. L. Cir. 67.

**Hector**, circa Troiam raptus, Exc. 18, A. I. classi Achivorum ignem inferens, idemque victor Patrocli rediens, Exc. VIII\*, A. II.

**Hecuba**, ei. mater, N. A. X, 704.

**Helena recepta**, Exc. 12, A. II.

**Heleni et Andromachae occursum in Epiro**, Exc. 10, A. III.

**Hellanicus Lesbium**, Exc. 1, A. II, p. 380 sq.

**Helorus fl.**, N. A. III, 698.

**Heneti**, num Veneti? Exc. VII\*, A. I.

**Hercules**, per totam Siciliam oram celebratus, Exc. 14, A. III.

**ei. descensus ad inferos**, N. A. VI, 395. exuviae leonis, N. A. VII,

655. Caci occisor, in numis, N. A. VIII, 265. ab eo Macedoniae reges originem ducere gloriabantur, N. A. VI, 840.

Herculeum Tarentum, Exc. 14, A. III.

Herilus, Praenestinatorum dux, N. A. VIII, 554.

Hernici sinistro pede nudi, N. A. VII, 684. Exc. 8, A. VII, p. 167 sq.

Heroinae Aeneae in inferis obviae, N. A. VI, 445. laqueo spiritum intercludentes, N. A. XII, 603.

Heroum temporibus omnia ex aere facta, N. A. I, 448. corpora eor. vasta, N. G. I, 497. A. V, 264. vita quibus rebus declarata, N. E. IV, 62. sacra, N. E. V, 66. heroes binas hastas gerunt, N. A. I, 313. hospitum adventu sacra faciunt, N. A. I, 632. munera hospitalia, ibid. 647. ignis inter epulas in foco ardens, ib. 704. vates inter convivia canentes, ib. 740. heroibus comites dii dati, N. A. II, 86. filiarum nuptiae viris fortibus oblatae, N. A. VII, 268. heroum amictus, N. A. VIII, 457. aedium forma, ibid. 467. mos propriis armis alium instruendi, N. A. IX, 303. hostem conviciis provocandi, ibid. 595. ritus funebres, N. A. XI, 184. ferocia in hostes, N. A. XII, 760. medici, Exc. 4, A. XII.

Hesiodus ill., N. G. I, 354. ei. Operum et dierum consilium, G. I. prooem.

Hesperia, Italiae nomen, Exc. 21, A. I. Troianis ignota, Exc. 15, A. II.

Hesperidum poma, N. E. VI, 61. horti, N. A. IV, 484. templum, Exc. 4, A. IV.

Hesperus ab Oeta oriens, N. E. VIII, 30. in artis operibus, ib.

Hiatus, iis indulget Virgilius graecismorum studio, V. L. A. III, 211.

Hiera, seu Vulcania ins., N. A. VIII, 417.

Hippomanes, philtrum, N. G. III, 280.

Hippomene, ei. poma aurea, N. E. VI, 61.

Hirci, in Bacchi sacro, N. G. II, 380.

Hirpi, Apollinis sacra curantes, N. A. XI, 785.

Historiae veteris mythicae Italiae capita potiora, Exc. 5, A. VII.

Homerici carminis descriptio, Disq. I. de carm. epico, s. 6. translationes Romanorum Latinae, Exc. 1, A. II. p. 387. versus Orpheo sublectus, N. A. III, 97. clipeus, Exc. 4, A. VIII.

Homerus illustratus: II. A, 470. I. N. A. I, 724. II. A, 371. N. A. IX, 528. II. A, 422. V. L. A. VII, 528. II. H, 427. N. A. I, 385. II. O, 282. N. A. II, 281. II. K, 252. N. E. IX, 47. II. S, 399. N. A. VII, 225. II. T, 307. 308. Disq. II, s. 2. 3. II. O, 362. V. L. et N. ad A. VII, 462. II. X, 93. 95. N. A. II, 471. II. P, 382. V. L. A. V, 326. Odyss. A, 121 sqq. Exc. 20. ad A. I. Od. A, 335. V. L. A. I, 458. Od. A, 386. N. G. IV, 394. 5. Od. Z, 229 sq. N. A. I, 589. 590. et Exc. 22, A. I. Od. H, 143. N. A. I, 587. Od. H, 343. N. A. I, 586. Od. O, 492 sq. Exc. 7, A. II. Od. O, 494. N. A. II, 18. Od. I, 19. Exc. 12. ad A. I. Od. M, 85 sq. Exc. 4. ad Bucol. Od. N, 97. N. A. I, 160. Od. S, 135. N. G. I, 420. Od. T, 562. Exc. 15. ad A. VI. Od. P, 156 sqq. N. A. I, 589. 590. Exc. 22, A. I.

Homeri loca a Virgilio expressa: Od. E, N. A. I, 34. plurima alia Exc. 1. et 2, A. I. N. A. I, 159. 372. Exc. 13, A. I. ad lib. V. passim. N. A. VII, 286. A. X, 179. et al. Schol. in Homer. II. A. 5. em. Exc. 1. ad A. II, p. 391.

Homines arborum truncis nati, N. A. VIII, 315.

Homole mons et urbs, V. L. A. VII, 675.

Horatius, expl. N. E. IV, 50. N. G. II, 164. 382. Aen. III, 553. em. N. V. D. s. 53. Maecenati commendatus, V. V. a. U. C. 715.

Horrens et horrere, quae significant, N. ad prooem. Aen. 4. et A. X, 237.

**Humeri**, corporis robur arguunt, N. A. I, 589.

**Hyginus**, ei. fabulae unde de promptae sint, Exc. I, A. II, p. 383. em. Exc. 1, A. III, p. 561. V. L. Cu. 234.

**Hylas**, N. E. VI, 43.

**Hypampelus**, N. Cop. 8.

**Hyrcani**, ad Caucasum et in Arabia, N. A. IV, 367.

**Ianus clausus et apertus**, Exc. 9, A. I, p. 237. ei. religio per Latium, N. A. VII, 601. 607. 615. de ipso deo Exc. 5, A. VII, p. 155.

**Iapis medicus**, Exc. 4, A. XII.

**Iarbas sacra Iovi instituens**, N. A. IV, 198.

**Iasius**, Dardani frater, N. A. III, 168.

**Iberi Hispaniae**, rapinis infames, N. G. III, 408.

**Idalium et Idalia**, N. A. I, 681.

**Idomeneus**, ei. errores, N. A. III, 121.

**Idumea palmis nobilis**, N. G. III, 12.

**Ignis sacer morbus**, N. G. III, 559.

**Ilias parva pluribus exposita**, Exc. 1, A. II, p. 388 sqq.

**Ilione**, Priami filia, Exc. 24, A. I.

**Ilionei plures**, N. A. I, 521.

**Ἰλιον πέποιδός** multae, Exc. 1, A. II, p. 392 sqq.

**Ilium divom domus dictum**, N. A. II, 241.

**Impluvia veterum**, N. A. VII, 59.

**Improbis et probis**, N. G. I, 119.

**Inanimatis tributis sensus**, N. E. V, 28. N. G. II, 59. loquela, N. G. II, 215.

**Inarime insula et Arimi**, Exc. 2, A. IX.

**Incendere**, poetis pro implere, N. A. X, 895.

**Incubandi mos in Italia**, N. A. VII, 85.

**Indi ab Augusto victi**, N. A. VI, 795. V. V. ad a. U. C. 734.

**India**, late dicta, N. G. II, 116. populos orientales designat, Exc. 19, A. I, p. 252.

**Inferorum locorum ex poetae mente descriptio**, Exc. 8, A. VI. flumina, Exc. 9. descensus ad inferos, v. *Descensus*. in iis an ventus, N. G. IV, 484. in iis iudices, Exc. 11, A. VI.

**Insitio**, ei. ratio et varia genera, N. G. II, 69. 73.

**Io**, fabula in gemmis, N. A. VII, 789.

**Iphigenia immolata et non immolata**, N. A. II, 116.

**Ira poetis virtutem bellicam exprimit**, N. A. I, 14.

**Iris**, Iunonis ministra, N. A. IV, 694.

**Ismarius**, melius legitur quam *Tmarius*, V. L. A. V, 620.

**Ismarus**, V. L. E. VI, 30. N. G. II, 37.

**Italia**, ei. antiqua nomina, Exc. 21, A. I. et Exc. 2, A. VIII. Italiae veteris origines, populi, fabulae, religiones, Exc. 4, A. VII. mythologiae Italicae capita potiora, Exc. V, A. VII. Italiae priscae incolae, Exc. 2, A. VIII.

**Ituracii**, N. G. II, 448.

**Iudices apud inferos**, de iis Exc. 11, A. VI.

**Iulio Caesare occiso prodigia**, N. G. I, 466.

**Iulus**, cognomen Ascanio inditum, eius etymologia, Exc. 8, A. I.

**Iuno Carthagine templum habuit**, N. A. I, 455. curru vecta, N. A. I, 16. Samia, ib. 15. Urania, ib. armata, ibid. 16. et N. A. II, 614. Lacinia, N. A. III, 552. Gabina, N. A. VII, 682. eius nuptiae, N. G. II, 305. Exc. 1, A. II, p. 395 sq. ei. comites Nymphae, Charites, Horae, Exc. 2, A. I. cultus ap. Romanos, N. A. III, 438. Ardeatis templum, N. A. VII, 419. Iunonis deorumque interventus in extrema parte Aeneidis, Exc. 2, A. XII. N. A. IX, 802.

**Iuppiter**, melius *Iupiter*, V. L. A. I, 223. IV, 206. ab apibus nutritus, N. G. IV, 149. piaculi vindex, N. A. III, 279. A. I, 223. Ammon; eius sacra ab Iarba insti-

tuta, N. A. IV, 198. perennis ignis, ibid. 200. Herceus, Exc. 11, A. II. V. L. A. VIII, 542. Anxurus, in numis, V. L. A. VII, 799. et not. ad e. l. Iovis et Iunonis congressus, N. G. II, 325.

Iuturnae lacus, fluvius, fons, Exc. 3, A. VII, p. 142.

Ixionis rota vento circumacta, N. G. IV, 484. G. III, 38.

**L**abefactare, quomodo poetis usurpetur, N. A. VIII, 390. et V. L. ib.

Labyrinthus, de eo narrationes, N. A. VI, 27.

Lacessere, poetis quid denotet, N. A. X, 10.

Laeta seges, N. G. I, 1.

Laeva numina, N. G. IV, 7.

Laocoon Virgilii, de eo Exc. 5, A. II. eius statua cum Virgilio comparata, ibid. clamores, ib. de eo Petronii locus sub examen vocatus, Exc. 5, A. II, 413.

Lapitharum cum Centauris in Pirithoi nuptiis pugna, N. A. VII, 305. Martis in eos odia, ibid. primi equorum domitores, N. G. III, 113.

Latifundiorum damna, N. G. II, 412.

Latina lingua unde enata? Exc. 4, A. VII, p. 147.

Latinus rex, de eo, Exc. 5, A. VII. foederati ei populi sub recensum vocati, Exc. 8, A. VII. eos ex urbibus, Graecos conditores iactantibus, venisse, ib. Latini genus a Sole ductum, N. A. XII, 164.

Lavinium, Exc. 3, A. VII, p. 139. sq.

Lavinia litora, an Lavina? V. L. A. I, 2.

Launa (s. Lavinia?), Anii filia, Exc. 1, A. III, p. 560.

Laurentinus ager, eius situs et fines, Exc. 3, A. VII, p. 137 extr. eius facies descripta, ib. tractus paludosus et silvosus, N. A. X, 708.

Laurus crepitans, omen, N. E. VIII, 32.

Lausus, pius in patrem Mezentium, N. A. X, 789.

Leandri traiectus Hellesponti, N. G. III, 258.

Leleges, orae maritimae Asiae incolae, N. A. VIII, 725.

Lenaea a Dionysiis ruralibus diversa, N. G. II, 382.

Lesches, auctor Iliadis parvae, Exc. 1, A. II, p. 389 sq.

Leucas urbs, Exc. 1, A. III, p. 562. et Exc. 13, A. III.

Leucate mons et Apollinis Actiaci templum, N. A. III, 274.

Liber et Libera, eor. religio in Italia, N. G. I, 6.

Liberalia per Italiam celebrata, N. G. II, 385.

Libethrus fons duplex, N. E. VII, 21.

Libra, ea expendantur passim heroum epicorum fata, N. A. XII, 725. Libra olim inter signa caelestia non habita, N. C. I, 33.

Libyci litoris locus, ad quem Aeneas appulit, Exc. 6. A. I.

Ligures, eorum regio et ingenium, N. G. II, 168. Iberica gens, late dispersa, *Alvæ*, Exc. 1, A. VII, p. 127 sq. antiquissimis carminibus celebrati, Exc. 1, A. X, p. 570. fraudibus infames, N. A. XI, 699.

Lilybaeum promont., N. A. III, 706.

Limus subligar, sacrorum ministris proprium, V. L. A. XII, 120.

Linus, N. E. VI, 67.

Lipara Vulcani officina, N. A. VIII, 416.

Litora, melius, quam *littora*, V. L. A. I, 223.

Livius Andronicus, ei. tragodiae, Exc. 1, A. II, p. 388.

Loca, in quae Troiani escensum fecere, eor. situs, adeoque Ager Laurens, Troia Nova, urbs Laurentum et Lavinium, Numicus fl., Iuturnae lacus, et urbs Alba L., Exc. 3, A. VII.

Locri Epizephyrii, N. A. III, 399. Locrorum reditus ab Illo, N. A. XI, 265.

Lotus Africae et Boeotiae diversae, N. Cu. 124.

Lucani, Samnitium coloni, Exc. 4, ad A. VI, p. 1011.

Lucifer deus, N. G. III, 324. Luciferi ortus ab Ida, Exc. 16, A. II.

Lucretius ill., N. A. VII, 689.  
em. N. G. III, 124.

Ludus Troiae, Exc. 5, A. V.  
Ludi funebres in Hectoris honorem  
habiti, N. A. V, 371. Ludi ab  
Aenea in Sicilia habiti ab inutilis  
episodii crimine liberantur, Argum.  
A. V.

Luna in fabulis Arcadum, N. G.  
III, 391. roris caussa habita, ibid.  
337. Titania, N. A. VI, 725.

Lunula Mercurii in calceo a  
Marcello (in Regill. v. 24 sq.) me-  
morata, Disqu. II, §. 7. not. \*

Lustrationes ad Iovem refe-  
runtur, N. A. III, 279. animarum  
in Hade, Exc. 13. ad A. VI.

Lux, ei praedicata ab humore  
petita tribuuntur, V. L. G. I, 288.

Lycophron ill. Disqu. II, §. 5.  
em. N. A. II, 259. Exc. 1. ad A.  
VII, p. 128. et Exc. 2, A. VII,  
p. 134. Scholia em. Exc. VII\*. ad  
A. I, p. 230.

Lycoris, Galli amica, Arg.  
E. X.

Lyctus, Cretae oppidum, N.  
A. III, 401.

Lysimachus Alexandrinus,  
Exc. 5, A. II, p. 411.

**M**acedoniae reges ab Achille  
ducere originem gloriabantur, N. A.  
VI, 480.

Macrobius em. Exc. 8, A.  
VII, p. 167 sq. ill. Exc. I. ad II,  
p. 394.

*Mactus et macte*, quid? et unde?  
N. A. IX, 641.

Maeander ad texturam trans-  
latus, N. A. V, 251.

*Magalia*, quomodo differant a  
*mapalibus*, V. L. A. I, 421.

Magicae artes Romanis semper  
damnatae, N. A. IV, 492. magicum  
sacrum Didonis: omnia in eo sunt,  
quae et Romae observari solebant,  
ib. 504—516. effigies cerea lique-  
facta, ibid. 508. dii inferi invocati,  
510. numinum plura nomina in in-  
vocatione, ibid. hippomanis usus,  
ibid. 516.

*Magnanimus*, saepe ad bellicam  
virtutem referendum, N. A. I, 260.

*Magnus*, in codd. cum *vastus*  
permutatur, V. L. A. I, 55.

Malus, Medica et Persica, de  
iis N. G. II, 126.

Manes supplicia patiuntur, N.  
A. VI, 743.

Mantua, Exc. I, A. X.

Manilius ill. Proem. G. p. 274.  
N. G. I, 490.

Mapalia, N. G. III, 340.

Marcellus, ei. imago in nu-  
mis etc. N. A. VI, 861. alius, qui  
spolia opima retulit, N. A. VI, 856.

Mareoticum vinum, N. G.  
II, 91.

Marica, nympa Latii, N. A.  
VII, 47.

*Marmor*, quomodo idem sit ac  
*pontus*, N. A. VII, 28. marmor  
auro inclusum, Exc. 22, A. I.

Marpessa, Pari insulae mons,  
V. L. A. VI, 471.

Mars cum Venere in adulterio  
deprehensus, N. G. IV, 345.

Marsi, de iis, Exc. 8, A. VII,  
p. 174.

Martialis ill. N. G. IV, 371.

Mauri, qui? N. A. IV, 206.

Maza draconibus sacris apposita,  
N. A. IV, 486.

*Mecum*, hui. dictionis vis ex-  
plicata, N. E. II, 12. A. I, 675.  
IV, 115.

Medica herba, N. G. I, 215.  
malus, N. G. II, 126.

Medici palliati, Exc. 4. ad A.  
XII.

Medicinae ars *muta* a poeta  
appellata, Exc. 4, A. XII.

Megara ab Alcathoo et Phoebo  
muris circumdata, N. Cir. 105.  
ager lapide conchite abundans, ibid.  
101.

Melaerium, N. G. IV, 1.

Meleagrides aves, Exc. 1.  
ad A. XI.

Meliboea purpura, N. A. V,  
251.

Mella, N. G. IV, 278.

Mellatio duplex ac triplex,  
N. G. IV, 231.

Memnon Eous, Exc. 19, A. I.  
Aegyptius, ib. ei. arma, Exc. 26.  
ad A. I.

Menecrates Xanthius, Exc.  
1, A. II, p. 381.

- Mensae comesae, Exc. 2, A. VII, p. 132.
- Mephitis dea, N. A. VII, 84.
- Mercurius ad Poenos placandos missus, Exc. 10, A. I. eius legationes, N. A. IV, 238.
- Merops avis, N. G. IV, 14.
- Messapi duo, alter Calaber, alter Etruscus, Exc. 8, A. VII, p. 169. sq. Messapia, ibid.
- Metalla per Italiam exerceri vetita, N. G. II, 165.
- Metrodori Troica, Exc. 1. ad A. II, p. 382.
- Mezentius Etruscorum rex, Exc. 3. ad A. VIII.
- Militia divitiarum caussa expedita, N. G. II, 505.
- Militum Rom. pondera in itinere ferenda, N. G. III, 346.
- Mincius fl., N. E. I, 49.
- Ministerium deorum, inpr. Iunonis in Aeneide, Exc. I\*, A. I.
- Minotaurus, N. A. VI, 26.
- Minerva Gigantum victrix, N. Cir. 30.
- Misenus fabula, Exc. 4. ad A. VI, p. 1011 sq. de eo, Exc. 7, A. VI.
- Mitra quotuplex? N. A. IV, 216. Phrygia, ib. 216.
- Moenia a Vulcano et Cyclopius facta, N. A. VI, 630.
- Moeri pro muris, V. L. A. X, 24.
- Monstra in locis inferis, N. A. VI, 285. e luna demissa, V. L. Cir. 66.
- Montanus poeta, V. D. s. 11.
- Mors, eius imago, N. A. IV, 694. ei victimae mactantur, N. A. XI, 197.
- Mulciber, antiquum nomen, V. L. A. VIII, 724.
- Mummus, N. A. VI, 837.
- Munchusii memoria, ad A. IV, 654.
- Mundi natales verni, N. G. II, 336.
- Musarum invocatio, N. A. VII, 641.
- Myconos insula, Exc. 4. ad A. III.
- Myrrha Cinyrae f., N. Cir. 238.
- Myrtus Parthica, V. L. Cir. 399.
- Mythi antiquiores a philosophis, sophistis, rhetoribus corrupti sunt, Exc. 1, A. II, p. 382. sqq. mythi Italici, Exc. 4, A. VII. iique quatuor modis perturbati, ib. asperit plerique et inculti, Exc. 7. ad A. VII. cum graecis permixti, ibid.
- Naevius, ei. tragoediae, Exc. 1, A. II, p. 388.
- Nar lacus, N. A. VII, 517.
- Narcissus veterum, N. G. IV, 122.
- Narycia pix, N. G. II, 438.
- Nauplii duo, Exc. IV\*, A. II, p. 407.
- Nautae voluntarium navigium facientes, N. A. X, 290.
- Nautes, Palladii servator, N. A. V, 704. unde Nautia gens, ibid.
- Naves in deas versae, N. A. IX, 77.
- Navigationis inventum, N. G. I, 136.
- Naxus Baccho sacra, N. A. III, 125.
- Ne, nec, non, in deprecando, N. G. I, 456.
- Necyiae in poetarum carminibus frequentatae, epice, tragice, in picturis, Exc. 1, A. VI. Virgilianae necyiae virtutes praecipuae, p. 1004.
- Neoptolemi caedes, Exc. 12, A. III.
- Nepotes et Penates confusi, V. L. G. II, 514.
- Neptunus quadrigis vectus, N. A. I, 147. eius equi, ibid. 156. graviter commotus idemque placidus, Exc. 5, A. I. ei. cum Pallade certamen, N. G. I, 12. Achivorum classem opprimit, N. A. I, 39. Neptuno sacra facta a Troianis post discessum Achivorum, N. A. II, 201.
- Nereides ab Oceani filiabus diversae, N. G. IV, 341.
- Neritos ab Ithaca diversa, N. A. III, 271.
- Nestor poeta, Exc. 1. ad A. II, p. 395.
- Nexus et nisus permutata, N. G. IV, 199.



Nicopolis, ab Augusto condita, Exc. 13, A. III. N. A. III, 500.

Niphates mons, N. G. III, 30.

Nisus et Euryalus, N. A. IX, 176.

Nomina terris quomodo et quando data, Exc. 21. A. I, init. Exc. 2, A. VIII, p. 285. nomina propria in o Maroni usitatiora quam in on, V. L. A. VIII, 506. nomina mythica enumerandi mos, N. G. IV, 336.

Νόστωρ scriptores, Disqu. II, §. 1. Nota.

Novales agri, N. G. I, 71.

Novendiale sacrum, N. A. V, 762.

Nox Troianis funesta, Exc. 8, A. II. Noctis per coelum transvectio, Exc. II, A. II. noctis descriptiones, N. A. IV, 522.

Nubibus obducti a diis homines, N. A. I, 412.

Numa, eius imago in numis, N. A. VI, 810.

Numen Iunonis laesum, Exc. I\*, A. I, p. 215. numen varie interpr. N. G. IV, 7.

Numicius fluv., de eo Exc. 3, A. VII, p. 140 sqq.

Numidae, qui? N. A. IV, 206.

Nymphae, Iunonis comites, Exc. 2, A. I. aquarum deae cum venatricibus, et vice versa, saepe permixtae, N. G. IV, 344. nentes, ibid. 333. Nympharum domus et Penei regia, Exc. 2, G. IV. N. A. I, 168. festum, N. E. V, 74.

Nymphaea, N. A. I, 168.

Oaxes, ubi quaerendus sit, V. L. E. I, 66.

Obiurgationes in poetis, N. A. V, 384. 387.

Oceanus, pater rerum, N. G. IV, 363. et 381.

Ocnus, Mantuae conditor, Exc. I, A. X.

Octavianus Caesar. Eius proscriptio agrorum, V. V. an. U. C. 713. Arg. E. I. res adversus Parthos gestae et sic porro per totam

Vit. Virg. bellorum civil. āyos expiat, N. G. I, 500. portum Bavianum aedificat, N. G. II, 161.

Oeconomia Aeneidis; primi inprimis libri, Exc. 10, A. I.

Oenotria, Exc. 21, A. I.

Oeta mons, N. E. VIII, 30.

Oleagineus ramus cur pacis signum? N. A. VIII, 128.

Olere et adolere, quales habent notiones? N. A. I, 704.

Olympus omnipotens, de hoc epitheto, V. L. A. X, 1. Olympi interna ratio descripta, N. ad e. l.

Ominis petendi a diis notio, N. A. II, 691.

Onagri, N. G. III, 409.

Opis, Nympha Dianae, N. A. XI, 532.

Opobalsamum, N. G. II, 118.

Oracula, in Aeneidem Trojanum et coloniae ducem, Disqu. II, §. 6. per totam Aeneidem enumerata, ibid. in quaerendis novis sedibus petita, N. A. III, 89. terra concussa in oraculo edendo, ibid. 90.

Orationes in Aeneide, v. inf. Virgilius.

Orcus, ei. ex poetae mente descriptio, Exc. 8; A. VI. Orcus deus, N. G. I, 277.

Orestes, eius furiae in tragoe-diis, N. A. IV, 471.

Orgia Bacchica poetarum usibus inservientia, Exc. XI\*, A. VI. a Tragicis praecipue tractata, ib.

Orichalcum, de eo N. A. XII, 87.

Oricus, Epiri, N. A. X, 136.

Orion, ei tempestatea tribuuntur, N. A. I, 535. eius occasus, N. A. VII, 719. ensifer, N. A. III, 517. incessus per mare, N. A. X, 763. scorpius ei immissus, N. Cir. 533.

Orithyia Pilumno equos dat, N. A. XII, 83.

Orpheus, a mulieribus laniatus, N. G. IV, 521. ei philosophemata de inferis, N. A. VI, 645. ei tributa Ἔγχα καὶ Ἡμέραι et Georgica, Prooem. G. p. 274. ei Argonauticorum antiquitas, Exc. I. ad A. VII, p. 127. Argonaut. em. N. A. IV, 309. ill. N. A. III, 442. Exc. I. ad A. VII, p. 127 sq.

Osci, de iis Exc. 8, A. VII, p. 173.

Oscilla, in sacris Bacchi, N. G. II, 369.

Ossa ab Olympo revulsa, N. G. I, 281.

Ovidius ill. N. G. III, 96. Metamorphoseon extrema suspecta, N. G. IV, 559.

**P**acuvius, ei. tragoediae, Exc. 1, A. II, p. 388.

Padus, eius eluvies, N. G. I, 481. cornua aurea, N. G. IV, 371. cynis abundans, N. A. XI, 457. septem ostia, ibid.

Padusa, ostium Padi, N. A. XI, 457.

Paestum Lucaniae, N. G. IV, 119.

Palaephatus τῶν Τρωϊκῶν auctor, Exc. 1, A. II, p. 386. περὶ τῶν ἀνέκτων, N. Cir. 88.

Palamedes, Exc. IV\*, A. II. Palicorum in Sicilia religio, N. A. IX, 585.

Palinurus, Exc. 7 et 8, A. V.

Palladium a Diomede et Ulysse raptum, N. A. II, 164. Exc. IV\*\*, A. II. ab Aenea secundum nonnullos asportatum, ib. de eo in universum, Exc. 9, A. II.

Pallanteum, seu Palantium, Palatium; de eo Exc. 1, A. VIII, p. 282.

Pallas, classem Achivorum submergens, N. A. I, 39. fulmen moderans, ib. 42. Tritonia, N. A. II, 227. vaticinandi artem impertitur, N. A. V, 704. fulmen iaculans, Exc. 1\*\*, A. I. ei. signa Troiae et Romae, Exc. 9, A. II, p. 422 sq.

Pallene, Exc. 1, A. III, p. 558 sq.

Pallor, metallo expressus, N. A. VIII, 709.

Pan, imago, N. E. X, 24. formam arietis assumit, N. G. III, 391.

Panaceae in vulneribus usus, Exc. 4, A. XII.

Panathenaea, cor. descriptio, N. Cir. 21 sqq.

Panis, quomodo confici solitus.

a priscis hominibus? N. A. I, 177. in canistris appositus, N. A. I, 701.

Pantagias fl., N. A. III, 689.

Panthus, Apollinis sacerdos, N. A. II, 318.

Parere vatibus dicuntur res, cur? N. A. X, 176.

Paris in posthomeris fortitudine excellens, N. A. V, 370. vestes Mycenis abducit cum Helena, N. A. I, 650.

Parnassus, Cu. 15.

Parthenius em. N. G. I, 437.

Parthi sagittis venenatis usi, N. A. XII, 857.

Pascere, V. L. G. III, 143.

Pastores: eorum nimis docti sermones in Virgilio, N. E. I, 62. 66. II, 60. III, 60. 85. VII, 60. VIII, 44. pastoris opus anaglyphum, N. E. III, 38. superstitiones magicae, Arg. E. 8. baculus oleagineus, N. E. VIII, 16.

Patara Lyciae, Exc. 2, A. IV.

Pater, honoris voc., Exc. 12. ad A. I.

Patroclus ab Achille adamat, Exc. 17. A. I.

Patronymica in *ides* alia corripuntur, alia protrahuntur, V. L. A. II, 82.

Pausanias em. Exc. 1, A. II, p. 392. Exc. 1, A. III, p. 558.

Pecten et *πεκνίς* in antiqua textrina, N. G. I, 294. Exc. I\*, A. VII.

Πελοπιδος et Πινδαρος permutantur, Exc. 1. ad A. II, p. 398.

Pelasgorum in Italia coloniae, Exc. 4, A. VII, p. 145 sq. Pelasgi pro Achivis, N. A. II, 83.

Pelothronius Lapitha, N. G. III, 113.

Penatum ratio exposita Exc. 12, A. I. Penates, Palladium, Vesta, Exc. 9, A. II. *Penates* et *Nepotes* voc. confusa, V. L. G. II, 514.

Penei regia et Nympharum domus, Exc. 2, G. IV.

Peneleus, N. A. II, 425.

Penthesilea in monum., N. A. I, 490.

Pentheus, N. A. IV, 469.

Peplum Minervae, N. Cir. 21. 29. N. A. I, 480.

- Pergamum**, Cretae urbs, Exc. I, A. III, p. 560.
- Pes** alter nudus in sacris, N. A. IV, 518. **pes** Aetolorum alter nudus, alter ocreatus, Exc. 8, A. VII, p. 168 sqq. **pedes** navium, N. A. V, 830.
- Pestes**, earum apud poetas et historicos frequens descriptio, N. G. III, 474.
- Petelia**, urbs in Bruttiiis, N. A. III, 402.
- Petronius**, ei. locus de Laocoonte sub examen vocatus, Exc. 5, A. II, p. 413.
- Phaenomena** naturae insolita fabulis locum dedere, Exc. 2. ad A. VI, p. 1006 sq.
- Phaethon**: eius sorores in populos mutatae, N. E. VI, 62. N. A. X, 190. fabula in Liguriam tracta, N. A. X, 185. fabulae auctores, Exc. 1. ad A. X.
- Phalanthus**, Partheniarum ductor, Exc. 14. ad A. III.
- Phanaeus** mons, N. G. II, 98.
- Phanocles**. Eii. elegi, N. A. X, 185.
- Philomela** in hirundinem mutata, N. E. VI, 80.
- Philosophemata** antiquiora, ipsa necessitate cogente mythicis involucris obscurata, Exc. 13, A. VI, p. 1031 sqq.
- Phlegraei** campi in fabulis de Gigantibus, N. A. III, 578. Exc. 2, A. VI.
- Phlegyas**, N. A. VI, 618.
- Phocae** in Aegypti litore, N. G. IV, 394.
- Phoebus**, patrius Poenorum deus, N. A. IV, 58.
- Phryges** molitiae et luxu infames, N. A. IX, 614.
- Phrygius** amictus, praecipue ex artis operibus, Exc. 3, A. XI. ex Phrygum originibus declaratus, ibid.
- Picta** hominum ferorum cutis, N. G. II, 115.
- Pictura**, de quovis opere figurarum rerum et signa representante, Exc. 15, A. I. pictura in templo Carthaginis ab Aenea perlustrata, ibid.
- Picus**, Latinorum numen patrium, Exc. 5, A. VII, p. 156.
- Pieria**, antiquissimarum fabularum sedes, N. G. IV, 387.
- Pilum**, N. A. VII, 664.
- Pilumnus**, Exc. 7, A. VII, p. 164.
- Pinarii**, N. A. VIII, 270.
- Pindari** fragm. ill. N. A. VI, 748. Schol. em. Exc. 1. ad A. II, p. 388.
- Pingere** corpus, mos ferorum populorum, N. G. II, 115.
- Pinus** semper virens, N. G. IV, 112.
- Pisa**, Italiae urbs, de ea Exc. 1, A. X, p. 569.
- Pisandri** plures, de celebrioribus, Exc. 1, A. II, p. 394 sqq. unius ex iis *ἡρώωναι θεογοναίται*, ib. p. 395 sqq. **Pisander** Camirensis, ib. p. 397. **Pisander** Larandensis, ib. p. 399.
- Piscium** pestilentes morbi, N. G. III, 541.
- Pithecusae** insulae, N. A. IX, 716. Exc. 2, A. IX.
- Pius** Aeneas, Exc. 12, A. I.
- Placentae** e farre, N. A. VII, 109.
- Planetae**, auguria mutationis aeris praebent, N. G. I, 336.
- Platonis** de animarum in vitam reditu opinio, N. A. VI, 703. Exc. 13. ad VI.
- Plautus** iis editus, qui gratiosi apud populum, N. G. II, 508.
- Pleiadum** ortus Graecis aestatis et messis initium, N. G. I, 221.
- Pleias** piscem fugiens, Exc. 1, G. IV.
- Plemmyrium**, promont. Siciliae, N. A. III, 693.
- Plinius** H. N. expl. Exc. 20, A. I, p. 256. Exc. 7, ad A. VII, p. 163. et Exc. 8, p. 166. em. N. G. I, 174. G. II, 161.
- Plutarchus** ill. Exc. 17, A. II, p. 437.
- Poenam** non nisi graviorum scelerum norat vita heroica, N. A. VI, 608.
- Poetae** cyclici quinam? Exc. I. ad A. II, pr.
- Poetae** epici nihil de se interponere debent, N. A. IV, 65. Poe-

tis delectatio proposita est, Disq. I, s. 4. sq. II, s. 15.

*Πόλις* Homero quid? N. A. IV, 40.

Politae caedes, Exc. 11, A. II, p. 429.

Pollio Timavum traiciens, N. E. VIII, 6. eius triumphus, N. E. III, 84. poeta, ibid. et VIII, 10.

Pollux, v. Castor.

Polydorus, Exc. 3, A. III.

Polydus vates, V. L. Cir. 112.

Polymnestor, ei. indoles e: regnum, N. A. III, 13.

Polyxenae immolatio, Exc. 11, A. III.

Pomponius Sabin. em. N. A. III, 530. N. A. II, 261. V. L. A. IX, 585.

Portae Troiae, Exc. 14, A. II. Somni, Exc. 15, A. VI.

Portunus deus, N. A. V, 241.

Portus obiectu insulae, Exc. 6. ad A. I. Portus Iulius, N. G. II, 161.

Potitii, N. A. VIII, 269.

Praecordia pro sede animi, N. G. II, 484.

Praedictio de aditu Hesperiae obscura, Exc. 15, A. II. praedictiones futurarum rerum in epico carmine, Exc. 14, A. VI.

Praeneste, ei. origo, Exc. 8, A. VII, p. 167.

Praesentia deorum: unde signa, quae eam arguunt, poetae acceperint, Exc. 1, A. IX. quibus modis illa declaratur, Exc. 13, A. I.

Priami mors, Exc. 11, A. II. corpus insepultum, N. A. II, 557.

Priapus alvearium custos, N. G. IV, 110.

Primitivum saepe pro deducto a poetis usurpatur, V. L. A. IV, 552.

*Primus*, pro *olim*, *antiquitus*, nulla historiae habita et numeri ratione, N. A. I, 1.

Prischorum hominum corpora vasta, N. G. I, 497.

Probabilitas poetica, eius fines, Exc. 5. ad A. XII.

*Probus* et *improbus*, N. G. I, 119.

*Prochyta*, mulier et insula, Exc. 4, A. VI, extr.

Prodigia, examen apum, N. A. VII, 64. flamma e capite micans, N. A. II, 680. VII, 71. sagitta ardens, N. A. V, 525. voces e luco vel monte auditae, N. A. VII, 95. tonitru caelo sereno, ibid. 141. mensae ambesae, Exc. 2. ad VII, pr. sus cum XXX fetibus, ibid. arma in caelo conspecta, N. A. VIII, 520. nimbus caelum transcurrens et audit choros Matris deum, N. A. IX, 111. aquila a cygnis oppressa, N. A. XII, 244. bubo, ib. 862.

Prodigia post Iul. Caesaris caedem, N. G. I, 466.

Proelia, in eorum descriptionibus quatenus Virgilio cum Homero ratio? Argum. A. X. propter occisa animalia sacra, N. A. VII, 475.

Proetides, N. E. VI, 48.

Prognostica Virgiliana physici rationibus consentanea, N. G. I, 353. serenae tempestatis ex pluviali, Exc. II\*, G. I.

Prolepses in poetis, Exc. 4. ad A. VI, pr. V. L. A. I, 2.

Properius ill. Exc. 11, A. VI, p. 1025. em. N. E. II, 24. V. D. s. 67.

Propolis, alveariorum, gluten crassius, N. G. IV, 39.

Propugnaculum, vox explic. N. A. IX, 170.

Proserpina crinem moribundis cur abscondere dicta? N. A. IV, 698. ei. lucus, Exc. 2. ad A. VI. aureus ramus ei oblatus, Exc. 6. ad A. VI.

Proteus, ei. fabula, N. G. IV, 387.

Psithia vitis, V. L. G. II, 93.

*Pubere* et *pubescere*, hor. voc. significatus apud poetas, N. A. XII, 413.

Pugiles, eorum aures fractae, N. A. V, 435.

*Pugna*, v. *proelium*.

Pulveratio, N. G. II, 418.

Pyrgi, castellum Etruriae, Exc. 1. ad A. X, p. 569. sq.

Pyrrhus ex Deidamia, N. A. II, 477. regna in Epiro, Exc. 10, A. III. ante aram patris interfectus, Exc. 12, A. III.

**Quadrare**, N. G. II, 278.

**Quercus mel exsudantes**, N. E. IV, 30.

**Quinti Calabri carmen**, quid de eo statuendum? Exc. I, A. II, p. 385.

**Ramus aureus**, quid? Exc. 6, A. VI.

**Rarescere**, de iis, quae e conspectu discedunt, N. A. III, 411.

**Reges ius dicentes**, N. A. VII, 246. portionem agri assignatam habent, N. A. IX, 274.

**Religio**, varie dicitur, N. A. III, 363.

**Rhesus**, Exc. 16, A. I. ei. equi ardent, V. L. A. I, 472.

**Rhoetus et Rhoecus confusi**, V. L. G. II, 456.

**Robur patrum**, sic dicti filii, N. A. I, 664.

**Rogi nocte consumti**, N. A. V, 4.

**Romae nomen unde?** Exc. 4, A. VII, p. 153. praeconia, N. A. VI, 782.

**Romanorum et Epirotarum cognatio**, Exc. 13, A. III. Romanorum Graecos imitandi studium, Disq. I. §. 12.

**Romulus lupino tegmine indutus**, N. A. I, 275. trabea et lituo conspicuus, N. A. VII, 187. 612. eius casa in Capitolio, V. L. A. VIII, 654.

**Rostra trifida**, N. A. V, 143.

**Rubi**, Apuliae urbs, V. L. G. I, 266.

**Rumor**, ei. voc. significationes deductae, N. A. VIII, 78.

**Rusticae vitae laudes**, N. G. II, 458.

**Rutulorum recens**, Exc. 8, A. VII, p. 175 sq.

**Sabinus ager** geographice examinatus, Exc. 8, A. VII, p. 170 sq.

**Sabini**, ad eor. originem quinam populi referendi? Exc. 4, A. VII, p. 147.

**Sacadas**, non Acatus, historicus Argivus, Exc. 1, A. II, p. 393.

**Sacerdotes inter pugnantes**, N. A. XI, 768. Musarum poetae dicti, N. G. II, 476.

**Sacrae acies**, de iis Exc. 8, A. VII, p. 175 sq.

**Sacrati Manibus**, N. A. X, 419.

**Sacrum novendiale**, N. A. V, 762. **Sacra rustica in lucis**, N. A. XI, 739.

**Saevus**, quomodo usurpetur, N. A. I, 99.

**Salii**, N. A. VIII, 285.

**Sallentini in Calabria**, N. A. III, 400.

**Salmoneus**, Exc. 12, A. VI. **Salmone et Salmonia**, urbs

**Elidis**, V. L. et N. A. VI, 588.

**Sandyx herba**, N. E. IV, 45.

**Sardae herbae**, N. E. VII, 41.

**Sardonius risus**, ibid.

**Sarrastes**, Sarni fl. accolae, Exc. 8, ad A. VII, p. 173.

**Satura palus**, N. A. VII, 801.

**Saturium et Satyrium**, tractus ad Tarentum, V. L. G. II, 197.

**Saturnia** (i. q. Italia), de ea, Exc. 21, A. I. Exc. 2. ad A. VIII.

**Saturnus**, Exc. 5, A. VII, init. Exc. 2, A. VIII. pr. in Pelio, N. G. III, 93.

**Saunium**, Samnitium telum, N. A. VII, 665.

**Scamander**, N. A. I, 100.

**Scelera in Tartaro punita** cur a Virg. plura enumerantur, quam ab Homero, N. A. VI, 608.

**Sceptrum**, puellae regiae insigne, N. A. I, 653.

**Scholasticorum importunitate carmina** Virg. minora corrupta, praef. in Cul.

**Scholia in Pindar.**, v. Pindar. et sic de aliis Scholiis.

**Sciron et Scironides petrae**, V. L. Cir. 466.

**Scripturae ratio in linguis emortuis** prorsus incerta, Praef. To. I, p. LVIII sqq.

**Scrobs in sacris magicis**, N. A. IV, 504.

*Scylaceum urbs*, N. A. III, 553.

*Scylla*, quid? N. A. III, 424. Exc. 4, Buc. ei. forma in artis monumentis, ib. canes ei additi, ib. *Scyllae Homericae parentes*, V. L. Cir. 66. ei. fabula, ib. 68. 72. 83. 85. an plures? N. et V. L. E. VI, 74.

*Scylla*, Nisi filia, antiquioribus carminibus celebrata, N. Cir. 115. Iunonem religione violata iratam habens Minois correpta amore, ib. 133. in navem ab eo discedente recepta, ib. 389.

*Scyllaeum saxum*, N. Cir. 54. *Secare spem*, quid? N. A. X, 107.

*Secius*, unde ductum, V. L. G. II, 277.

*Segesta urbs*, ei. origo, Exc. I, A. V.

*Segnis*, infecundus, N. G. I, 151.

*Selinus palmis abundans*, N. A. III, 705.

*Seneca*, Troad. 44. vindicat. N. A. II, 550. Nat. Qu. V, 16. ill. Exc. 3. ad A. I.

*Septentrio, sidus*, N. G. III, 381.

*Sepulturae religio*, N. A. VI, 325.

*Sericum*, de eo N. G. II, 121.

*Seriphus insula*, de ea V. L. Cir. 477.

*Serpens plurium rerum symbolum*, N. A. V, 84. serpentium allapsus a multis poetis adumbratus, N. A. II, 210.

*Serpyllum rusticorum cibus*, N. E. II, 11.

*Servius em.* N. A. II, 173. 704. III, 279. 349. IV, 146. X, 247. N. G. I, 58. Exc. 2. ad A. IV, p. 718. Exc. I, A. III, p. 563. Exc. 1, A. X, p. 569. extr. ei. ad Virgil. interpretandum usus, V. L. A. VII, 150.

*Sibylla*, foliis vaticinia mandans, N. A. III, 457. ex antiquioribus fabulis petita, N. A. VI, 74. et Exc. 4, A. VI, p. 1012. antrum, Exc. 3. ad A. VI. et N. A. VI, 42. Cumana, Exc. 5. ad A. VI.

*Sibyllini libri et vaticinia*,

Arg. E. IV. N. A. VI, 71. Sibyllinum oraculum a Virgilio expressum, ibid. et N. E. IV, 4.

*Sic*, habet saepe *μυήτιον* quid, N. A. I, 225.

*Sicani*, N. A. V, 24. qui? N. A. VIII, 328.

*Sichaeus*, ei. umbra Didonem movens, Exc. 11, A. I. ei. opes, V. L. A. I, 343.

*Sicilia*, ad eam appellit Aeneas, Exc. 1, A. V.

*Siculi*, qui? N. A. VIII, 328. et Exc. 2, A. VIII, p. 284.

*Sicyon olivifera*, N. G. II, 519.

*Sidera* quaedam se invicem fugientia, N. Cir. 533. quomodo se fugere et sequi dicantur, Exc. I. ad G. IV. septentrionalia non occidentia, N. G. I, 246.

*Sidon*, Exc. 23, A. I.

*Sidus et frigus variat*, V. L. G. III, 279.

*Sila*, Apennini iugi pars, V. L. G. III, 219.

*Silenus a Satyris et Nymphis vinctus*, Exc. II\*, Buc. deus canens, Arg. E. VI. *Anaglypha varia*, N. E. VI, 13.

*Silius em.* N. A. VI, 276.

*Silvanus*, cupressiger, N. G. I, 20. frondibus aut floribus coronatus, N. E. X, 24.

*Silvius*, rex Albae, N. A. VI, 760.

*Simois: proelia ad eum*, N. A. I, 100.

*Sinon*, Exc. 4, A. II.

*Sirenes*, ear. species, Exc. 7, A. III.

*Sirenium petrae tres*, N. A. V, 864.

*Sirius: eius ortu aestus per Africam*, N. G. IV, 425. pestilentiae causa habitus, N. A. III, 141.

*Sol*, ei. solennis mentio in foederibus et diris, N. A. IV, 607. caelum regit, N. G. I, 231.

*Solinus em.* Exc. 8, A. VII, p. 166.

*Solvere*, verbum magicum, N. A. IV, 487.

*Somnia: eorum sedes in Orci aditu*, N. A. VI, 282.

*Somnus*, ei coniux promissa, Exc. II, A. I. *Paliaurum oppri-*

mens, cum aliis quae eum adumbrant, Exc. 8, A. V. Somni portae, Exc. 15, A. VI. fundi, infundi dictus, N. A. I, 692, natura tributa ei humida, N. A. V, 854.

Sophocles, ill. A. I, 592. 3. N. A. XI, 51. an eius fabula *Ἰλίου ἄλωσις*, Exc. 1. ad A. II, p. 394. eius Laocoon, Exc. 5. ad A. II, p. 410. em. locus ex eo, Disqu. II, §. 5. et Exc. 17, A. II, p. 437. em. alius locus e Polyxena, Exc. 9, A. VI, extr.

Soracte, mons agri Falisci, N. A. XI, 785.

Spartanae puellae, N. A. I, 315. 316.

Sparus, rusticum telum, N. A. XI, 682.

Spectacula, res religiosa, N. A. VIII, 663.

Speluncae vitibus obductae, N. E. V, 7.

Sperare, pro timere, N. A. IV, 419.

Spolia opima diis consecrata, N. A. VI, 856.

Squalere, explic. N. A. X, 314. N. G. IV, 93.

Statius ill. N. A. I, 704. Exc. 11, A. VI, extr.

Statuae pictae, N. E. VII, 32. epigrammata iis addita, ibid. 30. 33.

Stella cadens, laetum variis in rebus auspiciis, N. A. II, 694. crinita post D. Iulii caedem conspecta, N. G. IX, 46.

Stephanus Byzant. em. N. Cir. 476.

Στεφάνῃ ap. Homer. N. A. V, 556.

Stesichorus, ei. *Ἰλίου πέρσις*, Exc. 1, A. II, p. 392.

Strongyle, Aeolisedes, Exc. 1. ad A. I.

Strabo ill. Exc. 1. ad A. II, p. 395.

Strophades, unde sic dictae? N. A. III, 210.

Stygia aqua ad ferrum temperandum apta, N. A. XII, 91.

Stymphalides, Exc. 7, A. III, extr.

Styrax frutex, N. Cir. 168.

Styx, Erebum ambit, N. G. IV, 480.

Sub (c. abl.), cum notatione obsequii aut imperii, quod patitur quis, V. L. A. I, 273.

Submittere, varie dicitur, N. E. I, 46.

Suffimenta: eorum usus in Oriente, N. A. VII, 13.

Superbus, quis? N. A. XI, 539.

Superstitutiones pastorum, N. E. II, 70. N. E. VIII, 69. ad res avversandas non respicere, N. G. IV, 485.

Sus cum XXX fetibus, fabula decantatissima, Exc. 2, A. VII, p. 133 sq. suis inventae locus, ib. p. 135.

Syagri Troica, Exc. 1, A. II, p. 393.

Syron Epicureus, N. V. D. s. 79. N. Cat. X, 1.

Tabularium Romanum, N. G. II, 508.

Tantali fabula, de ea auctores, N. A. VI, 601.

Tantum, varia significat, N. E. VI, 16.

Taras, Tarenti conditor, Exc. 14, A. III.

Tarco seu Tarchon, de eo, Exc. 3, A. VIII.

Tarentum a quo conditum? Exc. 14, A. III. Saturum, V. L. G. II, 197.

Tartarus, Exc. 8, A. VI, p. 1018. ventus in eo, N. G. IV, 484. profunditas, N. A. VI, 577.

Taurus, signum in monumentis, N. G. I, 218. taurorum pugna, N. G. III, 217.

Tela venenata barbarorum, N. A. IX, 773. V. L. A. X, 139. N. A. XII, 857.

Telae pictura, N. A. VII, 14. Teleboae, Exc. 8, A. VII, p. 173.

Tellus, de insulis solenne, V. L. A. III, 73.

Tellus dea nuptiarum auspex, N. A. IV, 166.

Tempestates veris et autumnii, N. G. I, 311. per siderum ortus

et occasus declaratae, N. A. XI, 259.

Tempus excidii Troiae, Exc. 2, A. III. tempora descensus Aeneae ad Elysium, Exc. XI\*, A. VI. temporis spatium, in quod sex posteriorum Aeneidis librorum res gestae a poeta dispescuntur, Exc. I, A. XII.

Tenedos ins., N. A. II, 21.

Tentoria Achivorum et Troianorum; quomodo comparata? N. A. I, 469. et Exc. 16, A. I. Rhese nulla erant, ibid.

Terebinthus arbor, N. A. X, 136.

Teriones, i. q. triones, N. A. I, 744.

Terrarum nomina quomodo et quando orta? v. *Nomina*.

Testudo in expugnatione Pergami, N. A. II, 441.

Teucer. Teuceri et Teucrorum e Creta origines, Exc. 5, A. III. N. A. I, 626. Alius Teucer Telamonius, ibid. Cyprum concessit, Exc. 23. ad A. I. ei. ad Sidonios accessus, ib.

Textura veterum, Exc. I\*, A. VII.

Thalia, nympa, V. L. A. IX, 584.

Thebe, Mysiae urbs, N. A. IX, 697.

Theocritus. Eius carminis bucolici indoles: de Carm. bucol. To. I. pr. inprimis simplicitas, ibid. Theocritus illustratus, N. E. I, 11. 46. II, 9. 70. III, 30. 38. 39. 46. V, 9. VIII, 20. G. II, 465.

Theodorus. Ei. Troica, Exc. 1. ad A. II, p. 382.

Thersander, Polynicis f., N. A. II, 261.

Thesens. Ei. descensus ad inferos, N. A. VI, 397. supplicium, ibid. 617. a poetis et artificibus varie repraesentatum, ibid.

Thessandrus, quid de eo statuendum? N. A. II, 261.

Thorax c. anguibas et Gorgone, N. A. VIII, 435.

Thybris cur scribatur, non Tiberris, Exc. 2, extr. A. VII.

Thyestes tragoedia, de ea N. V. D. s. 30.

Thymbra, Troadis ager, N. G. IV, 323. A. III, 85. urbs et fl., V. L. A. X, 124.

Tiberis, ei. ripae qualis olim fuerit facies, Exc. 3, A. VII, init.

Tibur, ei. conditores, Exc. 8, A. VII, p. 166.

Timavus fluvius, N. E. VIII, 6. N. A. I, 244. et Exc. 7, A. I.

Timotheus tragicus, ei. *Πέποι η Ναύπλιοι*, leg. *πυρσολ* vel *πυρσά*, Exc. 1, A. II, p. 394.

Tityus fab., N. A. VI, 595.

Tmarus mons, N. E. VIII, 44.

Tmolus, mons Ciliciae, N. G. I, 56. at Lydiae dictus, V. L. G. II, 98. crocifer, N. G. I, 56. vitifer, V. L. G. II, 98.

Trabea regum, N. A. VII, 188. 612.

Tragici Graecorum ex carminibus *τῶν νόστων* plurimum profecerunt, Disq. I, §. 8.

Tragoediae Latinorum cyclum Troianum spectantes enumerantur, Exc. 1, A. II. p. 388.

Tribulum, N. G. I, 164.

Trieterica Bacchi sacra Thebis quomodo celebrata, N. A. IV, 301.

Trinacia et Trinacria, V. L. A. III, 394.

Triones gemini, N. A. I, 744.

Triptolemus, N. G. I, 19.

Triremes, de earum forma N. A. V, 119.

Tritonia, Minerva unde sic appellata? N. A. II, 170. 171.

Tritura veterum, N. G. I, 178.

Triumphantium purpura, N. G. III, 17.

Troia, plenilunio excisa, N. G. II, 255. Exc. 2. ad A. III, pr. ei. excidium variis tragoediis argumentum dedit, Exc. 1. ad A. II, p. 393 sq. excidii nox, Exc. 8. ad A. II. portae Troiae, Exc. 14. ad A. II. ea eversa, num iterum ibi regnum a Troianis conditum? et quoduce? Disq. II, §. 4. Troiae excisae tempora, Exc. 2, A. III. Troia Epiri, Exc. 1. ad A. III. (add. Steph. Byz. in *Τροίη*) Troia ad sinum Adriaticum, Liv. I, 1. Exc. 7. ad A. I. Troia nova in Latio, Exc. 3, A. VII, p. 138.



Troianum bellum plerumque initium erat historiarum Graecarum, Exc. 1, A. II, p. 381. Troianae religiones, Exc. 9, A. II. Troianae res, tractatae ab historicis, Exc. 1, A. II, p. 381. a lyricis, ib. p. 383. a tragicis, ib. a Scholiastis et grammaticis, ib. ab iisdem turbatae et commixtae, ib. p. 383 sq. a sophistis et rhetoribus corruptae, ib. ab historicis mutatae et suis temporibus attemperatae, ib. p. 384. a senioribus versificationibus retractatae, ib. a Romanis ex Graeco sermone in Latinum conversae, ib. p. 385. in iis canendis Virgilius Arctinum, Leschen, tragicos etc. sequutus, ib. p. 387 sq.

Troiani, Graecis, et hinc Romanis barbari dicti, N. A. II, 504. sub dio pernoctantes, Exc. 16. ad A. I. urbe expugnata digressi et mox reversi, Disq. II, §. 4. ex Arcadia oriundi, Exc. 1, A. III, p. 561. Troianorum classis incensa, Exc. 6, A. V. sedes variis in terris, v. Aeneas. advenae in Latio agros accipiunt, N. A. XI, 316. Troianorum rerum scriptores, Exc. 1, A. II. religionum enarratio, Exc. IX. ad A. II, p. 424 sq.

Troilus, Exc. 17, A. I.

Tryphiodorus, Exc. 1. ad A. II, p. 385. em. Disq. II, §. 3. not. Exc. 9, A. II, p. 422.

Tumulus, N. A. XI, 849. circa eum decursus armatorum heroicis temporibus, Exc. 5, A. V.

Turbare et turbari poetis quid? V. L. A. VIII, 223.

Turbo lusus, N. A. VII, 378.

Turnus eiusque familia, Exc. 7, A. VII. N. A. VII, 599.

Turres veterum, N. A. II, 460.

Typhoeus, ei. fabula, N. A. III, 578.

Tyrrheni, i. q. Etrusci, eor. origines olim iactatae, Exc. 3, A. VIII.

Tyrrhus, Tyrrhidae, N. A. VII, 484.

Tzetza, de eo Exc. 1, A. II, p. 385.

qua scriptura, V. L. E. I, 14. et G. I, 120.

Ulixæus, antiqua pronuntiatio, V. L. E. VIII, 70. eius partes in Equo Troiano instruendo, N. A. II, 18.

Umbræ somniantibus se offerunt, N. A. VI, 895.

Unguentorum inter homines usus ad deos translatus, Exc. 13, A. I.

Urbes captae a diis deseruntur, N. A. II, 352. et Exc. 12, A. I, p. 240 sq.

Uri pro feris bobus, N. G. II, 374.

Ursi in Africa, N. A. V, 37.

Utrum in Dionysiis paganismus, N. G. II, 384.

Vaccæ ad feturam quæ sint aptissimæ, N. G. III, 49.

Vaccinia nigra, N. E. II, 18.

Valerius Flacc. ill., N. A. I, 655. Exc. 9. ad A. I, p. 237. Exc. 15. ad A. I, p. 248.

Vanus, quis? N. A. I, 392.

Varius poeta, de eo N. V. D. s. 53. et s. 30. Not. ubi eius Thyestes.

Varus, multorum Romanorum nomen, cum Vario saepe permutatum, Exc. 2. Bucol.

Varro ill., N. G. III, 55. ei. tragoediae, Exc. 1, A. II, p. 388.

Vates, N. A. V, 709. inviti vaticinantur, N. E. VI, 24. G. IV, 400. Celtarum, N. E. 34. vim in futura habere crediti, N. A. X, 176.

Vaticinium de mensis ambesis, Exc. 8, A. III. inter omnes populos, rudiores maxime, habentur, Arg. E. IV. vaticinia felicitatis futurae sub ultima reip. et prima imperatorum tempora Romae frequentissima, Arg. E. IV, N. A. VI, 799. vaticinia totius Aeneidis enumerata, Disq. II, §. 6. mos poetarum per vaticinia offerendi res iam gestas, Exc. 14. ad A. VI.

Velare, ubi proprie dicitur, N. A. II, 249.

Velum scenicum in altum sublatum, N. G. III, 24.

Vellera lanæ, N. G. I, 397.

*U*, cum *y* et *i* permutat, in anti-

Venatio an vitae pastoritiae conveniat, E. II, 29. nam alia res est, si feras gregem invadentes ferit pastor. At vitae agrestium convenit, G. III, 404.

Venatricum habitus, N. A. XI, 649.

Veneficium quomodo peractum? N. A. IV, 504 sqq. veneficia quomodo Romanis diversis temporibus aestimata? ib. 492.

Venetii, eor. origo, Exc. VII\*, A. I.

Venilia, Exc. 5, A. VII, p. 156.

P. Ventidius Bassus, N. Cat. 8.

Ventus in inferis, N. G. IV, 484. ventorum antrum, N. A. I, 52. conversiones subitae, Exc. 3. ad A. I. venti parum accurate usurpati Virgilio, ibid. tanquam in montibus habitantes, N. A. III, 687. Venti bigis vecti, N. A. II, 417. sacra iis facta, N. A. III, 120.

Venus Iovi supplex: in gemma, N. A. I, 223. eius palla, ibid. 402. incessus, ibid. Acidalia, N. A. I, 720. eius sacra incruenta, N. A. I, 45. sacra Cotyttia, N. Cat. V, 19. Veneris praemia, N. A. IV, 33. Venus mari orta, N. A. V, 800. aurea, N. A. X, 16.

Versus ad rerum sonos aecommodatos non ex industria contexit poeta, Disqu. I, §. 18. de versibus imperfectis, ib. et N. V. D. s. 59. versus primi in Codd. omissi, V. L. G. II, 1.

Vesta ab Aenea Troia asportata, Exc. 9, A. II, p. 421. una e senioribus diis, N. A. V, 544.

Vestis cum raptu Ganymedis intexto, Exc. 4, A. V. succincta fibula, N. A. I, 320. cf. Philostr. iun. c. XV, p. 887.

Vesulus mons, N. A. X, 708.

Vesuvius, ei. incendia, N. G. II, 224.

Viae, earum cura in nova colonia, N. A. I, 422.

Victor, Aurelius, em. N. A. VI, 773. Exc. 4. extr. ad A. VI.

Victores, eorum in ludis antiquis honor, N. G. III, 13.

Villici, eor. conditio inter Romanos, N. E. I, 28.

Vina veterum, N. G. II, 89.

Vineae arantur, V. L. G. I, 94.

Virbius heros, Exc. 8, A. VII, p. 175.

Virgilius, v. Vita Donati et Vita per annos digesta, Vol. I. in Aenea tractando egregium prae caeteris sumsit sibi carminis epici argumentum, Disqu. I, §. 9. in plurimis imitatus est poetas Graecos, inprimis Homerum; sed ut homo aetatis Augustae, ib. §. 10. exemplo reliquorum Romanorum poetarum, ib. §. 12. comparatus cum Homero rerum inveniendarum solertia, ib. §. 7. Homerum antecellit orationis indole, ib. §. 11. Virgillii affectus ad tragicam vehementiam et rhetoricam declamationem accedens, Exc. 1, A. II, p. 387 sq. et N. A. X, princ. Virgilius oratoriam formam in locis designandis sequitur, V. L. A. IV, 471. quod sextum librum Aeneidis tanquam episodum interposuit, vindicatur, argum. A. VI. cum Homero comparatur quod ad proelia attinet, argum. A. X. eius imagines vulgo procusae, quid de iis statuendum? N. V. D. s. 19. ei. Catalecta, de iis iudicium vid. in singulor. prooemiis, et N. V. D. s. 28. ei. sepulcrum, N. V. D. s. 55. ei. mors et carminum post mortem fata, V. V. a. U. C. 735. versus imperfecti, V. D. s. 59. et Disqu. I, s. 18. graece loquendi formae, N. G. II, 501. a regulis consecutionis recedit, N. A. I, 706. graecismum in hiatibus affectat, V. L. A. III, 211. ei. narratio foeda, Exc. 18. ad A. III. oratoriam formam interdum adoptat, V. L. A. IV, 471. ratio in enumerandis copiis Latinis, N. A. VII, 641. de singulis Carminibus v. eorum proemia. Orationes ad dramaticam formam compositae, N. A. VII, 245. 293. 319. VIII, 288. IX, 634. XI, 376. Praef. A. X.

Versus insititii integri et dimidii, V. L. E. III, 109. VI, 30. 41. VII, 19. 70. VIII, 49. 50. G. II, 125. 129. VI, 291. 506. 520. 559-560. A. I, pr. 109. 268. II, 331. III, 340. 1. 484. 595. 660 sq.

## 516 IND. IN HEYN. NOT. ET COMMENT.

684. 5. 6. IV, 244. 256. 7. 8. 261.  
528. 633. V, 137 sq. 595. 870 sq.  
VI, 242. 743 sq. 775. VII, 182.  
240. 1. 2. 743. 4. 775. VIII, 182 sq.  
283 sq. 654. 677. IX, 29. 810 sq.  
121. 151. 467. 529. 629. 651. X,  
188. 465. 872. XI, 172. 181. 857.  
892. XII, 232. 612 sq.  
Viscus frutex, N. A. VI, 205.  
Vita rustica, ei. laudes ex  
variis scriptoribus notatae, N. G.  
II, 458. beata ex Epicuri prae-  
ceptis, ib. 490.  
Vitium amputatio duplex, N.  
E. II, 70. veterum recensio, N.  
G. II, 89. origines, V. L. G. II,  
97. solum quod requirunt, ibid.  
184. 273.

Vittae templorum, N. A. IV,  
459. victimarum, N. A. V, 366.  
supplicum, N. A. VIII, 128.

Volatus varie significatur, N.  
A. V, 607.

Volvere poetis quid? N. A. I, 9.

Vota irrita ferunt venti, N. E.  
III, 73.

Vulcanus, ei. officina, N. A.  
VIII, 416. ferrum Stygia unda  
tingit, N. A. XII, 91.

Xanthus, Lyciae urbs, N. Cu.  
14.

---

**I**ndex in Varias Lectiones et Notas, olim a *Car. Gotth. Lenzio* docta opera confectus, postea auctus est *Frid. Peuceri, Wimariensis* industria; etsi opera eius ita fuit circumscripta, ut tantum insigniora, seu verborum interpretandorum seu rerum criticarum, mythicarum, historicarum illustrandarum causa apposita notaret, omissis iis, quae ad poetae ipsius interpretationem spectarent, aut in Excursibus ipsis melius cognosci possent. Nec poterant in Indices commode redigi, quae de codicibus, editionibus, et grammaticis antiquis, ne illa quidem omnia, quae in Vita Virgilii sunt memorata.

---

# **CONSPECTUS**

**EORUM, QUAE HAC EDITIONE CONTINENTUR.**

---



# CONSPECTUS

## EORUM, QUAE HAC EDITIONE CONTINENTUR.

### Tom. I.

<b>D</b> edicatio . . . . .	<i>Pag.</i> I
Praefatio quartae editionis . . . . .	III
(insunt Variae Lectiones ex cod. Palatino excerptae p. XIV — XVII.)	
Praefatio primae editionis . . . . .	XXVII
Praefatio Tomi secundi eiusd. editionis . . . . .	XXXVIII
Praefatio Tomi tertii eiusd. editionis . . . . .	XLV
Praefatio secundae editionis . . . . .	LIII
Praefatio Tomi secundi eiusd. editionis . . . . .	LXVIII
Praefatio tertiae editionis . . . . .	LXXII
De Vita Virgilii . . . . .	LXXXVIII
Donati Vita Virgilii . . . . .	LXXXI
Vita Virgilii per annos digesta . . . . .	CVII
Testimonia de Virgilio et Argumenta Operum . . . . .	CXXXIII
Epitaphia Virgilii . . . . .	CLVII
Dedicatio Aeneidos . . . . .	CLX
 <b>P. Virgilii Maronis Bucolica</b> . . . . .	 1
De Carmine Bucolico . . . . .	3
F. A. G. Spohnii Prolegomena ad Carmina Bucolica Virgilii . . . . .	21
Additamentum Ph. Wagneri . . . . .	49
Ecloga I. . . . .	51
" II. . . . .	79
" III. . . . .	97
" IV. . . . .	124
" V. . . . .	148
" VI. . . . .	167
" VII. . . . .	187

Ecloga VIII. . . . .	Pag.	202
„ IX. . . . .	„	221
„ X. . . . .	„	233
Excursus I. Ecloga IV. graece versa in Oratione Constantini M. . . . .	„	250
Excursus II. de Varo . . . . .	„	252
Excursus II*. de Sileno a Satyris et Nymphis vincto . . . . .	„	254
Excursus III. de C. Cornelio Gallo simulque de Euphorionis Chiliasi . . . . .	„	256
Excursus IV. de Scylla . . . . .	„	259
<b>P. Virgilii Maronis Georgica . . . . .</b>	„	263
Prooemium in Georgica . . . . .	„	265
Georgicon liber I. . . . .	„	279
Excursus I. de aratro Virgiliano . . . . .	„	385
Excursus II*. ad locum de prognosticis serenae tempestatis ex pluviali . . . . .	„	388
Georgicon liber II. . . . .	„	391
Georgicon liber III. . . . .	„	499
Georgicon liber IV. . . . .	„	593
Excursus I. de Pleiade Piscem fugiente . . . . .	„	691
Excursus II. de Nympharum domo et Penei regia . . . . .	„	693
Excursus III. de Ixionis rota ad Orphei cantum subsistente . . . . .	„	696

## Tom. II.

**P. Virgilii Maronis Aeneidos lib. I—VI.**

Disquisitio I. de carmine epico Virgiliano . . . . .	„	1
Disquisitio II. de rerum in Aeneide tractatarum in- ventionone . . . . .	„	37
Aeneidos liber I. . . . .	„	57
Excursus I*. de ministerio deorum, inprimis Iuno- nis, in Aeneide . . . . .	„	211
Excursus I†. ad vs. 8. „quo numine laeso“ . . . . .	„	214
Excursus I**. Pallas fulmen iaculans . . . . .	„	217
Excursus I. de insula Aeolia . . . . .	„	219
Excursus II. Nymphae Iunonis comites . . . . .	„	220
Excursus III. de pluribus ventis una spirantibus . . . . .	„	221
Excursus IV. Arae in mari ex adverso Carthaginis . . . . .	„	222
Excursus V. Neptunus graviter commotus idemque placidus . . . . .	„	223
Excursus VI. de loco litoris Libyae, ad quem Aeneas appulit . . . . .	„	225

## QUAE HAC EDIT. CONTINENTUR. 521

Excursus VII*. de Antenore . . . . .	Pag. 228
Excursus VII. de Timavo fluvio . . . . .	„ 231
Excursus VIII. de Iuli cognomine Ascanio indito . . . . .	„ 235
Excursus IX. Belli portae . . . . .	„ 236
Excursus X. Mercurius ad Poenos placandos mis- sus . . . . .	„ 238
Excursus XI. Dido a Sichaei umbra monita . . . . .	„ 239
Excursus XII. pius Aeneas . . . . .	„ 240
Excursus XIII. de iis, quae deorum praesentiam arguunt . . . . .	„ 241
Excursus XIV. equi caput omen Carthaginensium fortunae . . . . .	„ 246
Excursus XV. pictura in templo Carthagini ab Aenea perlustrata . . . . .	„ 247
Excursus XVI. de Rheso . . . . .	„ 249
Excursus XVII. de Troilo . . . . .	„ 249
Excursus XVIII. de Hectore circa Troiam ra- ptato . . . . .	„ 251
Excursus XIX. de Memnone . . . . .	„ 251
Excursus XIX*. de Amazonibus auxilium Ilio fe- rentibus . . . . .	„ 253
Excursus XX. Dianae et Nympharum choreae . . . . .	„ 254
Excursus XXI. de antiquo Italiae nomine . . . . .	„ 257
Excursus XXII. auro inclusum ebur, marmor, ar- gentum . . . . .	„ 259
Excursus XXIII. Teucri ad Sidonios accessus . . . . .	„ 260
Excursus XXIV. de Ilione . . . . .	„ 261
Excursus XXV. implere amorem genitoris . . . . .	„ 262
Excursus XXVI. qui. qualis. quantus . . . . .	„ 262
Aeneidos liber II. . . . .	„ 264
Excursus I. de auctoribus rerum Troianarum . . . . .	„ 378
Excursus II. Noctis per caelum transvectio . . . . .	„ 400
Excursus III. de equo Troiano . . . . .	„ 401
Excursus IV. de Sinone . . . . .	„ 404
Excursus IV*. de Palamede . . . . .	„ 405
Excursus IV**. Palladium a Diomede et Ulysse raptum . . . . .	„ 408
Excursus V. de Laocoonte . . . . .	„ 409
Excursus VI. Laocoontis clamores . . . . .	„ 414
Excursus VII. equus Troianus in urbem inductus . . . . .	„ 415
Excursus VIII. de nocte Troianis funesta . . . . .	„ 416
Excursus VIII*. Hector classi Achivorum ignem inferens, et victor Patrocli rediens . . . . .	„ 417
Excursus IX. de Penatibus, Palladio et Vesta . . . . .	„ 418
Excursus X. de Coroebo . . . . .	„ 426



Excursus X*. Cassandra raptata . . . . .	Pag. 427
Excursus XI. de Priami nece . . . . .	429
Excursus XII. de Helena recepta . . . . .	430
Excursus XIII. Anchises humeris Aeneae aspor- tatus . . . . .	431
Excursus XIV. de Creusa . . . . .	432
Excursus XV. praedictio aditus Hesperiae obscura . . . . .	433
Excursus XVI. Luciferi ortus ab Ida . . . . .	433
Excursus XVII. de Aeneae discessu ex urbe, eius- que patre et stirpe . . . . .	434
Aeneidos liber III. . . . .	440
Excursus I. de Aeneae erroribus . . . . .	556
Excursus II. de errorum Aeneae annis . . . . .	565
Excursus III. Polydorus . . . . .	572
Excursus IV. „Delos, gratissima tellus Nereidum matri et Neptuno Aegaeo“ . . . . .	572
Excursus V. Teucris et Teucrorum e Creta ori- gines . . . . .	573
Excursus VI. de Dardani originibus ex Arcadia vel ex Tyrrhenia et urbe Corytho . . . . .	573
Excursus VII. de Harpyiis . . . . .	576
Excursus VIII. vaticinium de mensis ambesis . . . . .	579
Excursus IX. de clipeo Abantis . . . . .	580
Excursus X. Heleni et Andromachae occursum in Epiro . . . . .	581
Excursus XI. Polyxenae immolatio . . . . .	583
Excursus XII. Neoptolemi caedes . . . . .	584
Excursus XIII. de cognatione inter Epirotas et Romanos . . . . .	585
Excursus XIV. de Herculeo Tarento . . . . .	586
Excursus XV. de Aetna . . . . .	587
Excursus XVI. foeda ad sensum a poeta narrata . . . . .	588
Excursus XVII. Anchisae obitus . . . . .	589
Aeneidos liber IV. . . . .	591
Excursus I. de Didone eiusque amoribus et aetate . . . . .	713
Excursus II. Apollinis accessus ad Delum . . . . .	717
Excursus III. de Famae specie . . . . .	719
Excursus IV. templum Hesperidum . . . . .	720
Aeneidos liber V. . . . .	722
Excursus I. super Aeneae accessu ad Siciliam . . . . .	841
Excursus II. de Eryce . . . . .	843
Excursus III. de Elymo, Entello aliisque ex anti- quitate Siciliae . . . . .	844

## QUAE HAC EDIT. CONTINENTUR. 523

Excursus IV. vestis cum raptu Ganymedis intexto	Pag.	846
Excursus V. de ludo Troiae . . . . .	„	847
Excursus VI. classis Troiana incensa . . . . .	„	848
Excursus VII. episodium de Palinuro . . . . .	„	849
Excursus VIII. Somnus Palinurum opprimens . . . . .	„	849
Aeneidos liber VI. . . . .	„	851
Excursus I. Necyiae in poetarum carminibus frequentatae . . . . .	„	1002
Excursus II. locorum circa Avernum descriptio, seu topographia agri Cumani . . . . .	„	1005
Excursus III. eadem topographia ad mentem Maronis . . . . .	„	1008
Excursus IV. de Aeneae accessu ad Italiam . . . . .	„	1010
Excursus V. Deiphobe Sibylla et sacerdos . . . . .	„	1013
Excursus VI. ramus aureus . . . . .	„	1014
Excursus VII. de Miseno . . . . .	„	1016
Excursus VIII. chorographia locorum inferorum ex poetae mente . . . . .	„	1016
Excursus IX. de fluminibus inferorum . . . . .	„	1020
Excursus X. descensus ad inferos num ex initiis Eleusiniis sit adumbratus . . . . .	„	1022
Excursus XI. de iudiciis apud inferos . . . . .	„	1024
Excursus XI*. Orgia Bacchica poetarum usibus inservientia . . . . .	„	1026
Excursus XI**. tempora descensus Aeneae ad Elysium . . . . .	„	1027
Excursus XII. de Salmoneo . . . . .	„	1029
Excursus XIII. animarum origines et fata . . . . .	„	1031
Excursus XIV. futurarum rerum praedictiones in carmine epico . . . . .	„	1036
Excursus XV. portae Somni . . . . .	„	1041

### TOM. III.

#### P. Virgilii Maronis Aeneidos lib. VII—XII. cum Indice Notarum, quibus aucta est quarta editio.

Aeneidos liber VII. . . . .	„	1
Excursus I. de Caieta et insula Circes . . . . .	„	125
Excursus I*. pecten et <i>νεπηλς</i> in antiqua textrina . . . . .	„	130
Excursus II. de accessu Aeneae ad Italiam . . . . .	„	131

Excursus III. de locorum, in quae Troiani escensum fecere, situ: de agro Laurenti et Troia nova, urbibus Laurento et Lavinio, Numicio fluvio, Iturnae lacu, et urbe Alba Longa . . .	Pag. 137
Excursus IV. veteris Italiae origines, populi et fabulae ac religiones . . .	„ 143
Excursus V. historiae veteris mythicae Italiae capita potiora de Saturno, Iano, Pico, Fauno, Latino	„ 154
Excursus VI. de oraculo Fauni in luco Albunea in agro Tiburtino . . .	„ 159
Excursus VII. de fabularum Graecarum usu, et de Italicarum in illarum naturam deflectarum habitu; tum de Turno . . .	„ 160
Excursus VIII. ad recensum populorum, qui cum Latino armorum societatem inierant . . .	„ 165
Aeneidos liber VIII. . . . .	„ 177
Excursus I. Euander Arcas eiusque sedes in monte Palatino . . .	„ 281
Excursus II. de priscis Italiae incolis et nominibus . . .	„ 283
Excursus III. super Etruscis et Mezentio . . .	„ 287
Excursus IV. de Aeneae clipeo . . .	„ 291
Aeneidos liber IX. . . . .	„ 300
Excursus I†. de topographia castrorum Aeneae et Nisi Euryalique protectione . . .	„ 414
Excursus I*. narrata de Aenea et Anchise ante belli Troiani tempora . . .	„ 416
Excursus I**. de deorum interventu in Aeneide; et unde poetae acceperint ea signa, quae praesentiam numinis arguunt . . .	„ 418
Excursus II. de insula Inarime et de Arimis . .	„ 421
Aeneidos liber X. . . . .	„ 424
Excursus I. auxilia Aeneae ex Etruria . . .	„ 568
Excursus I*. de vs. 185. sqq., de Cinyra et Cupavone . . .	„ 572
Excursus II. de Amyclis tacitis . . .	„ 575
Aeneidos liber XI. . . . .	„ 577
Excursus I. de Diomedis sedibus in Apuliae litore	„ 699
Excursus II. de Camilla . . .	„ 703
Excursus III. de chlamyde in nodum collecta . .	„ 704
Aeneidos liber XII. . . . .	„ 707
Excursus I. super temporis spatio, in quod sex posteriorum Aeneidis librorum res gestae a poeta dispescuntur . . .	„ 837

## QUAE HAC EDIT. CONTINENTUR. 525

Excursus II. de Iunonis deorumque intervntu in extrema parte Aeneidis . . . . .	Pag. 839
Excursus III. de rebus gestis et fati Aeneae inde ab adventu in Italiam, et de poetae artificio in his rebus tractandis et ornandis . . . . .	„ 840
Excursus IV. de lapide medico . . . . .	„ 847
Excursus IV†. de Participio versum vitiose clau- dente . . . . .	„ 850
Excursus V. censura eorum, quae in Aeneidis oeco- nomia reprehendi possunt . . . . .	„ 854
Index Notarum, quibus aucta est quarta editio	„ 860— 901

### TOM. IV.

#### P. Virgilii Maronis Carmina minora. Quaestiones Virgilianae. Notitia literaria.

Praefatio novi editoris . . . . .	„ III
Praefatio Heynii . . . . .	„ XIII
<b>Culex</b> . . . . .	„ 1
Heynii Prooemium in Culicem . . . . .	„ 3
Epimetrum novi editoris . . . . .	„ 11
Culex, ipsum carmen, . . . . .	„ 25
Adnotatio critica in Culicem . . . . .	„ 47
Culex probabiliter restitutus . . . . .	„ 115
<b>Ciris</b> . . . . .	„ 125
Heynii Prooemium in Cirin . . . . .	„ 127
Epimetrum novi editoris . . . . .	„ 135
Ciris, ipsum carmen, . . . . .	„ 161
Adnotatio critica in Cirin . . . . .	„ 199
<b>Copa</b> . . . . .	„ 279
Heynii Prooemium in Copam . . . . .	„ 281
Epimetrum novi editoris . . . . .	„ 282
Copa, ipsum carmen, . . . . .	„ 285
<b>Moretum</b> . . . . .	„ 299
Heynii Prooemium in Moretum . . . . .	„ 301
Epimetrum novi editoris . . . . .	„ 305
Moretum, ipsum carmen, . . . . .	„ 311
Adnotatio critica ad Moretum . . . . .	„ 318

Index rerum et verborum in Notas et Adnotationem criticam Iul. Silligii . . . . .	Pag.	333
Addenda . . . . .	"	337
Catalecta . . . . .	"	339
Prooemium in Catalecta . . . . .	"	341
Catalecta ipsa . . . . .	"	344
Excursus ad Catal. II. . . . .	"	377
Philippi Wagneri Quaestiones Virgilianae . . . . .	"	383
Praemonitum . . . . .	"	384
Quaestio I. de Praepositione <i>Ab</i> . . . . .	"	387
" II. de Praepositione <i>Ex</i> . . . . .	"	388
" III. de forma Accusativi nominum priorum . . . . .	"	389
" IV. de Graecis terminationibus sec. Declinat. -os et -on . . . . .	"	390
" V. de terminatione tert. Personae Plural. Perfecti Indic. Activi *) . . . . .	"	391
" VI. de Modis ac Temporibus Verborum confusis . . . . .	"	392
" VII. de permutatione Praesentis et Perfecti . . . . .	"	395
" VIII. de Numeris Verborum permutatis . . . . .	"	399
" VIII. de Casu ac Numero Nominum permutato . . . . .	"	405
" X. de permutatione Praepositionum <i>Ad</i> et <i>In</i> . . . . .	"	417
" XI. de Hiatu . . . . .	"	418
" XII. de brevi syllaba arseos vi producta . . . . .	"	422
" XIII. de Caesura post primum pedem . . . . .	"	430
" XIII. de Praepositione <i>In</i> , etiam <i>A</i> et <i>E</i> , non raro in codd. vel omissa temere, vel adiecta . . . . .	"	433
" XV. de Verbo <i>Est</i> vel omisso vel adiecto . . . . .	"	437
" XVI. lectiones discrepantes e veterum Grammaticorum, maxime Servii, commentariis ortae . . . . .	"	442
" XVII. de Pronomine <i>Is</i> . . . . .	"	451
" XVIII. de Pronomine <i>Ipsa</i> . . . . .	"	457
" XVIII. de Pronomine <i>Iste</i> . . . . .	"	472

\*) Vid. nunc *Orthograph. Vergil.* sub v. PERFECTI.

# QUAE HAC EDIT. CONTINENTUR. 527

Quaestio	XX. de Pronomine <i>Hic</i> . . . . .	Pag. 473
"	XXI. de Pronomine <i>Ille</i> . . . . .	" 479
"	XXII. de Pronomine interrogativo <i>Quis</i> et <i>Qui</i> . . . . .	" 483
"	XXIII. de Adverbio <i>Hic</i> . . . . .	" 486
"	XXIII. de Particula <i>Iam</i> . . . . .	" 489
"	XXV. de Adverbio <i>Tum, Tunc</i> . . . . .	" 493
"	XXVI. de Adverbio <i>Adeo</i> . . . . .	" 502
"	XXVII. de Adverbio <i>Utro</i> . . . . .	" 503
"	XXVIII. <i>Primus, Primum, Primo</i> . . . . .	" 505
"	XXVIII. de Participiis . . . . .	" 511
"	XXX. de Infinitivo absoluto . . . . .	" 516
"	XXXI. de Interrogatione . . . . .	" 522
"	XXXII. de Copula <i>Nec, Neque</i> . . . . . (de eiusdem apud Ciceronem usu . . . . .)	" 525 " 537)
"	XXXIII. de Appositione et Epexegesi . . . . .	" 542
"	XXXIII. de Copulis <i>Et, Ac, Que,</i> <i>Atque</i> , inaequalia orationis membra iungentibus . . . . .	" 551
"	XXXV. de varia significatione varioque usu Copularum <i>Et, Que, Ac</i> et <i>Atque</i> brevis explicatio . . . . .	" 556
"	XXXVI. de Particula <i>Ve</i> . . . . .	" 570
"	XXXVII. de Particula <i>At</i> . . . . .	" 581
"	XXXVIII. de forma vocabuli <i>natus,</i> <i>gnatus</i> . . . . .	" 586
"	XXXVIII. Virgilius heroicis quaedam temporibus tribuens, quae posterioris fuerunt aetatis . . . . .	" 588
"	XXXX. Virgilius dormitans aliquando . . . . .	" 590
"	XXXXI. ad Ge. III, 527.: „non illis <i>epulae nocuere repostae</i> “ . . . . .	" 595
	Addenda quaedam ad Catalecta . . . . .	" 599
	De Codicibus et Editionibus P. Virgilii Ma- ronis . . . . .	" 601
	Codicum Elenchus, ad quos quidem Virgilii adhuc recensum esse factum constat . . . . .	" 603
	Notatio codicum, qui in Varr. Leett. et in Elencho supra proposito laudantur . . . . .	" 633
	De Virgilii Editionibus . . . . .	" 635
	De antiquis Virgilii Interpretibus . . . . .	" 742

# 528 CONSP. EOR., QUAE HAC EDIT. CONTIN.

## Tom. V.

**Publi Vergili Maronis Opera ad pristinam, quoad  
eius fieri potuit, orthographiam revocata,  
cet.**

**Praefatio Subiecta est accurata collatio Fragmm. Vatic.,  
tum particulæ cod. Med. et Romani, praeterea**

<b>Emendanda quaedam vel Addenda . . . .</b>	<b>Pag.</b>	<b>I</b>
<b>Publi Vergili Maronis Opera . . . . .</b>	<b>„</b>	<b>1</b>
<b>Orthographia Vergiliana . . . . .</b>	<b>„</b>	<b>379</b>
<b>Index in Heynii Notas et Commentarios . . . . .</b>	<b>„</b>	<b>487</b>
<b>Conspectus eorum, quae hac editione continentur . . . . .</b>	<b>„</b>	<b>517</b>



**LIPSIAE,**

**EX OFFICINA B. G. TEUBNERI.**









